NAZIONALE
R. BIBLIOTECA CENTRALE V. E.
8
27 C
14
ROMA
8 . 27 . C . 14
Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO
ET
REVERENDISSIMO PRINCIPI

CARD. LVDOVISIO

ARCHIEPISCOPO BONONIENSI.

IVre queri de ſorte ſua poterat Orbis terrarum, EMINENTISSIME PRINCEPS, quòd Libri de BONO, à R. P. Sfortia Pallauicino, viro, antequam Religioni nomen daret, per Italiam ſatis celebri, nunc verò in Romano Societatis IESV Collegio Theologiæ Magiſtro, tam eleganter arguteque, quàm doctè paucorum ſpatio menſium lucubrati, vnius Italiæ finibus, eius linguâ conſtricti, coërcerentur. Et quanquam eam Patriæ ſuæ prærogatiuam Auctor ex recto charitatis ordine dare debuerit; non tamen erat reliquum humanum genus rei tam ſalutaris, tam expetitæ participa-

Digitized by Google

tione fraudandum. Quippe ...
tunt omnia, ex oraculo Stagiritæ: Si natura ſua fuſile Bonum eſt, vti cum Areopagita Theologi docent; æquiſſimum erat idem vniuerſis profuturum vniuerſitati communicari. Quamobrem Latinâ ornatum linguâ eiuſmodi opus vulgandum fuit, quæ tam latè pertinet, quàm mundi fines. Idem igitur Auctor nouum hunc laborem publico bono ſuſcepit. Cui verò priùs ac iuſtiùs, quàm Tibi, EMINENTISSIME PRINCEPS, hoc à me opus dedicandum? Beneuolentia id poſtulat in me Patrui tui, tunc maximè pluribus experimentis explorata, cùm Coloniæ Apoſtolici Nuncij munus tanta cum vtilitate Germaniæ, cum quanta ſua dignitate ſuſtineret. Poſtulat Fratris tui P. Fabij, è Societate IESV Hibernenſis Romæ Collegij Rectoris in me meumq́; filium humanitas & beneficentia ſingularis, cæterorum demum ex iſta nobiliſſima ſtirpe beneficia in me meosq́; vbertim collata poſtulant. Quin tum ipſimet Auctori Tibi Romana in aula, ſingulari neceſſitudine deuincto, tum vniuerſæ Societati

Iesv tot Tibi promeritis obſtrictæ, nihil me facturum gratius exiſtimaui, quàm ſi Eminentiæ Tvæ doctos hoſce labores conſecrarem. Verùm, vt alia ſileam, quibus hoc Tibi debetur opus, iuſtiſſima nomina, Bonvm cui meliùs offeratur, quàm optimo Principi, Patriæque, non tam Paſtori, quàm Patri? Accipe benignus, vt ſoles, me Tibi cum opere dedicatum: & ad publicam fœlicitatem diutiſſimè vale. Coloniæ Agrippinæ, die 2. Decembris S. Franciſco Xauerio ſacra, Anno ſalutis M.DC.XLV.

EMINENT.mæ REVEREND.mæ V. CELS.

Deuotus Cliens

Ioannes Kinchivs
Ciuis & Bibliop. Colon.

Digitized by Google

MVTIVS VITELLESCVS
Societatis IESV Præpoſitus Generalis.

CVm quatuor Libros de Bono P. Sfortiæ Pallauicini noſtræ Societatis Sacerdotis aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Vicesgerenti, ac Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij videbitur. Datum Romæ 2. April. 1644.

MVTIVS VITELLESCVS.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

Alphonſus Sacratus Epiſc. Comac. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hyacinthus Serronus Mag. & Socius Reuerendiſſimi P. F. Michaëlis Mazzarini, Sacri & Apoſt. Palatij Mag. Ord. Præd.

LECTO-

Digitized by Google

Quæ, & qua Methodo ſcribere Auctori propoſitum ſit.

DE ſtylo ac formâ ſeuerioribus diſciplinis accommodâ quid ipſe mecum exiſtimem, vt opinor, abundè ſatis diſputaui, duplici diſſertatione, quam eloquentiſſimo Præſuli Io. Baptiſtæ Rinucino Firmano Archiepiſcopo inſcripſi, præcipuo volumine in lucem quamprimùm euulgando comprehensâ. Quanti apud me ſit Lectorum iudicium, argumento erit hic labor, quo illius ego gratiam inire tam ſedulò accurateque contendi. Reus citiùs apud quempiam videbor, eas quòd præterierim leges, quibus ipſe me volens incluſeram. Ne tamen memoriâ illis excidat, non omnes qui optimè pollent oculis, arduum vt præcelſi montis callem aſpiciant, eoſdem etiam omnes confirmatis eſſe pedibus ipſius ad faſtigium vt euadant.

Suſcepti à me operis argumentum, moralis erit materies vniuerſa. Meæ quidem habitudinis imbecillitas vix mihi diuturnæ vitæ ſalutisq; viaticum pollicetur, quod viæ tam longæ ſit ſatis. Acceſſit præterea, quòd Maiorum me nuper imperium à Philoſophica Theologicam vocauit in exedram; quod quàm impar meis eſt viribus onus, tam perſequendo nunc operi aduerſatur. Quare, vt laborem hunc aliqua ratione diuidendo minuerem, quartum huius Operis Librum ex Italico idiomate Latinè reddendum amico ſodaliq; meo commiſi. Cæterùm, quodcumque tandem ad littus impulſu mortis appulero, ibi mihi, Cœlum adituro, portus erit. Mihi certè abundè ſic eſt: Quod pertinet ad Lectores; non æquè innodatum eſt opus hoc meum, ac eſſet dramaticum, Epicumve Poëma; quod integrum niſi fuerit, pretio atque vtilitate parum diſtat à nihilo: nam quæ pertinent ad Philoſophiam, otioſa non habent initia, & ſi ſuo fine non conſtant, qui demum finis in ea occultæ veſtigationis abyſſo nuſquam ac nunquam inuenitur.

De Boni natura volumen hoc primum erit, quod vnus eſt noſtrorum ſc. opus affectuum, primumq; moralis ſcientiæ fundamentum.

Quid hoc Boni nomine intelligatur, indagabimus.

Quà

Qua illud in re poſitum ſit.

Quænam ea ſint rerum genera, ad quæ ipſum pertinet.

Quod noſtræ menti conceſſum à Natura ſit inſtrumentum, vt illud certiſſimè agnoſcamus. Atq; hîc opportunè Scepticorum argumenta, præcipuè verò Sexti Empirici, diſcutiemus; qui vllis (præterquam ijs, quæ noſtrum apud animum experimur in præſentia) rebus aſſentiendum à nobis eſſe penitus inficiabantur: nulla cùm ex parte, vt contendebant, præteritis exterioribusve rebus certam exploratamq; fidem poſſimus adſciſcere.

An huius in ſtructura & adminiſtratione Vniuerſitatis ſumma quæpiam Cauſa ſit intelligentiæ appetitionisq; compos, quæ alicuius gratia boni res agat: an potiùs, vt Epicurei cenſebant, huius Vniuerſitatis opifex ſit & moderator Caſus.

Quænam illa ſint bona, quibus ſui ipſorum cauſa debetur hoc nomen, neque illud adnexis tantùm effectis acceptum debent.

De vltimo hîc cuiuſque rei præcipuo fine quæretur: hoc eſt, An eiuſmodi finis ipſum rei ſit *eſſe*; adeo vt, quos eidem rei natura attribuit actus, ij mera ſint omnino media, quorum ope ipſius rei *eſſe* ſeruetur; An potiùs à Natura eſſe ipſum tribuatur vt medium, rerum agendarum fini conducens: An verò res omnes ſenſus expertes veluti rerum cognoſcentium adminicula à Natura ſolùm amentur: An hæ quoque rebus intelligentiâ præditis famulentur: Atque, an hæ pariter ab ipſa finis dignitate aliqua ratione deficiant, neque ſibi amorem Naturæ concilient, niſi quia, vt arbitrati ſunt aliqui, præpotentis Numinis, eiuſdemque primi Principij, vltimiq; finis gloriæ ac maieſtati conducant.

Neque verò de illo tantùm, cuius appetens eſt Natura, bono differemus; at illud etiam, quod noſter eſurit appetitus, ſedulò perquiretur.

Atque hîc; Quodnam illud bonum ſit, quod ſuâ gratiâ nobis eſt optabile; vita ne, an cognitio, an delectatio, an horum vnum alterius causâ, an hæc tria ſe ipſis, an diuerſum ab ijs aliud quippiam.

Quod verò de bono amoris ac deſiderij ergo quæretur, de malo pariter odij ac fugæ cauſa diſceptabitur.

Dein-

Digitized by Google

Deu[illegible] re ſummum bonum, quod eſt *fœlicitas*, ſummumq; malum, quod eſt *miſeria*, collocetur. Examinabitur verò tum illa fœlicitas ac miſeria, quæ ad nos Naturæ ductu pertinere poteſt, ſingulis ijs, quibus vtraque conſtat bonis malisq; ſingillatim expenſis; tum fœlicitas illa Cœleſtis, quæ Naturæ vires excedit, & illa calamitas, quæ præter Naturam apud inferos ſceleroſiſſimas animas cruciatibus affligat æternis.

An bonorum idem atque malorum ſit auctor; an potiùs ex Manichæorum ſententia, duo ſint auctores.

Cur mala tum naturalia, tum moralia neceſſe fuerit, vt in hac rerum vniuerſitate poſſent accidere.

Quo pacto Deus prauos ad efficiendos actus ſuas vires, vt effectrix cauſa communicet: neque tamen illos poſſit vnquam optare.

Has verò quæſtiones non eo exigam ordine, quo illas in præſentia enumeraui: Imò vt ad ſimilitudinem veri primùm accedam, & vt admiratione ac nouitate curioſitatem vehementiùs irritem, primo in Libro non multum de ſeueriore methodo laboraui, quam tamen methodum conſequentibus deinde tribus Libris accuratè ac ſedulò perſequutus ſum.

Meas porrò ſententias confirmare ita conabor, vt ad regendam orthodoxam fidem eius potiùs ſubiectæ ſint pedibus, quàm, vt ſe fulciant, ipſius fidei humeris innitantur: eapropter petitas à Natura rationes adducam; oſtendamq; deinde illis eminentiorem certè noſtram ſæpè fidem eſſe, nunquam tamen aduerſam: quinimò eas teſtes eſſe præcipuos, qui noſtræ mentis in foro pro ipſa vocantur in examen: eo, inquam, in foro, vbi de ipſo rerum omnium Procreatore Deo iudicium ſtatuitur, ſententia pronunciatur.

In loco erit ac tempore eruditio, ſaltantium inſtar in choro, non more ſeſe prementium in tumultu. Hoc Virorum veterum ſumma eruditione pollentium exempla ſuadent; qui ſæpè ac multum alios legebant, citabant raro; quin potiùs ſucci plenos alijs ſe ſe commonſtrabant, quippe qui aliorum fercula in ſui alimenta vertentes facti erant perpetua lectione robuſti.

Digitized by Google

Quas ad conficiendum hiſtorias alt[illegible]n, vel [illegible] diuulgatæ ſeipſis erunt, vel eas ego narratione ipſa diuulgab[illegible]. Confirmatio ſiquidem, vt ex Dialectica nouimus, debet à notioribus peti. Præterea abſtruſa quædam innuere tantùm, non exponere, alios cruciare potiùs, quàm erudire videtur; quo nimirum id tantummodo fit, vt ea qui legerit, ineruditioni ſuæ inſultantem Auctoris videat eruditionem: atque in morem Tantali torqueatur, cui propoſitæ prohibitæq; ſunt vndæ, ſitim vt accendant, non vt reſtinguant.

Quæ à me in ſermonem inducentur perſonæ, illæ quidem noſtræ erunt ætatis eruditione, ſanguine ac dignitate præſtantiſſimæ. Inelegantes picturæ oculos & ipſæ delectant, cùm auro liberaliùs oblinuntur. Neminem verò virtutis amantem futurum eſſe arbitror, à quo reprehendar, ſi præuijs in elogijs, antequam perſonas inducam, earum identidem non Laconicè laudes exponam. Vna meritorum merces ac præmium laus eſt. Quicunque alijs illam iure merito tribui dedignatur, aut eam deſperat, aut ad illam virtutibus non aſpirat. Atque hi fortaſſe, qui aliorum laudibus, quanquam veris, offenduntur, ſatyris, etſi mendacibus, oblectarentur. Quid verò? cuiuſque capitis fronti, qua de re agendum ſit, argumentum inſcribam. Abſtineat à dulci, qui vinum amat acre. Lectorum nemini ea progrediendi ratio denegatur, quæ pleriſque ab Auctoribus Angelis non conceditur; licet vtique Lectori, viâ mediâ relictâ, ex hoc in locum alium proſilire. Ne regiones illas intrauerit, ad quas vel curioſitate vel vtilitate non ducitur.

Similem vt vero facerem dialogiſmum, compulſus aliquando ſum ex communi aliorum exemplo, vt mutuas identidem laudes ſimularem in ea, quæ colloquentium alius ab alio audiebat. Neque verò aut deerrantem adeo quempiam futurum eſſe putauerim, qui ſecum ipſe reputet, aut adeo amarulentum, qui aſſerat hanc mihi fuiſſe artem, vt me laudarem & mea: perinde quaſi pro Scriptoris ambitioſi amplificationibus æſtimare lectores opera conſueuerint; cùm potiùs eius generis æs nummuſq; ſit laus, vt eum non exigentibus liberaliter erogetur, difficillimè verò ipſum iure quodammodo repetentibus exſoluatur. Fortaſſe quiſ-

Digitized by Google

quiſquam [illegible] ſe à me viris illis notam aſſentationis inuſtam, quippe qui ſimile vero putauerim ſententijs tam vulgaribus laudes adeo egregias ab ipſis fuiſſe conceſſas, ea etiam veritatis amplificatione datâ, quæ tanquam innocens ab vrbanitate laudatur inuecta. At ęquius huius accuſationis caput eſſet (quamuis quocunque laudis à verbo abſtinuiſſem) quòd præcellentibus adeo ingenijs effata nihil ab humili excedentia, licet ex tempore, procul à decoro ac ſpecie dignitatis adſcripſerim. Verumtamen hoc demum Scriptoribus omnibus eſt commune: Quicunque ſui animi ſenſa euulgat in lucem, illa quidem alicuius apud ſe pretij eſſe oſtendit. Qui ſecùs arbitraretur, haud ciuiliùs cum eruditis ageret, ac ſi olentem peſſimè ſui viridarij florem præberet alteri odorandum. Quare malim fateri ingenuè, amoris in me mei commune veneficium incurriſſe, quàm ſimulare me falsò inurbanitatis amantem, à qua nulla mihi poſſit excuſatio veniam impetrare.

Illud verò mihi condonandum eſt, vt cùm ſententiam aliquam in medio attulero, quæ recentiorum ſit partus poſt inductorum colloquentium funus editus, adhibere mihi liceat quoddam anaconiſmi genus, aut eius ſententiæ auctoribus in margine adnotatis, ſi typis eorum impreſſa ſint opera; vel, ſi minùs, eam ſententiam tanquam alienam ijs, qui colloquuntur laudantibus: quare mentis meæ nubes non ſoles, at parelios eſſe intelligant vniuerſi; deq; me pronunciari poſſit, pauperis me inſtar alieno eguiſſe, non clam ſurripuiſſe illud, vt furem. Quam ego in hoc exordio veniam peto, ab ea me puto vituperatione abſoluet, qua Curionis in hac re obliuionem Tullius irriſit, eius dialogos criminatus.

Duplici opus hoc idiomate ſcribo, Latino atque Italo. Latino quidem, vt ſi fortè ad exteras nationes excurreret, qua poſſit eas alloqui linguâ, non careat. Diſceptationem Mutij non ignoro, quam eruditiſſimus Areſius expendit, & qua ille conficit Italicum Idioma Latino eſſe communius, cum illud Italici homines vniuerſi, prætereaq; tot exteri nouerint, qui vel ad vtilitatem, vel ad ornamentum Italicè ſciunt; quamobrem alterius notio tot ad homines non pertingit. Ita quidem ille diſputat. Quid tamen

huic rationi reſponderi poſſet, tanti inge... ... præterijſſe non puto. Porrò Italica de rebus litterarijs eruditisq; volumina, non vniuerſo Italiæ vulgo ſcribuntur: eorumq; Latinè qui neſciunt, pauci voluptatem ex ijs capiunt & vtilitatem: neque ijs pariter exterarum nationum mercatoribus deſtinantur, qui linguam Italicam neceſſitate condiſcunt: quapropter eos inter, qui vel ingenij acumine, vel aliquo doctrinæ rudimento in Orbe terrarum vniuerſo ea intelligendo proficere poſſunt, maior certè numerus hominum Latinè ſcit, quàm Italicè.

Idem etiam opus vernaculo Italiæ ſermone deſcribo, vt, quantum in me eſt, veterum Latinorum pietatem imiter in patriam, qui Græcæ ſapientiæ theſauros omnes in linguam patriam traduxerunt, quod tam ſæpe ſplendideq; inter cæteros Tullius gloriatur.

Non tamen verba verbis reddam, quippe qui partum vtrumque primum eſſe contendo, neque alterutri ſeruilem obijci ignobilitatem volo, & exemplar dici queat.

Si Deo volente ſic fiet, vt Lectorum alicui aliquam opus hoc afferat vtilitatem, id equidem meæ non magis gloriæ ducam, quàm æneum ſpeculum, quod ſuapte natura cùm frigidum obſcurumq; ſit, nihilominus acceptos à Sole radios in res ſibi obiectas reuerberando, mirum quantum caloris parit & lucis. Quòd ſi contrà ineptum illud acciderit & infructuoſum; haud ægriùs acerbiusq; id ego feram, quàm Colonus, qui Domino, non ſibi laborauerit fruſtrà, dum ille nullam præterquam paleæ meſſem cultis exercitisq; colligens ab agris, eandem nihilominus ab hero mercedem refert, ac ſi fertilitas cum ſeptenni illa celeberrima Ægypti fœcunditate certaret. Ille quippe rerum omnium Auctor & moderator, qui ſucceſſu non indiget, ſed ſtudium amat, tantundem nobis veræ ſolidæque gloriæ ac fœlicitatis in patria elargitur, quantum irrito ſterilique deſiderio eidem nos in terris quęſiuimus, non acquiſiuimus.

R. P.

R. P.

SFORTIÆ PALLAVICINI

E SOCIETATE IESV

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

DE BONO

LIBER PRIMVS.

ADM. R. P. MVTIO VITELLESCO SOCIETATIS IESV GENERALI PRÆPOSITO.

CAPVT PRIMVM.

1. NVLLVS *apud Iuriſperitos validior titulus ad acquirenda naturali quadam lege rerum dominia , quàm effectio. Quocirca non ignobiliora tantùm corpora , & homini ſuopte ingenio addicta ; in ſui vel ſatoris vel opificis adeoq; effectoris ditione ſua ſponte naſcuntur ; ſed homo ipſe , quem ſui iuris ac poteſtatis Deus & Natura condiderunt, iiſdem ita ſancientibus, à quo parente accepit vt eſſet, eiuſdem ſubeſt poteſtati.*

2. *Verùm quantò cariores homini ſunt ingenij , quàm corporis ſui fœtus, quantoq; ea hominis portio, vnde illi fluxerunt , veriùs ac penitiùs eſt homo, tantò interiorem neſcio quem magiſq; indiuiduum nobis dominatum in priores illos , quàm in hoſce poſteriores Natura conceſſit. Ideo nec ſeruitute mancipium , nec bonorum publicatione damnatus Reus vſque adeo denudatur, quin vtrique liceat ſcriptas lucubrationes, & tanquam ſuas euulgare, & cui viſum fuerit , genere quodam irreuocabilis donationis inſcribere. Imò verò hæc ipſa confectorum librorum poteſtas ea vna demum eſt , quam nulla ne ſeueriſſima quidem religioſæ diſciplinæ paupertas adimere Scriptoribus conſueuit.*

3. *Quando igitur aurea hæc nuditas, quam ſponte indui, vt expeditior Chriſtum ſequerer , cunctis planè, quæ mea fuerunt , atque adeo me ipſo me*

Digitized by Google

ipſum exſpoliauit; hoc tantummodo munuſculi genu ſuper l, quod offeram tibi; Tibi, inquam, cui iam antea ius & arbitrium o. ine contuli mearum rerum ac mei. Et verò donatio hæc mea, vtcunque pertenuis, vnicè tamen commoda viſa eſt mihi, vt in hoc lucubrationum mearum initio, tanquam in primitijs quibuſdam, reditus vniuerſos ex literaria induſtria mihi obuenturos tibi ritè deuouerem & conſecrarem; hac vtique ſignificatione teſtaturus nullam ex rebus meis aliã gratiã mihi placere poſſe, niſi vt per me tui iuris efficiatur. Quanquam, ne has quidem ſcriptiunculas tanquam dona deferre poſſum ad te, bona fide, & furti innocens. Haud leuia ſunt nomina, quæ hoc mei operis, quodcunque eſt, tui iam veriùs quàm mei æris efficiunt. Huius nempe operis auctor non tam ipſe fui ſtudio, quàm tu poteſtate ac iuſſione; qui mihi, vt illud inſtituerem, auctor fuiſti. Porrò autem tua etiam Humanitas id mihi otij & ſubſidiorum creauit, quo inſtitutum commodè alacriterq́; peragerem. Quidni ergo in eius confectura tu quidem principalis effector, & tanquam architectus, ego verò adminiſter neſcio quis, & veluti famulans inſtrumentum dicar?

4. *Verùm vtcunque ius aliquod (quæ tua eſt largitas) in haſce pagellas mihi aſſerſeris; ita vt eaſdem in tuum patrimonium non tranſcribat Iuſtitia, ſeuerior illa atque inexorabilis Domina rerum; eaſdem tamen tua in me beneficentia mitiore quidem, at non minore iure vindicat tibi. Mitto quantum ipſe priuato nomine tibi debeam; tum quod me primùm ex liberioris vitæ vorticibus periculiſq́; in ſinum tuum quaſi in tranquillitatis portum exceperis; cuius ſanè beneficij tantundem in me perpetuò creſcat æſtimatio neceſſe eſt, quantum æſtimatio pariter creſcet in me ſolidæ conſtantiſq́; perennitatis. Tum verò quòd me ſubinde tam prolixa perpetuaq́; caritate complexus es, quantam vtique ſi antea ſperaſſem, næ ego promeritum qualecunque apud Deum ex religioſarum amplexu compedum corrupiſſem. Mitto, inquam, hæc tua beneficia, quæ me nominatim contingunt. Nimirum, vti iam non ipſe ſum meus, ſed Societatis vniuerſæ, ita principem gratiam & habere, & referre debeo, non tam de me, quàm de Societate vniuerſa benemerentibus. Manus certè non adeo ſatagit, vt gratam rependat operam ijs, ex quibus ad ſe quippiam boni emiſſum eſt, quàm ijs, qui corpus illud vniuersè, quod manum continet, roborarunt.*

5. *Quid verò tam ſingulare, tam magnum excogitari poteſt ſuper id, quod tibi debet, Parens amantiſſime, corpus hoc ex Ignatij filijs conflatum? Huic tu quidem Familiæ triginta propè annos ſummã cum poteſtate iam*

præes

præs; quin etiam huic eidem longè antè prudentiâ quàm Magiſtratu præfuiſti; haud minus eandem tunc auctoritate conſilij, quàm nunc imperij poteſtate moderatus. Vtroque tempore nemo eſt quin tibi concedat par illud laudum pænè incoibile; ſtrenuiſſimam religioſæ diſciplinæ cuſtodiam, placidiſſimam in ſubditorum alleuatione caritatem. Nullam ex noſtri Ordinis legibus lenitas tua eneruauit. Nullum ex noſtri Ordinis ſodalibus ſeueritas tua ſubtriſtem dimiſit. Quin caſtigationes ipſæ tuo ex ore natiuam amaritiem aſcititiâ quadam dulcedine tam bellè condiebant, vt non ſuauitatis minus, quàm ſalubritatis haberent. Vnquamne aut curarum obſidio, aut animi laſſitudo, aut horarum inopia ex tua facilitate id extorſit, vt cuiquam præcideres indefinitam illam facultatem te alloquendi, & quandiu liberet ſollicitudinum, ac moleſtiarum ſuarum pondus in tuas aures exonerandi? Vnquamne per aliquam faſtidientis iam animi ſignificationem huiuſce ſolatij ſynceritatem nobis infeciſti? Quicunque ignoraſſet, quem ſcilicet locum Noſtro in Ordine occupares, teqúe inſpexiſſet aures dantem leuiculæ cuipiam vniuſcuiusque noſtrum curæ; putaſſet enimvero, id vnum negotij eſſe impoſitum tibi, cætera prorſus otioſo. Ira quidem, dira illa ſed frequens magnis poteſtatibus comes, ita ſemper exulare viſa eſt tuo ex animo ac vultu, quemadmodum turbines ex monte illo prænobili, quem, vti proximum ſibi, ſuam pænè in familiam, & nomen Olympus adoptauit. Inter admirabiles auditiones memorantur motiunculæ neſcio quæ duriuſculæ oris, ac vocis, quas adnotauit quiſpiam adhibitas à te conſultâ operâ, videlicet rato, niſi tunc eiuſmodi nubibus aſſuetam Cæli tui ſerenitatem obduxiſſes, haud probam ſegetem tuis in agris extituram.

6. Nihil attinet recenſere quam benè promeritus ſis de Societate noſtra per eximiam illam tuam Chriſtianæ virtutis religioniſq; præſtantiam, quæ profectò in ſupremis moderatoribus valet ſupra omnem legem ad ſubditorum mores ritè conformandos: multis quippe graue eſt vitam ſuam ad imperantis vocem; perpaucis vero ad imperantis vitam effingere. Nihil itidem iuuat commemorare quantum illa tibi debeat fælicitatis ſuæ; quod te Præſide viderit alumnos ſuos à Vicariâ Diuinitatis manu, quâ ſacris honoribus condecoratos, quâ in triumphãtium choro cæleſti laureâ redimitos, quâ Sanctorum albo adſcriptos: His porro ingentia delubra omniq; terrarum ambitu conſpicua per inſolitam quandam religionis feſtinationẽ erecta: ſæcularem ſui natalis memoriam incredibili populorum ac Regum plauſu to-

to orbe Chriſtiano concelebratam. Alium ſanè gentilem Regiam poſt noſtras cellulas habentem, & manibus ſceptro natis in Chriſti obſequium per fora, ac triuia ſtipem alacriter emendicantem. Alium porro ineluctabili ſummi Sacerdotis imperio inuitum noſtrarum lacernarum inopiam atque obſcuritatem in ſacræ purpuræ decus, ac iubar commutantem; eundem verò (quod & multo præclarius per ſe, & profeſſo eximiam humilitatem ordini lætabilius) nihil religioſæ demiſſionis, nihil priſtinæ in ſe ipſum duritatis exuentem; quin eas ipſas illuſtrius & glorioſius in eo dignitatis faſtigio retinentem. Hæc inquam velut ab inſtituto meo aliena prætereo.

Illud modo ſeligam ex tot, tantisq́ in Societatem noſtram promeritis tuis, quod nominatim requirere videtur eiuſmodi, quam tibi nunc refero gratiam. Quis vnquam ſatis collaudauerit operam illam tam enixam, tam aſſiduam, quâ bonarum artium ſtudia continenter fouiſti? haud nimirum ignarus quàm fæliciter Pietas, ac Religio altrice Sapientiâ in ſacris Cœnobijs adoleſcant? Teſtes compello vel hos ipſos Collegij Romani parietes. Hi nempe videre iam te per omnes altiorũ diſciplinarum gradus in id muneris euectum, vt vniuerſis huiuſce Academiæ literarijs exercitationibus præficereris. Tum poſtea, hoc Regimine poſt longam bene geſtorum munerum ſeriem, in vniuerſæ Regimen Societatis immutato, nihil ſingularis ille litterarum amor deferbuit, quando hi ipſi parietes ne ex illo quidem genere hominum, qui ſibi & Muſis in otio ſecuriſſimo vitam degunt, aliquem adeo frequenter excepere in hæc Palladis Theatra, quàm te: de quo tamen arduum erat ſupputare; qua ratione horarum cenſus vel quotidianis tantum generalis Præfecturæ ſatisfacere poſſet officijs. An vero ijs qui te auditorem habebant, dabat conſpectus ille tuus (quod frequens accidit) fatuam quandam voluptatem & maculoſum honeſtamentum, ex faſtidientis ſignificatione oris, moramq́ per ingens tædium deuorantis? An certè ad celebritates illas corpus afferebas, non animum, quippe tunc vel à curarum importunitate quieſcentem, vel magis neceſſaria meditantem? Tam opportunè Diui boni, tam beneuolè plaudebas vultu, quoties aut in philoſophicis prælijs, aut in amœniorum artium pompâ iubar aliquod, atque acumen ingenij paulo inſignius coruſcaſſet, vt vnuſquiſque in te vno Theatrum refertiſſimum, in tui vnius approbatione præmium cumulatiſſimum ſibi nactus videretur. 7.

Enimvero arbores illæ fæliciùs in hortis germinant, quas potentiora Cæli aſtra benigniùs aſpectant. Quid ergo mirum, te Præſide tantam floruiſſe in hoc Ordine vbertatem litterarum quantam ægrè capiat non modo Biblio- 8.

bliothecarum amplitudo ſed vel humanarum, diſciplinarum immenſitas. Verum hoc ſuper argumento altoquî tuarum laudum vberrimo amplius excurrere mihi non licet, ne aut parcius loquens multùm de veritate deteram, aut ſi verum prædicauero, non tam videar noſtri Ordinis facta ſimpliciter enarrare, quàm laudes iactantius extollere. Hanc mihi clauſulam adieciſſe ſufficiat: quando opuſculum hoc meum in ea tandem eſt meſſe, quam tui erga rem litterariam patrocinij aura procreauit; par eſſe vt primus hic libellus, primum quaſi pomum offeratur tibi: Cuius ego dignitatem contemplatus, doleo vtique aureum id pomum non eſſe. Verumtamen aurei fortaſſe pretium in eo ponet, penes te quidem obſeruantia ac ſtudij in te mei æſtimatio humaniſſima: penes me vero iam nunc aureum reddit indubia quadam fiducia illud tibi acceptum fore.

1\. IPSA ſibi Virtus pretium ſemper æquale. At non diſparis virtutis quam diſpar ſæpenumero pretium apud homines. Antiquam vtique laudibus amplificamus; recentem ſilentio negligimus, præſentem obtrectatione deterimus. Antiquitas enim quò ignotior eò mortalibus venerabilior. At verò, recentium æmuli, æqualibus inuidentes, de alteris parcè, de alteris iniquè iudicamus. Porrò vtrorumque laudes perinde quaſi exprobrationes noſtras excipimus, eorundem palmas horremus tanquam thyrſos, deſidiam noſtram inclementiùs extimulantes. Secùs accidit vbi veterum res geſtas vel voce, vel memoriâ recolimus; eâ fortaſſe de cauſa, quòd error ille vulgaris, qui veterum corpora proceritate, robore, vitæque diuturnitate noſtris antefert, ſuadet pariter eorum animos à Naturâ liberaliùs habitos, perinde quaſi primigenas filios: Atque adeò, ingenitam ipſis maiorem neſcio quam, & celſitatem ingenij, & animi vires, & ſemina gloriæ nunquam interituræ. Hac verò perſuaſione blandiente quilibet noſtrum ſe iudice abſoluitur; neque nos pudet à veteribus tum doctrinâ, tum factis tam infinitè ſuperari, dum quod in nobis eſt ſocordiæ, Naturæ imputamus. Et ſanè ita comparatum eſt ingenium hominis, vt gaudeat res obiectas cogitatione amplificare, & admirationis vſu oblectetur; modò ne in aliorum amplitudine ſe ipſum corripi videat, neque ex aliorum admirabilitate contemptum ſibi pertimeſcat.

CAP. II. Quantùm expediat celebrari recentiû virtutes, & quàm iniquè hoc tempore cum illis agatur.

2\. Sed hac ipsâ de cauſa recoli præſtat recentium laudes, quàm vetuſtiorum. Quando virtus ceu flamma, longinquior quidem affulget ſolum, propior etiam incendit.

3\. Porrò de hac mortalium aduersùm æquales iniquitate latè pertinuit per omnium ſæculorum Scriptores querimonia; At non itidem culpa. Quid enim? priſca Græcia virtutem nullam commemoratione dignata eſt, præterquam Græcorum. Neque verò ſuorum laudibus explere contenta omnium vel hominum

aures, vel terrarum plagas, eoſdem adeò per quodlibet Cœli ſignum, ſoliumque diuexit. Quorum ſanè celebrationem haud Platonici anni ab eorum funere conuolutio morata eſt. Nempe Homerus altero poſt bellum Troianum ſæculo, Duces illos, per quos geſtum fuerat, æternitate, ac Cælo donauit. Quin etiam Epaminondam, Leonidam, Themiſtoclem inter Bellatores, Solonem, Pythagoram, Hippocratē inter Sapientes, alioſq; ſexcentos, non prius vita deſeruit, quàm noua eos vita ſuſcepit, per cunctas Græcorum linguas, & paginas refloreſcens.

Vide Petauium de Doct. Temp. to. 2. l. 1. c. 30

Iam Romani quàm magnificè de Romana virtute ſentiebant? Hiſtoricorum conciones, confirmationes Oratorum, epiſtolæ, diſſertationes quæcumque, alijs quàm Romanorum exemplis non vtuntur, excellentiam aliam non laudant, non memorant. Externorum facinora perrarò inibi recenſentur; & eo fermè pacto, quo priſcorum arma & veſtes oſtentari ſolent; nimirum vt ignotiora, atque adeo viſu grata, non vt meliora, & præhabenda. Atque ipſos pariter inter Romanos præcellentium virorum palmæ, non poſt ſæcularem ſterilitatem gloriæ fructus ediderunt. Quin Deciorum, Fabiorum, Catonum facinora frequentiſſimum argumentum erant linguis, & ſcriptis illorummet, quorum oculis ſpectaculum fuerant.

Huius ætatis proprium videtur tam inſolens domeſticarum rerum faſtidium; 4.
prorſus contrà quam Natura inſtituit mortales; quos nimirum ſuopte ingenio nulla ſollicitat nauſea ex eiuſmodi rebus ſuis, quæ ſi alienæ eſſent, aſpectu, non ſolùm tactu, ſtomachum cierent. Militarem virtutem nuſquam vti heroicam ſuſpicimus extra Hectoras, atque Achilles; quorum tamen facinora vel quæ fabuloſa, non dicam iuxta Caroli V. Cæſaris, aut Henrici IV. Galliarum Regis, ſed iuxta Piſcarij Marchionis, vel Tillij Comitis palmas perinde vaneſcent, atque aranearum victoriæ cum leoninis comparatæ. Prudentiam quiſquis nominat, Neſtorem nominat. At enim quantò ingentiores Regnorum machinas, quantòque interiore conſiliorum ſapientia, vt recentes Reges prudentia inclytos prætercam, Villeroius & Idiaquius ætate noſtra verſarunt! Verum hoſce noſtros, quos appellaui modò, non omnino incelebres tandem obliuioſa taciturnitas fecit, quippe qui fuere humanorum euentuum pars longè maxima. Multò deterius agitur cum recenti priuatorum virtute. Pudicitiam ſanè in Lucretijs, ac Scipionibus tantum commendamus; dum interea tot Myriades noſtrorum longè candidiores taciti præterimus. Quid fortitudo illa vſque adeo commemorata vel Socratis, vel Catonis cum ea, quæ nuper tot inuictos, ſed indictos Heroas, quà in Angliæ, quà in Iaponiæ carnificinis coronauit? Nimirùm cæleſtis fidei lumen non ſplendidius eſt, quàm fœcundius: tantoque pulchriores per hæc ſæcula virtutes parit, quàm veterum ſuperſtitio, quantò germanæ margaritæ, ſolaris lucis filiæ, pretio, ac nitore ſuperant adulterinas, fumoſo, impuroque ignis vapore concretas.

Mihi ſanè certum eſt, pro eo ac poſſum, aduerſus malignam huiuſmodi con- 5.
ſuetu-

Digitized by Google

ſuetudinem obluctari. Eamque ob cauſam in quolibet ex dialogis noſtris adhibebuntur eiuſmodi loquutores, quorum præmiſſum elogium, breue illud quidem, ac veridicum oſtendat, immeritò ætatem noſtram maledico Scriptorum ſilentio incuſari quaſi effœtam, probæque ſobolis ſterilem. Atque eâdem operâ me primùm, meoſque dein æquales monebo, morbos noſtros induſtriâ medicabiles eſſe, quippe qui noſtri ſunt non tempeſtatis; ita vt non perinde liceat nobis exclamare, *ô tempora!* ſicut, *ô mores!*

CAP. III. *Ad excitandam virtutem præſtat memorarẽ egregia exempla recentiũ defunctorum, quã aut veterum, aut viuẽtiũ.*

1. ET verò non alio ſtimulo vehementiùs ad honeſtatem vrgemur, quàm per exempla recens defunctæ virtutis. Præſentium quippe, aut veterum laudibus, quà aſſentationis, quà ignorationis ſuſpicio eleuat fidem. Nempe conſtat, aliam eſſe oculorum, aliam animorum in cernendo naturam. Longinquitas apud illos extenuat veram rerum magnitudinem: eadem amplificat apud iſtos.

2. Quod ſi quis nihilò ſecius vereatur, ne verum magnificè aucturus ſim, eâ cauſa, quam narratoribus vniuerſis communem Ariſtoteles notat; ſcilicet in gratiam audientium, quibus ſemper, quod mirabilius, id iucundius; hac itidem ſuſpicione me ſtatim purgo. Viros namque hic reponam non paucis viuentium notos, ac viſos. Cum tamen vix aliquis credi poſſit in mentiendo tam peruicax, quin ſaltem oculati de veritate teſtis aſpectum reuereatur.

CAP. IV. *Eximiæ dotes Alexandri Cardinalis Vrſini.*

1. QVot, rogo, habet etiam nunc circumquaque Chriſtianus Orbis, qui proprijs ſenſibus experti ſunt quid viri fuerit Alexander Cardinalis Vrſinus? Nec adeò pertimeſco ne quiſpiam iſtorum ſit mihi refragaturus, dum aio, Naturam, Fortunam, ac Virtutem æmulas, quin conſpirantes fuiſſe in eo cumulatiſſimè perornando. Quæ vtique decora, dum expono, æquum ſanè mihi lectorem ſpero, ſi ſtudio exornandæ virtutis, tranſilire paululum videar inſtituti mei fines, modò non & veritatis.

Natura quidem os tribuit placidum, idemque prænobile: ingenium perſpicax, atque amplum. Tum verò memoriam planè ſingularem, ac retinentiſſimam. Non illam tantùm loquor memoriam, quam Ariſtoteles vt ingenij fructũ agnoſcit, & quæ rationis induſtriam continet, ac proinde res, non itidem verba quæritanti animo fideliter ſuggerit; ſed peræquè verborum memoriâ viguit, rara præſtantis ingenij ſociâ. Quæcunque tamen in familiari ſermone memoriter recitabat, ita non conquiſitè, ſed ſpontè fluere ex ipſo videbantur, quemadmodum dignoſcitur natiua è fontibus aquarum fluxio ab artificioſa, & ad ſpectaculorum oſtentationem paratâ. Lepidiſſimè loquebatur, in eoque hoc ipſo magis placebat cæteris, quoniam nihil ſe ſibi placere ſignificabat. Vox, geſtus, ſpecies, inceſſus, affatus, quæcunque tandem à naturâ in eo inerant, totidem videbantur hamuli per quos vtentium animi caperentur.

2. Nec tamen liberalior in Alexandrum natura, quàm fortuna. Hæc non modò ei ortum attribuit in apice Romanæ nobilitatis; ſed quà inter vetuſtiores quà inter recentiores, haud ita facilè inuenias Dynaſtam non ſupremæ poteſtatis tot ſimul

Digitized by Google

ſimul ſupremis Principibus, Regibusq; ſanguine colligatum. Ex hac tam ſplen-
didâ origine ſortitus eſt Alexander educationem æquè ſplendidam in ſinu Fer-
dinandi Medicei Auunculi Magni, Magni quidem ditione, & cognomento,
Principis, at prudentiâ longè maioris. Nec ita multò poſt florentem adhuc A-
lexandri iuuentam Paulus V. Romanus Pontifex purpurâ decorauit, adoptatâ
fratris filio Sulmonenſium Principi ſponſa Camillâ Alexandri ſorore; quæ nunc
vti Romanarum matronarum honos, atque exemplar digito monſtratur; & cui
præclariſſima tum formæ, tum diuitiarum munera eò tantùm placuere, quò, eiſ-
dem peſſumdatis, Deo lautius litaret.

Ex fortuna tam opipara quantum veniæ accepiſſent faſtus, otium, inanitas, 3.
voluptas, tantundem admirabilitatis accipiebant comitas, literarum ſtudia, re-
ligio, & pia corporis cruciamenta. Nihil aliud maieſtatis in conſuetudine reti-
nebat niſi hoc vnum, vt maieſtatem ipſam grauiter exueret. Sed cùm ita quaſi
priuatum ferebat ſe, hoc ipsò maius quiddam Principe videbatur. Corpori qui-
dem ſomnum conciliant ventris plenitudo, ſitusque mollitudo; moleſtiæ, atque
inedia vigilantiam cient. Sic & animum plerumque diuitiarum vbertas, opipa-
rique ſtatus delitiæ torpore conſopiunt; pauperies, ærumnæque ad laborem
excutiunt. Si eas inter quas memoraui Syrenes, quiſpiam inſomnis enauigat;
adeò rarus hic eſt, vt meritò heros ille, cui hæc laus in fabulis tributa eſt, ſe Ne-
minem vocari dixerit. Sed quò id rariùs eò præclariùs. Certè nulla tam obſti-
nata operariorum ſedulitas ad quęritandum ſibi victum, quam Vrſini Cardinalis
ad congerendam ſibi doctrinam. Hęc verò ſedulitas in ſingularem ingenij fœli-
citatem incidens tantis iuuenem adhuc litteris opulentauit, quantas ſub emeritâ
Sapientum canitie non crebrò inuenias. Latinè iuxta, atque Italicè ſcribebat,
quà ſolutâ, quà iunctâ oratione: eleganti eâ quidem, lepidâ, ſalsâ, magnificâ,
efficaci. Ad hoc in omni librorum genere pereruditus. Memini eum conferre
mecum de quodam opere, quod ſcriptitabat, & quo Regalis prudentiæ artem
eruebat ab exemplis primorum quatuor Hieroſolymæ Regum; in Saule Regni
primordium, incrementum in Dauide, ſtatum in Salomone, in Roboamo ca-
ſum commentatus; per meditationes adeò acutas, vt mihi ſemper memoriæ in-
ſederint; easque alicubi forſitan opportunè ſubtexam. Sed quantacumque ho-
minis virtus, humana tandem eſt; videlicet non exors vitij; ita Vrſinus Cardi-
nalis, moræ impatiens, vni, & eidem operi diuturnum ſtudium inhærere nun-
quam eſt paſſus; paulo ſcilicet pronior ad nouitatis illecebras; conſuetum talis
fortunæ atque ingenij vitium. Quare multos affecit libros, confecit nullum.

CAP. V.

Egregia eiuſdem Cardinalis religio, ac pietas.

AT non in operibus, vt literarum, ita & pietatis inconſtans. Orandi aſsidui- 1.
tas, delicatus conſcientiæ ſenſus, diuinorum ſermonum feruor in eo vtiq;
perpetua atque eximia vſque adeò, vt gaudium ſimul, ac pudorem afferrent reli-
gioſorum hominum ſanctiſsimis, quibus ille præ cæteris familiariter vtebatur.
Nunquam expugnauit obſidentium curarum importunitas, nunquam eo pere-
grinan-

Digitized by Google

grinante, vel itineris defatigatio, vel templi diſtantia, vel tempeſtatis inclemẽtia, quò minùs ille quotidie ſacra homologeſi expiatus Diuinam hoſtiam ſacrificaret. Quo quidem in ſacrificio tantus in eo pietatis ardor eminebat, ipſos vt hæreticos adſtantes aliquando permouerit, & catholicæ monuerit veritatis: Haud enim credibile videbatur abhorrere Deum ab ea Religione, cuius alumni adeo cernerentur Deo pleni. In reliquis pariter chriſtianæ virtutis exercitationibus Romanæ Aulæ inclytum exemplar fuit: neutiquam paſſus, vt veſtimentum illud, cui affuſus Chriſti ſanguis dignitatem illinit, pudorem ſibi aduerſus Chriſti crucem inijceret.

Iam de vitæ aſperitate, ieiunijs, cilicinis, thoracibus, tandem de ſancta quadam, ſed acri in corpuſculum inimicitia multa ſuppeterent: Sed enim conſtans, & communis opinio, quâ hæ ipſæ afflictationes de Alexandri morte culpantur, nimis flebile argumentum eas reddit nobis, quibus Alexandri mors nunquam ſatis fleta, nulli ea ſanè flebilior accidit, quam Ordini noſtro. Huic ſe viuentem Alexander mancipare peroptauerat. Verùm frequenter vſu venit, nulli vt minus ditionis habeant in ſe, quàm qui ampliùs dominantur in alios. Pio igitur voto fruſtratus, nobis tamen, quando conuictu non licuit, ſe beneuolentiâ ſodalem copulauit. Quod vt luculentius teſtaretur, nos ſuimet cordis hæredes inſtituit, quin verius dominos enunciauit moriens, quo corde nos eoſdem donauerat viuens. Tabulas equidem eiuſce donationis proferre poſſem; hoc eſt literas eiuſdem Cardinalis per id tempus Æmiliæ legati datas ad Generalem ſocietatis noſtræ Præpoſitum: quibus ipſe literis per inenarrabilem quandam amoris, ac demiſſionis ſignificationem ſe tum Præpoſito, tum Societati perpetuò addicit; ſed eas non tam hiſce paginis, quaſi ad inanem iactantiam, quàm animo ad gratam beneuolentiam iuuat inſcripſiſſe.

2. Aliqua tamen in eo fuere ſuper corporis maceratione memorabilia, quæ hic locus omninò me præterire non patitur. In primis verò quis illaudatum relinquat ardentiſſimum illud ſtudium in Seruatoris noſtri cruciatus non meditamento magis, quàm experimento deguſtandos? Illos nempe & ſtylo celebrauit horarijs de CHRISTI PASSIONE precibus editis, & imitatiône ſecum communicauit. Æreum crucifixi Numinis ſignum ſuper nudo pectore continenter geſtabat, clauorum cuſpide in carnem verſâ: quos ille clauos identidem vel inter Aulæ officia diſſimulanter manu premebat ad pectus, vt ſuum cruentato pro ſe Domino cruorem redderet.

Hæc tamen in ſeipſum ſeueritas nihil natiuam eius hilaritatem, & comitatem aſperabat. Quin & præcellentium ingeniorum familiaritate mirificè delectabatur.

CAP. VI. *Ornamẽta eximia*

1. ET quidem inter huius notæ viros cum paucis domi ſuæ carum habuit Gerardum Saracenum Equitem ſancti Stephani; Senis ex vetuſta, claraque

 fami-

in Gerardo Saraceno Cardinalis Aulico. familiâ editum; enimuerò tali Domino parem aulicum. Muſice, Pictura, Poëſis, adeoque ingenuæ Artes vniuerſæ Gerardi adoleſcentiam in gremio educauerant, ac redimiuerant. Florentiſſimâ literarum amœnitate nituit in vtraque lingua; non ſententiarum acumine, quàm orationis elegantiâ minor. Ad hæc ſublimiorum diſciplinarum fonte labra proluerat; in quibus profectò diſciplinis ingenij perſpicacitas eam ſupplebat diuturnioris ſtudij ſedulitatem, quàm Aulæ officia interdixerant. obijt ille paucis ab hinc annis, dum perhonorifico equitum Rectoris munere in Piſano Gymnaſio fungeretur.

Nec eius meminiſſe vnquam poſſum ſine dulci quadam amantis animi triſtitiâ; anceps equidem, dum cogitatione reuoluo quanta in eo fuerit & virtutum dignitas, & iudicij auctoritas, de meane in illum, an de illius in me ſingulari beneuolentiâ glorier magis; atque itidem anceps, vtrum in hoc mutuo amore victorem, an victum profiteri me aut poſſim, aut malim.

CAPVT VII.

Multiplex, atque inſignis doctrina Antonij Querengi

HIc igitur ſuauioris diei horas eruditâ voluptate Cardinali condiebat; eo 1. præſertim anno, quo Cardinalem ipſum è Germania reducem Italia recepit: cuius ille anni haud modicam partem in Bracchiani ſeceſſu, atque amœnitate conſumpſit, vetuſti, ac nobilis Vrſinorum oppidi.

Duxerat forte ſecum tum Cardinalis Antonium Querengum Pontificiæ ſignaturæ Referendarium, eumdemqúe regnántis iam tum Pontificis Vrbani VIII. domeſticum Præſulem: vt amicum honeſtiſsimum ſplendida ruſticatione recrearet; nón minus ipſe tam lecto comite recreandus.

Et Querengus quidem vetus erat Vrſinorum cliens; non tantum quòd viridioribus annis Flauio Cardinali Vrſino ab epiſtolis fuerat; ſed etiam quòd arctam poſtea neceſsitudinem egerat cum Virginio Alexandri Cardinalis parente, in paucis literarum amico, & literatorum patrono. Quos inter literatos vix profectò aliquem habuit Romæ Aula, Querengo ætate æqualem, doctrinâ maiorem: ſeu ampliſsimam, eamdemque lectiſsimam reputemus viri eruditionem, ſeu interioris cuiuslibet facultatis notitiam, ſeu Græcæ iuxta, Latinæque, atque Ethruſcæ linguæ ſcientiam abſolutiſsimam: in quo trium linguarum cumulo pares, reor ſanè paucos, ſuperiorem vix aliquē ſuo æuo Querengus vidit.

Fuit illi tamen in ſcribendo ſtylus (quem latina, atque Italica eius carmina 2. præferunt) ſubtilis, gracilis, emunctus, ſánior, quàm robuſtior, ſummè lautus, non ſummè ſplendidus. Ne multa; is fuit Querengi ſtylus, in quo plura cum laudes, vix tamen aliud ſuſpicias, niſi hoc vnum, quod nihil in eo culpandum vel ſolertiſsimâ ſcrutatione deprehendas. Quo factum eſt, vt probatus magis fuerit, quàm lectitatus; ſuoque exemplo confirmauerit veritatem illius pronunciati, quod è Sauonenſi Pindaro Gabriele Cabrera ſæpius audiui. Poëſeos officium eſſe, vt legentium ſupercilia in altum curuet. Atqui familiaris 3.

Que-

Digitized by Google

Querengi ſermo is verò fuit, in quo amares cuncta, deſiderares nihil; docebat ſemper, placebat ſemper; & lenitas illa dictionis, quæ in ſcripturis, præſertim poëticis, faſtidioſiſſimum ætatis noſtrę palatum non expleuit, quaſi non peregrini ſaporis; illa eadem in familiari conſuetudine aures paſcebat dulcedine quadam, quæ nec primò libata ſegniter delectabat, nec continenter hauſta citò faſtidium afferebat; non exquiſitior ea quidem, at neque fatua, pariq; ſucci. Tum verò reſpergebat ille ſeueriores diſputationes quibuſdam facetijs adeo feſtiuis, vt, citra omnem dicacitatem aut licentiam, perinde ſeria condirent, ac limonum acor celebres illas Turcicorum Satraparum ſorbitiunculas. Ad ſummum, eiuſmodi erant, in quibus aliquod ſemper probi & plus quàm faceti ingenij lumen eluceret.

4. Patauij natus educatusq; fuerat Querengus: ibiq; à Speronio, ciue ſuo ac litteratorum per id ætatis facilè principe, inſtitutus; Ab eo propenſionem præcipuam hauſerat tum ad Platonicam doctrinam, tum ad moralem Philoſophiam, tanquam ad litteras inſignitæ venuſtatis, atque vnicè factas ad Poëſim valentiori ſanguine imbuendam; & ad Principum virorum familiaritates eruditè hilarandas. Eiuſmodi namque ſplendidiſſimis familiaritatibus ad vltimam vſque ſenectam Querengus floruit. Et huic vni, quantùm noui, ſummus qui regnat Pontifex Vrbanus VIII. coram ſe aſſidere permiſit, vbi Querengo ſenium ac valetudo ſtare iam non permittebant.

CAPVT VIII.

Cõſequẽtiũ ſermonũ inter memoratos viros fortuitũ initium.

1. Saracenus ergo memorabat mihi; dum Brachiani tum degeret, fortè contigiſſe, vt ſimul Cardinalis, ſimul Querengus, ſimul ipſe, quem vnum Cardinalis ea die de Aulicis ſuis acciuerat, curru aduecti, contenderint ad piſcatum viſendum, quem oppidani parauerant in proximo Sabbatino lacu ad Cardinalis oblectamentum. Accidit porrò, vt piſcatores aliquando effusè plauderent ex iactu inſigniter opulento. Tum verò Cardinalis, qui, vt literatorum mos eſt, citò eiuſmodi popularium ſpectaculorum pertæſus, modò per adſtantes poſſet, ad eruditas collocutiones confeſtim auocabatur; occaſionem arripuit ita Querengum compellandi.

Si verè Pythagoras eam animo geſſit, quam famâ vulgauit, opinationem à Platone receptam in ſuis de Republica libris; ſcilicet animas promiſcuè omnes habere vnitatem naturæ; ſed eaſdem ex vnius in alterius generis corpus commigrare; & pro noxis in præcedenti corpore admiſſis, conſequentis corporis ſpeciem ſortiri; ſi, inquam, Pythagoras arcana hæc non tantùm ore venditauit, ſed animo tenuit, cui-nam potiſſimùm crimini eum tribuiſſe interpretemur, quòd aliquæ animæ ex hominis forma in piſcem degenerarent?

Illæ forſan, Querengus reſpondit, hac mulctâ dignæ videri poterant, quæ non pro eo, ac debebant, vocis munus Reipublicæ impendiſſent. Quandoquidem proprium eſt piſcium, nihil planè vocales eſſe, ſi marinum, quem

Digitized by Google

appellant, vitulum excipias; à quo inconditi neſcio qui ſtrepitus, & ne hi quidem intra aquam, efferuntur. Nihil planè, inquam, vocales eſſe, proprium eſt piſcium: vtpote qui ſunt non ijs tantùm vocibus expertes, quæ ab Ariſtotele dicuntur *ſermo*, quęque, vt idem ait, ex hominum pacto ſignificant id, quod propriè bonum aut malum vocatur, ſed illis itidem vocibus, per quas belluæ natiuo inſtinctu internas affectiones demonſtrant, quæq; iucundi aut moleſti ſunt argumenta.

1. Politic. c. 5.

2. Siquidem ex virtute prorſus oppoſita huic deſidis taciturnitatis vitio, Socrates apud Platonem Phædro narrat poſt Muſas exortas mortalium aliquos diuinâ illâ cantus dulcedine tam impotenter captos, vt aſſiduè cantitantes, cibum ipſum, atque aliam quamcunq; tum rei familiaris, tum corporis procurationem negligerent. Cuius ſtudij pręmium à Muſis accepêre, vt in cicadas, nihil cibo indigas, verſi, perpetuò concinerent; & mortalium curas atque æſtum alleuarent: ſimul, eorundem mortalium ſtudijs & ſermonibus obſeruatis, referrent, quem potiſſimùm huius vel illius Muſæ ſtudijs deditum dignouiſſent.

Plato in Phæd.

CAPVT IX.

Quæritur ſitne bonũ honeſtum diſtinctũ à iucũdo: Rationes pro parte affirmãte

1. Platonis fabella, inquit Cardinalis, perlepida eſt, pro illius Philoſophi more; qui, intelligens quàm imbecillæ humano ingenio ſint vires ad concoquenda alimenta paulò grauiora, commodè temperat ſubliniores meditationes, tanquam fumoſa cretica, eiuſmodi hilaritatibus, quaſi oligophoro leni ſimul & mordicante. At mihi negotium faceſſit illud Ariſtotelis effatum, quod antea laudaſti. Putas-ne tu, Querenge, ſi preſſiùs loquendum ſit, re ipsâ diuidi poſſe inuicem duo illa bonorum genera, quæ ab Ariſtotele ibi tanquam diſtincta numerantur? Ego enim, cùm ſæpè rem hanc intentiore animo perpenderim, ægrè rationem inuenio ſecernendi prorſus bonum illud, quod ſine exceptione *bonum*, ſeu quod *honeſtum* appellatur, à iucundo. Quod ſi nunc à te, in Ethicis tam erudito, quî hoc explicari poſſit, addiſcerem, næ ego viderer mihi in hodierno piſcatu cepiſſe myſticum illum Tobiæ piſcem, qui diutinam cæcitatem meam lucis munere ſanaret.

Tum Querengus. Ipſe potiùs, reor, cæcus ille Tobias fuerim; ei ſcilicet vt ætate, ſic & morbo ſimilior; eoq; magis cæcus, quòd hac in re meæ mihi tenebræ adhuc latent. Quandoquidem hominis natiuâ eâdemq; immedicabili cæcitate laborantis proprium eſt, hoc ipſum ignorare, quòd lux aliqua ſibi inaſpecta reperiatur; ni hoc cæcus homo ex alijs reſciret.

2. Enimuero ambigere, num honeſtas ac iucunditas idem ſint, perinde videtur mihi, atque in dubium vertere; num inter Epicuri hæreſim, & Zenonis Porticum ſuper natura Boni conueniret. Honeſtè tum agebat profectò Carolus V. Cæſar, cùm in ſe Proteſtantibus Germaniæ Dynaſtis bello furentibus, nullum mortis gradum extimeſcens, in prima fronte depugnabat, nihil repulſus horrore commilitonum vndique circum ſe fulmineis hoſtium tormentis repente defla-

Digitized by Google

deflagrantium. Honeſtè tum agebat Alexander Farneſius, cùm in Antuerpienſi obſidione ſuper eo admirabili ponte, quo ille Scaldem occluſerat, veſtigium ſeruauit interritus; aduerſùm Veſuuios illos natantes, vorantesquè atrociter lectiſſima Catholicæ pubis robora, quin & Alexandrum ipſum proſternentes ſeminecem, nec aliâ ferè animâ, quàm ſuâ magnanimitate viuentem. Nec adeò ſuſpicabitur quiſpiam, hæc eadem facinora, perinde atque honeſtate præclara, ſic fuiſſe iucunditate ſuauia.

3. Quidni?. Saracenus tum interceſſit; ea vſus libertate, quæ ſæpius imperata, non tantum conceſſa ſibi fuerat à Cardinali, miſcendi ſe, quoties videretur, literarijs collocutionibus: quippe tum ex innata Principis facilitate, tum vel maximè, quoniam in diuturna conſuetudine prægrauat Magnates ipſos reuerentia, quā alijs imponunt, haud leuiùs ac ſubiectos, quibus imponitur. Quidni? inquam, Saracenus interceſsit; An non putas plus iucunditatis inueniſſe iſtiuſmodi Heroas, dum facinora patrabant, plauſum è Cælo, admirationem ex ipſis hoſtibus, ex vniuerſæ poſteritatis fama immortalitatem receptura, quàm Sardanapalum dū in pudendæ voluptatis cœno volutabatur. Vulgatum eſt Lyrici dictum, qui *pro patria mori*, non *decorum* modò vocat, ſed etiam *dulce*. Meminiſti vtique, Solonem, hoc eſt Græcorum ſapientiſsimum, à Crœſo interrogatum quem ipſe potiſsimum fælicem cognouiſſet, Tellum Athenienſem incunctanter reſpondiſſe, Imperatorem ſcilicet in prælio pro victrice tum patria cæſum. Cuius fęlicitatis geminam (vt de priſco illo Epaminonda nunc ſileam) vidit ætas proxima in Anneo Momorantio; qui poſt prælongam clariſſimorum factorum ſeriem propter quæ à Ronſardo in Apotheoſi Henrici Regis ex copulata fortitudinis, & prudentiæ laude Neſtori coæquatur; obijt in ſinu Victoriæ ab ſe ad ſanctum Dyoniſium Chriſto, ac Regi partæ. Quem porrò exitum præ omni anteacta vita iucundiſsimum ſibi contigiſſe, ipſe tum geſtiens demonſtrauit. Nec verò mihi ſuadeam tantumdem ei iucunditatis tum obuenturum fuiſſe, ſi longiſſimam vel ceruorum vitam ex integro, ſed cum ceruorum timiditate coniunctam nactus eſſet, inter Adonidis hortos, aut Heliogabali delicias conterendam. *Herodot. lib. 1.*

Alia longè ſunt, Querengus occurrit, affirmare, poſitâ iam operis honeſtate, eius honeſtatis aſſequendæ cogitationē qualibet ſenſuum voluptate iucundiorem eſſe: atque affirmare bonum honeſtum à iucundo non diſtingui. Proculdubio, confodi, occumbere, non res iucundæ ſunt, ſed peracerbæ; & ni peracerbæ, non tantum laudis deberetur viris illis honeſtam ob cauſam iſta perpeſſis. Laus quippe aurum imitatur, quod plurimùm inter aſpera naſcitur. Vt ergo Tellus, ac Momorantius iucunditate fruerentur ex vulnerum ſenſu, & ex morte iam iam ingruente, prænoſcenda eis fuit eximia honeſtas rerum iſtiuſmodi propter attributa, ſiue, vt planius loquar, circūmſtantias, in quibus ipſi tum verſabantur: ex qua ſubinde notione voluptatem decerperent,

Digitized by Google

dum ſe tam pulcræ honeſtatis luce coruſcantes meditabantur. Itaq; oportuit, res huiuſmodi acerbas eâ condecorari honeſtate, quæ nullâ ex voluptate penderet; ſed ipſi poſtmodum honeſtati ſuperuenientem voluptatem incumbere. Ita nimirùm, vt ſi fingamus viris nuper laudatis nullam ex ijs rebus geſtis voluptatem emerſuram; illas nihilominus virtutis, atque honeſtatis decus retenturas fatendum ſit: at ſi contra nulla eiſdem rebus ineſſet honeſtas, ac virtus, nullâ eædem pariter voluptate dulceſcerent. Et verò hæc voluptas, quam haurit vir egregius ex commentatione partæ ſibi virtutis, ea demum voluptas eſt, quam Horatius loquitur in verſiculo quem laudaſti. Hanc vtique voluptatem Cicero, Seneca, atque adeò Stoici omnes loquebantur, dum aſſeuerabant, virtutem per ſe affatim ad beandum ſufficere, & virum fortem, vel equuleo impoſitum præ gaudio exclamaturum: *ô quàm bellè mihi eſt!* Atqui aliò ſpectabant niſi fallor, Illuſtriſſimi Cardinalis verba, dum dixit ſibi non ſatis liquere, honeſti, iucundique diſcrimen. Indicauit enim aliquam ſibi rationem occurrere communi ſententiæ contrariam, quod neutiquam ita eſſet, ſi ei cum hac, quam explicaui, doctrinâ conueniret. Neque verò, ſi Cardinalem intus noui, quorundam ipſe libidinem gerit; qui ab reliquis re cum nequeant, verbis certè diſcrepare geſtiunt, & indecorum putantes approbare quod alijs placuit, incanas iam ſenio ſententias iuuenilem in ſpeciem perſonatas exponunt. Hæc poſtrema verba paulò viuidiùs, ac tantum non concitatè Querengus enunciauit; vtpotè qui more literatorum ſenum, iuuenes volebat non ſubſcriptores tantum pedarios, ſed religioſos pœnè cultores veterum ſententiarum; tum eos vel maximè inſectabatur, qui defectionem à veteribus falsâ vocabulorum ſpecie ſibi quaſi laudem arrogabant.

CAP. X. *Rationes ſuadentes honeſtatē à iucunditate nihil diſtingui. Et primùm demōſtratur, nullū bonū morale diſtingui à quolibet bono phyſico.*

At Cardinalis ingenua quadam modeſtiâ ſic fermè ſermonem reſumpſit. 1. Haud vtique fallèris, Querenge. Pudet me, nedum glorier, vbi noua quæpiam ſententia mihi animo innaſcitur; nempe damnem citiùs tunc ignorationem meam, quæ mihi rationes inobſcurat doctrinæ diu iam probatæ in literatorum Academijs, quàm tot ſumma ingenia eidem doctrinæ ſuffragata. Equidem veritatem potiri præopto, quàm inuenire: proinde non diſplicet quin delectat, ſi quando, quod mihi obuerſabatur, id ipſum à viris doctis, ita exiſtimatum reperio. Hi enim videntur mihi tum, non aduerſarij, qui adimant, ſed teſtes, qui confirment nutantem antea poſſeſſionem meam. Non in verbis igitur, ſed in re continetur dubitatio, quam indicabam. Et ne videar, non dicam indoctus, quem vltrò me fateor, ſed adhùc temerarius, quem prorſus me nollem, permitte vt altiùs aliquantò repetam initia dubitationis meæ.

2. Principio id pono. Honeſtum Bonum, ſeu *morale* vt vocant, non eſſe quoddam bonorum genus ſecretum ab illis bonis, quæ ſuo nutu expetenda ſunt, vel ſi nullo virtutis, atq; honeſtatis decore præfulgerent, & vel ſi, præter omnem

omnem electionis, & arbitrij noſtri operam, dumtaxat naturæ, aut fortunæ beneficio in mortales delaberentur, quæque ob id *bona phyſica* nuncupantur in ſcholis. Hoc vtique indubium reor. Etenim honeſta bona ſunt, exempli causâ, patriam tueri, ius ſuum cuique tribuere, benemerentibus beneficia rependere, miſeris opitulari, & alia id genus. Iam quid eſt denique patriam tueri, niſi operam dare vt in ea libertatis bonum conſeruetur? Quid eſt ius ſuum cuique tribuere, præterquam ſic agere, vt per nos liceat vnicuique pecuniam, honorem, aut aliud quodpiam eiuſmodi bonum ſibi debitum vſurpare? Ad extremum, quid eſt, gratum ſe benemerentibus, vel miſericordem calamitoſis exhibere, niſi eis quippiam boni aſpergere, veluti quippiam rei familiaris, aut honeſtamenti, aut ſolatij, aut rei cuiuſpiam eiuſdemmodi? Porrò quæcunque annumeraui, ſcilicet libertas, pecunia, honor, ſolatium, ſuâ vi poſſeſſori ſunt amabilia, vel claritudine quacumque honeſtatis detractâ. Neque verò in honeſtis operibus eſſe id opus poteſt, quod nulla iſtiuſmodi bona, vel ipſius operis auctori, vel alijs machinetur. Quis enim honeſtum vocet opus nemini proficiens, ac ſalutare? Quocirca indagandum antea eſt, quas vtique res complectatur hæc Boni appellatio infinitè accepta, & pertinens per omne id, quod eſſet optabile, licet arbitrij libertas inter mortales degeret nulla, nec ipſi mortales proinde virtutis, atq; honeſtatis nomen ipſum, nedum facultatem accepiſſent. Tum deinceps aliquæ eiuſmodi rerum in quibuſdam certis attributis deligendæ ſunt, quæ honeſtatis titulo deſignentur. Dasne mihi hoc tu Querenge? Ni enim in re, vt arbitror, aperta diſſentiamus, nihil opus eſt vt multus ſim in ea confirmanda.

3. In hoc profectò conſentimus, ille reſpondit; quin etiam cunctæ, quà veterum, quà recentiorum ſententiæ in idem concordant. Græcis quidem proprium vocabulum huic noſtro *boneſtum* (vtor hoc vocabulo non quatenus idem valet ac honorificum, ſed quatenus bonum honeſtum ab Ethice conſideratum ſignificat) Græcis, inquam, vocabulum huic vocabulo reſpondens planè defuit. Rem verò huic vocabulo ſubiectam aliàs *bonum abſolutè* dixerunt, veluti Ariſtoteles loco à me nuper laudato; quod ſuffragari videtur conſtituentibus naturam rei honeſtæ in exuperantia boni ſupra malum omne, quod rem illam comitetur. Aliàs vocitarunt *iuſtum* velut ibidem ipſe Ariſtoteles, quaſi ad eorum opinionèm, qui ſubſtantiam honeſtatis volunt eſſe conſenſionem cum iure, ac lege, alij quidem cum exteriori lege humani, aut diuini Rectoris, alij cum lege illa interiore, quam in animi noſtri Regno Rationis tabulæ promulgant. Aliàs denique nuncuparunt hoc idem *pulchrum*, ſeu *præclarum*; quæ appellatio ad eorum exiſtimationem inflectit, qui honeſta ponunt omnia, & ſola bona tantæ nobilitatis, quæ meritò humani celſitatem animi in amorem rapiant.

4. Cæterum ſatis conſtat, quandoquidem in nobis natura eſt quid antiquius,

acno-

Digitized by Google

ac notius virtute,hanc ex illa tum re,tum notione pendere. Principio quidem exoritur homo, & in hoc terrarum domicilio alias atque alias reperit rerum claſſes. Aliquæ illarum ſuopte ingenio gratæ, amorem inſinuant; aliæ inuiſæ odium atque abominationem irritant. Illas proinde *bona*, iſtas mala denominat. Verùm hi duo inimiciſſimi latices è gemino illo apud Homerum cado vix dum elapſi protinus mutuo confunduntur, antequam de cœlo in hæc mortalia deuenerint, ac proin plerumque vni & eidem rei adhærent commixti. Idcircò quando in hiſce regionibus ſub Luna iacentibus nullum inuenire licet bonum cuiuſlibet malitiæ purum, non quæuis malitiæ ſtillula odium illico in totum vaſculum iure prouocat. Item quando plura ſunt bona, quæ grauioris malitiæ virus infuſum habent, haud itidem quælibet ſtillula bonitatis meritò ſitim noſtram, hoc eſt, amorem ac deſiderationem irritat. Huc enimuero Virtutes,& ſcilicet Prudentia reliquarum magiſtra,ſubeunt; vt res illas nobis prodant & commendent,quas à nobis amari par eſt: quæ res *honeſta bona* vocitantur.

Iliados lib. vlt.

CAP. XI *Explicatur nomē voluptatis. Oſtenditur ꝙ arduum ſit dignoſcere veros fines noſtrarū appetitionū. Probatur nihil præter operationes animæ vt finem expeti.*

Qvando, Cardinalis ait, non tantùm quod rogabam, largitus es: hoc eſt, bonum honeſtum in eo bonorum agmine verſari, quæ naturâ deſiderabilia ſunt,ante vllam honeſtatis notionem nobis exortam, ſed præterea hoc idem tam luculenter, tamque eruditè comprobaſti, perinde quaſi volueris, id accipiam à te iure meo, non beneficio tuo: porrò pergam, idque euincere conabor, nihil eſſe naturâ deſiderabile præter iucunditatem. Quod ſi obtinuero, ex hiſce duobus primis neceſſariò tum erumpet illud tertium, quod moliebar,ſcilicet honeſtum bonum à iucundo minimè diſtingui. 1.

2. Liquet duos eſſe bonorum ordines. Altera quidem bona *fines* nominantur, ſuo videlicet nomine optabilia, licet omni ſeparato emolumento, quod ex ipſis manet. Altera dicuntur *media*, quæ ideo expetuntur, quia conducunt ad comparandum aliquod ex illis bonis, quæ ſua ſponte deſiderabilia ſunt, & quæ *fines* appellantur, vt dixi. Exemplum vulgò petitur ex bona valetudine ac pharmaco. Bona enim valetudo ſuo meritò à mortalibus appetitur: at pharmacum, quamuis interdum alio ex orbe requiratur per ingentes labores ac ſumptus, non tamen alio titulo amabile eſt, niſi quia bonam valetudinem efficit. Quòd ſi hanc efficacitatem poneret,confeſtim non auidiùs quæreretur aut præcipuus Orientis Behazar, aut Africani Monocerotis cornu, quàm illa reiectanea, quæ Teſtaceum Romæ montem coagmentant.

Iam verò dum aio,ſolam iucunditatem eſſe naturâ bonam,optabilemque, ſanè hæc nomina *bonum* atque *optabile*,intelligo tanquam finem,& gratiâ ſui. Ex hoc enim probato confeſtim emergeret, rem nullam ne vt medium quidem eſſe optabilem ac bonam, niſi alicuius iucunditatis nomine,quam res illa moliatur.

Super

3. Super hæc, iucunditatem hîc intelligo vniuerſim affectum quendam, & quaſi complexum ſuauem & quietum (in quacunque demum appetente facultate ille ſit) rei amatæ præſentis: qui vtique affectus in appetitu ſentientis animæ, quem appetitum *inferiorem* vocant, voluptas dicitur: at verò in appetitu animæ intelligentis, qui *ſuperioris* nomen ſortitur, gaudium nuncupatur. Verùm in ſermone, quem paro, indiſcretæ mihi erunt tales voces; & illæ, iuxta ac *lætitia, delectatio*, aliæq; eiuſdemmodi latiorem illam apud me ſignificationem obtinebunt, quam prædixi. His poſitis rem ipſam aggredior.

4. Non ita in expedito eſt ea bona internoſcere, quæ ſuo merito, ac tanquam votorum fines petuntur. Memini, Hyppocratem in prælonga ad Damagetam epiſtola denarrare, aduocatum ſe ab ciuibus Abderitis ad curandum Democritum; qui, vt erat quàm ſolitarius, riſorq; perpetuus, vulgo inſanus habebatur. Verùm poſtquam hoc præclarum Philoſophorum par mutuo colloquio vſum eſt, memorat Hippocrates, repertam à ſe in Democrito non inſaniam, cui mederetur, ſed ſapientiam, quam admiraretur: & nominatim riſum illum Democriti, non modò non inſanum, ſed profectum è ſolertiſſima notatione vulgaris inſaniæ, ſuper qua Democritus tum ſcribebat, cùm Hippocrates ad eum adijt, quaſi inſanum ſanaturus. Refert Hippocrates in rem noſtram, Democrito cachinnos irritaſſe inter cætera, quòd homines tam anxiè multa conquirerent, neſcij tamen ipſimet, quem denique tanta ſollicitudine finem quærerent. Soli cuiuſpiam dominus (aiebat ille) impenſo labore humum exenterat, vt argentum ibi à natura conſepultum exſuſcitet, atque ex terra parente noſtra terram nobis inimicam educat. Deinde permutat effoſſum argentum in aliud ſolum, ibiq; ſemen ſpargit, impendens operam, vt ex eo vberem tritici meſſem eliciat. Tum verò commutat demeſſum triticum in aliud argentum; quod iterum in aliud ſolum permutat; in quo ſubinde id ipſum præſtat, quod in priore, & ſimiliter deinceps. Iam quis, rogo (dicebat Democritus) finis ille eſt, cui huiuſce hominis labores inſeruiunt? Si ſolum;
5. cur ergo ſolum ipſe proſcindit? Si argentum; cur argentum in aliud ſolum ipſe permutat? Si triticum; cur hoc iidem permutat in aliud argentum? Ita Democritus diſſerebat.

Atqui hæc ratio demonſtrat, re ipſa nullum ex ijs tribus finem eſſe ſua ſponte deſiderabilem: Fingamus namque ſolum penitus infructuoſum, vel tale, qualem agrum comminiſcitur Plautini ſenis calliditas, in quo *frumenti cùm alibi meſſis maxima eſt, tribus tantis illic minùs redit, quàm obſeueris.* Quis, rogo, iſtius agri poſſeſſionem deſideraret; niſi, ſi fortè poſſent in eo conſeri mores mali, vt ſapiens ille Plautinus ſenex opportunè reſpondit? Poſt id fingamus, quemadmodum infante adhuc mundo, poſt ferrum habebatur aurum, quippe ferro inutilius, vt Lucretius eſt auctor; ita nunc homines vniuerſos aurei, argenteique nummi æſtimationem planè omnem abijcere, *Lib. 5. uſ lōge à fine*

 neque

neque iam aliquem inueniri, qui cum iſtiuſmodi ſuperuacuæ materiæ aceruo, vitioſam nucem permutare velit. Tum ſanè demens videretur, ſi quis deſudaret in pecunia congerenda, qua tantùm poſſet

Horat. li. 1. ſat. 1. *pictis tanquam gaudere tabellis,*

vt Auaro Satyricus exprobrat. Ad hæc, fingamus homines, atque adeo animantes omnes paſtos à Ioue nectare illo, quod, vt in fabulis eſt, immortalitatem inferebat, itáque nihil vltra eos cibo indigere; dic, amabo, an tum *Quidquid de Lybicis verritur areis*, Lybicis ipſis arenis optabiliùs videretur?

Veruntamen ſi conſideratione diſcurramus per alia itidem bona, quæ humanis cupiditatibus adorantur, vix vlla comperiemus, quæ per ſe, & detracto quolibet fructu, non cenſerentur contemnenda. Nummus quidem, vt nuper dixi, quæritur duntaxat tanquam vtilis ad alia bona comparanda. Quocirca ſapienter Poëta, decolorem eum prorſus ait, niſi temperato vſu ſplendeſcat.

Hoc loco Querengus, quippe Græca ſemper in promptu habens: Id, inquit, animaduertentes Græci, hoc eodem vocabulo, χρήματα *vtile* pariter, ac *pecuniam* notauêre. At perge, obſecro; nam ſi maximè aliud nihil per ſe expetendum eſſet, eſſet quidem, te ſic diſputantem audire.

Nihil ad laudes iſtas, Cardinalis ait, ne alioſum eas interpretari videar, quàm tanquam argutias tibi ſuggeſtas ex materia, non ex forma orationis meę. Pergo igitur. Gloria ipſa, quæ certatim coëmitur præclariſſimi mortalium 6. ſanguinis pretio, quàm nihili eſt, ſi ſola ſpectetur? Lateant quempiam omnino laudes ſuæ, nullumq; à laudatoribus beneficium accipiat vnquam; an fœlicior videbitur, quàm ſi planè illaudatus? Non gloria ipſa vi ſua, verùm gloriæ præſentis notitia, aut futuræ ſpes aliquid fœlicitatis aſpergit. De cætero ſcitè Venerius veſter cecinit, nihil poſthumam gloriam conferre nunc Annibali, quippe ſuæ immortalitatis voluptati iam emortuo.

Perge porrò; Speciem ac decorem corporis aliqui extollunt quaſi diui- 7. nitatis radium in nos delapſum. Fac verò, ſpecies illa, quæ nunc vt decora oculos rapit, mutato repente oculorum ingenio, eoſdem vt informis offendat. Fac vniuerſis gentibus conuenire cum Commorinenſium viſu, quos oris nigritudo peræquè oblectat, atque Europæos candor. Quocirca Deos, vti pulcherrimos, ita & nigerrimos rati, Deorum ſimulacra identidem perungunt oleo, vt non atra ſint modò, ſed etiam tetra: enimuerò ſtatim quilibet Æthiopem ſe deſiderabit: carbones ori fucando medicamenta præſtabunt; Dæmones tum ita candidi pingentur, ſicuti nunc Angeli pinguntur. Ergo non color ille gratiâ ſua nunc expetitur, ſed gratiâ cuiuſpiam emolumenti, quod nobis parit.

An integra valetudo, vitæq; diuturnitas ea bona ſunt, quæ ſua vi placent 8. nobis? Nec illa quidem, vt reor. Integra valetudo nihil eſt tandem, niſi humo-

Digitized by Google

morum temperatio apta ad vitam propagandam, & ad vitæ munera expeditè obeunda. Has igitur vtilitates ab ea ſecernamus; & putemus hominem, qui humoribus belliſſimè, atque ad Galeni votum à natura ſit temperatus, quàm citiſſimè enecandum; & quoad vixerit, continenter diſcruciandum; atque à vitæ muneribus inhibendum: an hic homo inter miſerias numeraret, ſi deteriorem paulò corporis habitudinem ſortiretur? Sit quiſpiam velocior pedibus quàm Achilles, ſed ad perpetuas damnatus compedes; an cum eo melius actum interpretabimur, quàm cum claudo? Hæc de bona valetudine.

Iam de vita. Fac immortali vita quempiam donari, ſed peragenda in perpetuo veterno, eoque tam ferreo, qui altricis tantùm facultatis functiones permittat. Hac enimuerò immortalitate denunciata, nihilo ſe fœliciorem ille cenſebit, quàm ſi funditùs deleretur.

9. Tum Querengus. At viuere eſt vitaliter agere, inquit Ariſtoteles, ita vt meritò in veternoſos enunciauerit Plinius, *Vita vigilia eſt*. Iſte igitur, ſi perpetuò dormiret, haud vtique viueret, quod tamen tu poſuiſti. Sed, quid ſis reſponſurus, iam præſumo. *Plin in ep ad Veſp.*

Præſumeret id ſanè, Cardinalis reſpondit, ingenium quoque longè ſegnius quàm tuum. Producto nuper argumento id ſolùm contendi, vt remouerem ex ordine bonorum ſuo merito expetendorum vitam illam conſiſtentem, quam Philoſophi vocant *in actu primo*, & quam viuere dicuntur mentes hominum vel arctiſſimè dormientium. Nam altera quidem vita, quæ in ſingula momenta variatur, appellaturq; *in actu ſecundo*, quippe quæ in ipſis actionibus viuentium proprijs continetur, ea porrò eſt, quam mihi ſepoſueram poſtremo loco examinandam.

CAP. XII Inter altricis, aut cognoſcentis facultatis operationes nullã eſſe, quæ appetatur, vt finis.

1. Conſtat vitales operationes tripartitò diuidi. Aliquæ ad altricem facultatem attinent; ad cognoſcentem alteræ; ad appetentem tertiæ. Quæ partitio in rem præſentem mihi aptiùs cadit, quàm ſi eas pro triplice vitæ gradu diſtinguerem, hoc eſt, nutricationis, ſenſus, & mentis participe.

Altricis facultatis eſt enutrire, augere, progignere. Atqui functiones iſtæ vniuerſæ, vt liquet, ſuo nutu referuntur ad vitam (loquor eam vitam, quam prædixi nuncupatam *in actu primo*) ſcilicet vel ad vitam illius animantis, à qua eiuſmodi functiones peraguntur, ceu nutricatio, atque auctus, vel ad alienam vitam, ceu generatio. Media ergo non fines ſunt. Quod ſi vita ipſa per ſe optari digna non eſt, ſed in vlteriorem finem refertur, vt probare ſtudui per exemplum illud immortalis hominis, ſed æternùm conſopiti; minùs adeo per ſe optabiles erunt functiones illæ, quæ nihil boni continent, niſi vt ipſi vitæ deſeruiant. Quapropter in Angelis, vtpote naturâ immortalibus, iiſdemq; à primo exortu perfectis, nec generi propagando idoneis, non ærumnam, quin fœlicitatem cenſemus abſolutiſſimam, quam habent ab hiſce altricis animæ functionibus immunitatem.

'Aliud porrò genus vitalium operationum ſitum eſt in cognitione. 2
Cognitio autem omnis peragitur aut per externos ſenſus, aut per ſenſus interiores belluis etiam conceſſos, aut per incorporeas facultates vnius hominis proprias.

At nec ipſa cognitio ſuâ causâ optari videtur. Principio id in ſenſuum externorum cognitione perſpicuum eſt. Animantes vtique aliâ gratiâ ſenſibus inſtructæ ſunt, quàm vt ſentiant modò. Id verò primùm oſtendam in ſenſibus illis, qui latiùs pertinent per quodlibet genus animantium. Videmus quidem guſtandi ac tangendi ſenſus vnicuique animantium tributos; quippe ad vniuſcuiuſque conſeruationem neceſſarios. Cùm enim animal nullum ſine alimento conſeruari poſſit, cùmq; non ſingula peræquè alimenta ſingulorum naturæ congruant, opus fuit, vt antequam animal cibos aut potiones in viſcera inferret, ex idoneo alicuius teſtimonio intelligeret amicos vtique ſe, non aggreſſores inferre. Id verò teſtimonium habetur à ſapore, qui ſalubribus alimonijs iucundus, noxijs verò moleſtus ineſſe conſueuit; quamuis in raro quopiam euentu, ac præter naturæ ordinem, & *per accidens*, vt aiunt, oppoſito modo res contingat. Siquidem Natura leges ſuas quidquam inuertere aut nequiuit, aut certè noluit, vt euentis illis conſuleret, quæ per accidens exiſtunt.

Nec minùs tangendi vis cuilibet animanti perneceſſaria fuit. Res enim 3.
quæ tactu tenentur, ſunt quatuor illæ principes qualitates, quibus animalis cuiuſcunque vita continetur. Quare hic nominatim ſenſus ſentientis vitæ fundamentum eſt; eoq; animal definitur, vt Ariſtoteles docet; obſeruans, ſi quæ *3. de anima c. vlt.* ſenſilia vehementiora in alios ſenſus incurrant, eorum duntaxat ſenſuum organa labefactari, veluti nimia lux viſum, ſtrepitus nimius auditum corrumpit; odor, ſi grauior fuerit, cerebrum ad munera odorationis obtuſum reddit; ſapor denique aut prædulcis, aut amarior præcedentis edulij, efficit ne palatum nobis ſapiat ad conſequentis ferculi ſaporem dignoſcendum. At vehementius quoddam tactile, veluti acerrimus calor aut frigus, non modò vim ipſam tangendi, ſed eâdem operâ animalis vitam funditùs perimit.

Guſtationis igitur, tactionisq; vis ex cauſis nuper enumeratis peruagatur 4.
per animantia quæcunque, vel per ea, quæ ſaxis affixa, & veluti media quædam plantarum, animaliumq; confinia, Græcè ζωόφυτα quaſi *plantanimalia* nuncupantur; quibus natura ſolùm impertijt contractionis ac dilatationis ſpontaneum motum: quo motu à noxijs refugerent, proficientibus adhæreſcerent.

Alij verò ſenſus, videlicet viſus, auditus, odoratus, ijs tantùm animalibus 5.
conceduntur, quorum incolumitati fuerant opportuni. Et hæc nominatim animalia illa ſunt, quibus congruens paſtus non ibi naſcitur, vbi ipſa naſcuntur; ideoq; ad illum parandum greſſu indigent. Vt enim eiuſmodi animantibus conſuleretur, ſenſus aliquos Natura conſtruxit, qui ſenſus non tantùm finitima perciperent, quemadmodum guſtus & tactus; ſed vtique remota. Tales enim ſenſus

Digitized by Google

ſenſus eò dirigunt animantis greſſum, vbi concupitum nutrimentum eſſe coniijciunt; & ea interpoſita corpora vitanda præmonent, quæ ni vitentur, animantem offendent. Hæc omnia, quæ dixi, teſtantur, ſenſuum operationes à Natura inſtitutas, non quia eas per ſe adamauerit, ſed quia tuendis animantibus accommodatas intellexit: ideoq; eaſdem in ſomno abrupit, quo tempore videlicet eundem naturæ finem non promouiſſent, ſed perturbaſſent.

6. Neque pariter (quantum coniectare nobis licet) in earum cognoſcentium facultatum internarum opificio, quas belluis etiam natura conceſſit, & quæ *ſenſus interni* dicuntur, aliud illa quæſiuit, quàm animantis vitam tueri; & quod vitæ finis eſt, voluptatem ac requietem ipſius animalis obtinere. Hi enim ſenſus toti ſunt in conferendis ſimul pluribus externorum ſenſuum notationibus, vt ex omnibus inter ſe compoſitis arguant, num res quæpiam ſalutaris an detrimentoſa cenſenda ſit, adeoq; num perſequenda an aſpernanda.

Hoc exemplo rem illuſtrabo. Oculus nunc interiori ſenſui renunciat, haud longè ex dextero latere adſtare quiddam lucidum, tenue, pyramidatum; alio nomine ignem. At verò tactus retulit aliàs eidem ſenſui interiori, rem eiuſdemmodi admotam corpori dolorem ciere. Quare ſimul ex recordatione talis præteritæ renunciationis à tactu delatæ, ſimul ex præſenti renunciatione, quam oculus defert, interior ſenſus colligit, ſatiùs eſſe haud progredi nunc dextrorſum; itáque imperat prodienti facultati, quam ſibi à natura ſubiectam & obſequibilem habuit. Quidni ergo conficiamus interiorum ſenſuum functiones animalibus à natura tributas non ſuâ ipſarum causâ & vt fines, ſed causâ conſeruationis, voluptatis & quietis, adeoq; tanquam media?

7. Occurrunt ergo iam cognitiones mentis, quarum duplex genus eſt, vt Ariſtoteles vidit.

Aliæ quidem *practicæ* dicuntur, quæ vox Græcè tantundem ſonat, ac apud Latinos actuoſæ. Et licet in practicæ cognitionis definitione Philoſophi diſſideant, eam hîc ſumo huius rei definitionem, quæ probabilior mihi eſt; quin ad litem omnem præcidendam denuncio eas tantùm cognitiones, quæ tali definitione continentur, mihi in præſentia practicas appellari. Hoc eſt illas, quæ cognoſcenti ſuggerunt, expedire vt ipſe aliquid ſuo ex arbitrio pendens vel ſumat, vel repudiet.

Et hæc pariter cognitionum ratio, quippe quæ ad opus tota refertur, medium non finem ſe indicat. Quæ proinde cognitiones ab Ariſtotele comparantur homini ſeruo, agenti nimirum quæcunque agit non ſua gratiâ, ſed domini. *lib. 1. c. 2.*

Aliud cognitionis genus *ſpeculatiuæ* nomen induit, quæ cognitio in ſola obiectæ veritatis contemplatione quieſcit. Hæc enimuerò neque conſeruationis gratiâ eſt, quippe data immortalibus quoque mentibus, adeóq; nullius rei indigis, vt conſeruentur; neque pariter eſt gratiâ cuiuſpiam actionis, quippe ſpecu-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſpeculans plerumque immutabilia atque æterna, in quæ actio quæpiam noſtra non cadit.

Nihilominus hæ item cognitiones videntur alium quempiam finem reſpicere, nimirùm delectationem, qua ſublata ne illę quidem eſſent expetendæ.

Eurip. in Hippol. act. 1. ſc. vlt.

Hoc vt planiùs intelligatur, reputemus, ſi placet, Phædram tum, cùm veſanæ perturbationis furijs agitata proponitur nobis ab Euripide vnum atque idem ſimul percupiens, ſimul peroſa, & ſexcentis inuicem pugnantibus cupiditatibus conflictata, vt lenimen aliquod impotentis mœroris exquirat; ſed per venenati animi toxicum linimenta quæcunque pari ſemper amaritie ſibi contaminans. Fac Palladem, hoc eſt Patronam illius Ciuitatis, quam Phædræ maritus truci ſanguinis vectigali exoluerat, ad Phædram deſcendere, eiq; reconditiſſima quæque philoſophiæ myſteria retegere, quin tamen interiores illæ animi Erynnes mitigarentur. An idcirco imminutam proſperitate aliqua Phædræ infœlicitatem interpretabimur? Id ſi eſſet, non minimam proſperitatis partem ipſi Dæmones delibarent; adeoque plus cæteris eorum nequiſſimus; qui vt naturâ, ita & cognitione reliquis præſtat. Et tamen liquet cum Oceano illo amariſſimo nullam dulcis aquæ guttulam admiſceri. Non igitur ſua vi cognitio partem vllam fœlicitatis continet, ſed optabilis eſt duntaxat illius oblectationis nomine, quam ſecum ducit. Sic amici beneficium habetur earum rerum cognitionem ab amico auertere, quæ cognitæ huius animum contriſtarent: atque id vtique in dolis bonis à Chryſoſtomo numeratur. Quid plura? Ipſimet Stoici, ac Tullius præcipuè, vbi efficere contendunt, mortem contemnendam, vel ab alijs, qui moriente homine ipſam animam funditùs tolli arbitrarentur; id maximè inculcant, vitam moleſtijs conſitam, voluptatum inopem eſſe; ita vt vitæ amotio plus lucri afferat in moleſtiarum detractione, quàm damni in voluptatum iactura. Ergo vel ab ipſis Stoicis voluptas ac moleſtia ſupremæ illæ regulæ ſtatuuntur, quibus deſideria vel auerſationes vniuerſas ritè metiamur. Nec ijdem detrimento apponunt, orbari nos cognitionibus viuentium proprijs, ſi hæ huiuſcemodi ſunt, quæ permittant plus moleſtiæ, quàm voluptatis in viuentium conditione verſari. 8.

De Sacerdotio lib. 1

CAP. XIII.

Inter operationes quoq; appetentiæ facultatis atq; adeo inter omnia vnam volupta-

EN vobis amotas ex cenſu illorum, quæ vt fines, & ſuo nutu amabilia ſunt, res quaſcunque præter appetitiones. Has verò nihil opus arbitror oſtendere in vnam delectationem ſuapte natura collineare. 1.

Hoc vtique apertum eſt, ſubiecit Querengus; miſſis enim argumentis aliquantò longioribus, ita id breui concludi poteſt. Motiones cuiuſcunque facultatis, quæ poſſit quieſcere, quietem ipſam, vt finem reſpiciunt: veluti deſcenſus lapidis & volatus flammæ id contendunt, vt ille in terræ centro, hæc iuxta Lunæ orbem conquieſcat. Atqui cæteræ omnes appetitiones ſunt motiones

tiones animæ, & vna delectatio eſt animæ requies. Delectatio igitur appetitionum eſt finis. *Et gerere bonitatem finis.*

Tum Saracenus. Huc fortaſſe Apuleius reſpexit, non minor in philoſophia, quàm in fabulis, per myſticum illud commentum de Pſyche, humanam animam ſignificante, ceu nomen ipſum declarat. Cum enim ille Pſychen in Deorum concilio poſt multos exantlatos labores Amori deſpondeat; fabulam concludit, memorans ex eo connubio puellam editam, quæ *Voluptas* eſt appellata. Amor quidem affectus eiuſmodi eſt, qui per affectus vniuerſos pertinet, vt Aquinas obſeruat: quandoquidem vel ipſum odium habet implicitum in ſe amorem eius boni, cui repugnat malum odio inuiſum. Ergo ſi vnus fœtus amoris, qui conceſſis hymenæis & plaudentibus Superis animæ nupſerit, voluptas tandem eſt; quid aliud efficitur, niſi affectus vniuerſos, quippe amore ſemper imbutos, tanquam lineas eſſe, quæ in vnam voluptatem, quaſi in idem punctum ac centrum ſuopte ingenio ferantur. *1.2.q.28. ar.6.ad2. & q.29. art.2.in corpore.*

CAP. XIV.

Argumēta quæ probant honeſtū diſtingui à iucundo, & quāti ſit ad cuiuſpiam ſententiæ firmitatem euerſiones cōtrariorum afferre nō tātùm inuictas, ſed probabiles & luculentas.

AT verò cùm tu, Cardinalis Illuſtriſſ. bonis quidem pluribus dignitatem finis antea detraxeris, vnus adhuc de virtute locus reſtare videtur. Virtus enim & à delectatione differt, & ſola eſt quæ à Stoicorum vocibus bona ſalutatur.

Quid aliud virtus demum eſt, ſubijt Cardinalis, quàm amor, aut ſelectio boni honeſti? Si ergo planum feci, nullum bonum honeſtum à delectatione ſecerni, apparet vtique finem quoque virtutis eſſe delectationem.

Tum Querengus: Græci profectò ipſum Virtutis nomen à delectando traxerunt.

2. Veruntamen probè noſti, ad ſententiam quampiam ſtabiliendam, haud ſatis eſſe grauiſſimis eam rationum ponderibus confirmare, niſi præterea contrariorum argumentorum momento, quæ illam eleuant, liberetur. Non enim is Imperator vincet, quicunque pro ſe validum exercitum habet, ſed qui aduerſo validiorem. Tu quidem ingenioſè adhuc diſputaſti, delectationem eſſe finem omnium humanarum operationum, ac proinde eſſe id, quod per ſe duntaxat eſt hominis bonum. At è contrario nec Religio, nec ſapientum auctoritas, nec inſitæ naturâ notiones ambigere ſinunt nos, quò minùs bonum frequenter ſit placitis delectationibus abſtinere; & in biuio Herculis aliam eſſe mollem illam ſemitam, ad quàm Voluptas pellicit; aliam porrò arduam, ad quam Virtus inuitat. Indicant ſe mihi profectò multa, per quæ his reſiſti poſſet. Eas tamen defenſiones audire geſtio, quas ediderit ingenium tuum, quod hac vna in re nunquam expectationem fallit, vt ſemper inexpectatum aliquid proferat.

3. Querengo plura dicere aggreſſo, Cardinalis, quaſi proprijs laudibus vltra ferendis impar, ſic eſt interfatus.

O quàm

O quàm verè ais, Querenge, ad ſententiam aliquam ſtatuendam plus momenti eſſe in enodandis quibuſdam oppoſitis rationibus, quæ primùm conſpectæ illicò mentem capiunt, quàm in ſubtilibus concluſiunculis architectandis; quarum fallaciam, etiamſi mentes noſtræ vbinam latitet, ignorent, non adeo illas vtcunque fallaces eſſe ignorant, quin eò acriùs eaſdem auerſantur, quò falſitatem veri ſpecie callidiùs perſonatam intuentur. Nullus etenim Vero, hoc eſt humanæ mentis amiciſſimo infenſior hoſtis, quàm Veriſimile, vt Cognatus ille meus acutè ait. Idcirco præclaris ingenijs conſuetum fuit non eò deſerere ſententias, in quibus veritatem agnoſcebant, quò aliquo aduerſo argumento ſeſe vix explicarent. Id vtique præſtat Ariſtoteles, vbi de corporum mole ac motione diſſerit: caſtigatq; ibi Zenonem, alioſque repudiantes in ea re ſenſuum experimenta & mathematicam euidentiam, quia oppoſitas rationes expedire non poſſent. Quam pariter laudem vir quidam pereruditus aliquando me audiente agnoſcebat in Franciſco Suario & Gabriele Vaſquio. Ambo enim in arcaniſſima illa diſputatione de libera Dei voluntate ad eam partem ſe adiecêre, quæ primis naturæ notionibus magis conſona viſa eſt: nec interim fateri deſpuduit, ſe contrarijs diluendis impares. Et verò haud ſatis ſcio, inſigniorne dementia ſit, an audacia, id luctari vt rerum veritas ad intelligentiæ noſtræ modulos contrahatur: perinde quaſi, quidquid mens humana nequeat intelligere, hoc idem natura nequiuerit architectari; ibique illa noſtræ ignorationis primum fixerit limen, vbi effectrici poteſtati ſua circumſcribitur extremitas. Veruntamen, quod ſpectat ad ea, de quibus quærimus, rationes à te modò contortæ, licet fortaſſe præ meis primore aſpectu aſſenſionem ſibi concilient, ſi tamen obſeruatè curioſéque rem putemus, non omnem planè probabilibus defenſionibus aditum occludere mihi videntur. Quas defenſiones eò alacriùs producam, quoniam ſi erunt illæ eædem, quas tibi obuerſari dicis, næ ego tam fidelis coticulæ experimento ſynceri auri certam mihi poſſeſſionem gratulabor: ſin aliæ fuerint, ac illæ à te adinuentæ, meliores iſtas à te condiſcens, adulterinum vero auro permutabo; quocirca nonniſi diues à te vtcunque diſceſſero.

Marchio Virgilius Malvezzius in Tarquin.

CAP. XV.

Primùm occurritur ſuprà dictis, collocata honeſtate delectionis in hoc, vt prabeatur vberior delectatio futura, tenuiori licet inſtanti

AGe igitur, relegam exempla, quæ ipſe protuliſti, atque in illis duplicem aduerſitatem expendam inter delectationem & honeſtatem. In vtraque verò enitar oſtendere aduerſitatem iſtam reipſa tantùm intercedere inter alias, aliaſque delectationes, non autem inter delectationem vniuerſam, & aliud quippiam boni, quod delectatio non ſit.

Ingrediar illud primùm, in quo tu poſtremò conſtitiſti, ſcilicet Herculis biuium, non tam inani fabula, quàm ſapiente allegoria propoſitum ab antiquis.

Ita omnino eſt, confirmauit Querengus; id enim commentum, ex Prodico ſumptum, à Socrate aduerſus Epicureos apud Xenophontem contorquetur.

Memo-

Digitized by Google

Memorant igitur, perrexit Cardinalis (quamquam ni memoria me fallit haud integra ibi fabula recenſetur à Xenophonte) Herculem, hoc eſt, virum fortem ac ſtudioſum, repudiata ſiniſtrorſum ſemita permolli & floribus hilari, ad quam Voluptas inuitabat, dexteram inijſſe ſalebroſam ac præruptam, quam Virtus monſtrauerat. Eam tamen ſemitam, quò interius in ea pergebatur, plus vſque amœnitatis explicaſſe, donec belliſſimam florentiſſimamque planitiem in præcelſi montis faſtigio Hercules tenuit; cuius oræ delicijs quid apponeret, non haberet fortunatarum inſularum fortunatiſſima. Iam vides, non hic Virtutem proponi vt Voluptati generatim inimicam, ſed tantùm id Virtutem ſuadere, vt contemnatur inſtans quædam Voluptas, ea ſcilicet quæ in ſenſibus continetur, quæque frequentiùs Voluptatis vocabulo ſignificatur; quò factum eſt, vt infamiam contraxerit id genus rei, quod vnicè bonum eſt in rerum vniuerſitate. Hortatur nos (inquam) Virtus, vt inſtantem hanc ſenſilem voluptatem, quæ inſulſa eſt ac doloribus fœta, negligamus; quò futuram aliam dulcioremque voluptatem, quæque ad nobiliorem animæ partem ſpectat, emercemur; cum aliquo tamen laboris pretio. Nec enim ſine exceptione verum eſt Horatianum illud, *lib. 2. de reb. memorab. Socr.*

Nocet empta dolore voluptas;

ſed tunc modò nocet, cùm pretij magnitudo mercis tenuitatem exuperat. Quin hoc exertè colligitur ex eadem parænesi, quam idem Auctor Virtuti loquenti affingit. Hæc enim non aliter Herculem hortatur, ſibi vt potiùs, quàm æmulæ Voluptati ſe dedat, niſi, quoniam Voluptas iuuentam elumbat, ſenectam morbis conficit, quique ſibi mancipantur homines, in omnium auerſationem & contemptum deducit; vno verbo, quia Virtus longè beneficentior eſt, quàm Voluptas, in alumnis ſuis & iucunditate reficiendis & moleſtia liberandis. In quam ſententiam conuenit id, quod Xenophon ipſe proximè præmiſerat ab Heſiodo deſumptum; hoc eſt, Deos præſidem ſudorem ſtatuiſſe in Virtutis via, initu aſpera, exitu peramœna. Enimuerò quis tam infœliciter inſaniret, vt eiuſce viæ tranſitum cariſſimo & exprimendo è ſuamet fronte pretio depaciſceretur, niſi hæc ipſa via tandem ad limen adduceret nobilis otij: quod otium illud vnicè eſt, quod Deos rogat, vel nauta inter fluctus, vel miles inter arma, vt Lyricus eleganter canit? *Xenoph. vbi ſuprà* *Horat. li 2. ode 16*

3. Neque ratio hæc Ariſtotelem fugit. Hic nempe 3. de Anima libro diſertè docet, litem omnem inter ſenſum ſeu appetitum ac mentem in eo poſitam eſſe, quòd ſenſus approbat, tamquam plenè bonum & delectans id, quod in præſentia bonum eſt ac delectat; at mens examinat etiam atque æſtimat bonum vel malum, delectationem vel moleſtiam, quæ impoſterum aut imminent aut amouentur, ſi res illa in præſens eligatur. Ita verò ægrotus prudenter tolerat & ſiti torreri & à medentibus excarnificari: eâ enim breui moleſtiâ ſimul redimit diuturnos angores morbi, ſimul eam comparat inæſtimabilem *text. 54*

Digitized by Google

voluptatem, quæ integræ valetudinis aſſecla eſt. Et quoniam vti delectatio ſola illud bonum eſt quod propter ſe quæritur, ſic moleſtia ſola illud malum eſt quod propter ſe reijcitur: is demum laudabiliter agit, qui ſenſus, dementis nimirum conſiliarij, ſuaſiones aſpernatus, ea deligit, quæ vberiorem importent, & delectationis opulentiam, & moleſtiarum leuationem, non præſentis modò, ſed etiam futuri temporis calculis ritè ſubductis. Fateor verò hac in re, numquam meditatione me penitus exploraſſe, cur mortales ad futurum tempus ſic afficiantur, vt eius ærumnas metu, eius gaudia ſpe diu ante præſumant; præterita interim negligentes: quamuis æquè futura, ſicut præterita, nulla planè ſint, ſi ad præſens tempus comparentur. 4.

CAPVT XVI.

Expenditur Senecæ dictum ꝑ futuro bono præteritum habentis. Probaturque, ſecus voluiſſe naturam: & cur ita voluerit.

MEminiſti, arbitror, Saracenus occurrit, Senecam non in eo ſtetiſſe, vt futuris præterita coæquaret, ſed inſuper vel cum præſenti bono præteritum bonum commiſiſſe, vtpote certius; *quia*, inquit, *de illo ne deſinat non eſt timendum.* 1.

Hæc Senecæ commentatio, Querengus interceſſit, enimuero non tam conueniret Philoſopho ad veritatem, quàm Sophiſtæ ad oſtentationem diſputanti. Perinde mihi videtur, dum ipſe per iſtiuſmodi ſcitamenta vberiorem affectus noſtri portionem exactis euentis, quàm futuris, adeoquè quàm inſtantibus aſſerit; ac ſi quis dialectica quadam ſubtilitate vellet mihi in animum inducere, amaritiem dulcedine ſuauiorem eſſe; dum palatum, æſtimator nimirum in hac re ſummus, oppoſitum clamat. Sic enim pariter experimur, inſito nobis naturâ ſenſu, vix, aut ne vix quidem nos ad mœrorem, vel gaudium impelli ex ijs quæ funditus præteriere: adeóq; nullum præſentis angoris aptius lenimen eſt, quàm hæc meditatio, *præteribit*, ex qua meditatione ſtatim concludit animus, *non modò non anget, ſed iuuabit meminiſſe.* Scilicet quandò hæc notio mortalibus vix dum exortis tacito naturæ documento inhæreſcit; quęnam petulantia eſt id luctari, vt fucatis ratiunculis voces naturę quaſi mendaces arguamus, quæ natura liberaliter, & citra vllum diſputationis negotium hanc nobis veritatem explanat? Poterunt vtcumque ſophiſmata id propugnantia linguas vincire; mentes vincire nequaquam poterunt. Neque verò ſi aliquo in Templo tres aras tribus Parcis dicatas veteres illi ſuperſtitioſi homines inueniſſent, expugnaſſet vnquam, reor, mirifica Senecæ eloquentia, vt quiſpiam vel tenuiſſimum thuris puluiſculum adoleret Lacheſi, cui nominatim præteritorum poteſtas aſſignabatur. Age verò; vis excutiamus imbecillitatem illius argumenti, quod è Seneca recitaſti? Vis ità intelligamus, quantò leuioris negotij ſit, ſerta de ſpecioſis argutiolis, tamquam de floſculis, Admirabilitati concinnare, vt frequenter Seneca; quàm è ſolidis rationibus, ac tamquam ex adamantibus, Veritati diademata excudere, vt in Ethicis ſuis conſueuit Ariſtoteles? Præfert Seneca præſenti bono præteritum, quia de hoc *ne deſinat, non eſt ti-*

De conſolat. ad Polybiū c.29

Plato 10. de Repub.

2.

eſt timendum, vti de illo. At rogo, vbi præſens bonum reipſa in hoc infortunium proruat, cuius infortunij vel ſolo diſcrimine tantopere attenuatur, vt nimirum *deſinat*, ſortieturne deteriorem aut diuerſam conditionem, ac habet præteritum? Minimè verò: Igitur Senecæ ratio veriùs oſtendit, præſentia bona vſque adeo præteritis antecellere, vt de illis nil calamitoſiùs formidandum ſit, quàm ne iſtis coæquentur.

Quid autem cauſæ naturam permouerit, vt hanc, & futurorum ſollicitudinem, & præteritorum ſecuritatem nobis indiderit; cogitaui equidem interdum: at non ità paucis expediri poſſet. Per has verò cogitationes meas præclaram Illuſtriſſimi Cardinalis diſputationem abrumpere, nihil opportuniùs fieret, quàm ſi Atrebatenſium picturarum egregiè inchoata textilia quis interſcideret, vt ſtupea quædam fila eiſdem inneƈteret.

Tum Cardinalis. Quin iſtuc potius fuerit, aureis fibulis tuis ſubneƈtere pannum cæteroqui vulgarem, qui à me contexitur. Age porrò; haud enim hîc exedræ legibus obligamur; ſed familiarium ſermonum licentiâ fruimur. Nec perficiendæ inchoatæ à me diſputationi tempus in hoc otio deficiet. Ad hæc obſequibili facie, Querengus ita diſſeruit. *Prius* ac *poſterius* (vt Ariſtoteles monet) in loci tantùm ac temporis ſpacio propriè verſantur. Cæteris enim rebus hæc nomina non ita propriè conueniunt, ſed ab illis duobus in reliqua per quamdam proportionem transferuntur. Hoc verò inter locum ac tempus intereſt; quòd quæpiam loci pars nominatur alia prior, non tam ſua ſponte, quàm ex enumerationis noſtræ arbitrio. Poſſumus namque ad libidinem incipere (hoc eſt priori tempore gerere) vel motum vel dinumerationem in vtralibet duarum loci partium, itaque, vtram libuerit, priorem appellare. At in temporis perpetuitate tamquam in primæua ac natiua ſede huiuſmodi differentiæ continentur: temporis nimirum partes, extra omnem arbitrij noſtri ſeleƈtionem, aliæ priores ſuopte ingenio ſunt, aliæ poſteriores. Hæc autem duo nomina in tempore ipſo non alio tandem attributo ſecernuntur à nobis, niſi quod *prius* valet naturâ id efficere, tanquam cauſa, quod *poſterius* eſt; cùm tamen *poſterius* careat naturali quacumque vi, per quam poſſit cum eo quod prius eſt, tamquam cauſa cum effeƈto comparari. *Cauſæ* hîc nomine illam quoque deſigno, quæ rem efficit per aliquid intermedium: qua ratione auus dicitur cauſa nepotis: idemq; vocabulum cauſæ protendo ad ea etiam conferentia attributa, ſeu *circumſtantias*, quæ verè non gerunt vim effeƈtricem, ſed neceſſariæ ſunt vt effeƈtum ab effeƈtrice facultate dimanet: veluti propinquitas lignum inter atque ignem. Hæc enim non ea eſt, quæ in ligni materia excitat ſua vi nouum ignem: neceſſaria tamen eſt, vt à vetere igne nouus ignis excitetur. Haud verò hîc nuncupationem *cauſæ* finibus quoque ipſis impertio. Fines enim, ſi propriè ac ſignatè loquamur, in cauſis non ſunt, ſed modò per tranſlationem recenſentur in cauſis. Quippe id, quod verè in cauſa eſt, ex. gr.

in catheg. & alibi.

vt auarus humum proſcindat, non eſt ipſe theſaurus, quippe qui fortaſſe in ea latebra nullus eſt, aut fuit vnquam, ſed opinio & deſideratio theſauri; quæ aliquid verum reipſa nunc ſunt, & ipſius auari animo verè inſident.

Iam quando expediui, quid cauſam appellem, paucis demonſtro, quod enunciaueram; ſcilicet id quod prius exiſtit, aliqua vi pollere vt cauſa ſit illius rei, quæ poſterius exoritur; at non è contrario, rem poſteriorem eſſe vmquam poſſe in cauſis rei antiquioris. Hoc vtar exemplo. Mea lectio heſterna conficiens eſſe poteſt huius mei ſermonis hodierni. At meus hic ſermo nihil conferre potuit ad meam heſternam lectionem tranſigendam. Sicut verò cauſæ naturâ præſtabiliores ſunt, quàm effecta, ita præcedens quoque tempus nobilius eſt conſequente. Quin promiſcuè inter omnia, alterum altero maius ac dignius eſſe, non alijs interdum vocibus explicamus, quàm ijs, quæ primatum ſonant. Hinc emerſit reuerentia illa, quæ Naturæ monitu ab omnibus populis antiquitati ac ſenectuti delata eſt, ijs toleratis ætatis noſtræ vitijs (ſe Querengus deſignabat, quippe qui poſtremum iam attigerat ſenium) quibus vitijs tamquam coloribus nimium ex vero ludicra ſcena nos fingit. Quando igitur exactum tempus cauſa, & tamquam genitor, futuri eſt, par eſt quoque vt naturâ propenſum ſit, quaſi bonus pater-familias, ad parandum poſthumo filio proſperitatis patrimonium. Et hæc ſanè propenſio, vtpote quæ efficax eſſe poteſt, magno mortalium bono data eſt à Natura. Quos vtique mortales nimium labefaceret illud Senecæ decretum exturbans ex animis metum prorſus ac ſpem, hoc eſt, vt ipſe ait, omnem futuri ſollicitudinem. Hoc enim decretum ſi reipſa ſeruaretur, breui extingueret humanum genus, quod continenter ex huiuſmodi ſollicitudine, ceu puer ex nutrice alimoniam ſugit. At enim, dicent, maneat in nobis futurorum prouidentia, perturbationes non maneant. Sed quî hoc efficiatur: quandoquidem timoris perturbatio, atque auerſatio ancipitis mali reciprocantur, itemq; ſpei ſollicitudo ac deſiderium ancipitis boni: ita vt hæ poſteriores illis prioribus neceſſariò adnaſcantur? Sapienti enimuero Naturæ induſtriâ, quò nimirum acriùs excitemur ad mala propulſanda, & ad bona conſectanda, vt eiuſmodi anxietatibus, quæ nos perturbant, ocyùs medeamur. Si ergo expedit vt deſideremus bona, & refugiamus mala futuri temporis, cuius exitum *caliginoſa nocte premit Deus*, neceſſe eſt itidem, vt ſpe ac timore ſollicitemur, ſollicitudine quidem moderata, & rationis imperio non refractaria. 4.

Præſens verò tempus, vti dicebam, in præterita nihil valet; ideo expedit pariter, vt nihil velit. Nec enim aliter grauiùs lædi potuiſſemus à Natura, quàm ſi hæc vltra vires vota noſtra protendiſſet.

Quid eſt ergo, ſciſcitatus eſt Saracenus, cur exactæ voluptatis memoriâ lætemur, & lætitiâ quidem tantâ, vt illam reſpectans Epicurus aſſerere non dubitauerit, ab ea, quam ipſe docebat, philoſophia ſtabilem, perpetuamque fœli- 5.

Digitized by Google

fœlicitatem mortalibus relinqui: etiamſi nullum ipſe bonum agnoſceret extra ſenſuum voluptatem, hoc eſt rem ſummè fluxam? Diſputabat enim, recordationem ſemel hauſtæ voluptatis quantumuis breuiuſculæ, perpetuum animo gaudium inſtillare.

Tum Querengus. Hac itidem recordatione triſtamur interdum. Quàm verò futilis ſit illa ad omnem vitam fœlicitas, quam venditat Epicurus: ex gaudiorum memoria dependens, latè demonſtrant & Cicero lib. 2. de finibus,
6. & Plutarchus lib. 1. in Colotem. Cæterùm lætitia illa qualiſcumque, qua imbuit nos recordatio præteritorum bonorum, aut exiſtit ex aliquo conſtante adhuc illorum emolumento, quo fruimur, aut ex quadam viuida, neruoſaq; imagine, quæ menti obuerſatur, illarum rerum ſua ſponte iucundarum; quam imaginem præterita illarum experientia nobis infixit. Similiter enim vſuvenit, vt ſi intenſiùs acriuſque delectationem quampiam, licet numquam re perceptam, meditatione fingamus, vel ſic efficta nos tamen vtcumque delectet. Qua de re ſubtiliter, obſeruateq; Ariſtoteles 1. Rhetoricorum. Verùm hic locus per ſe longior eſſet: ipſe verò ſiti quadam impatienti vror, donec animo exhauriam quidquid Illuſtriſſimus Cardinalis diſputare inſtituit: atque ille *pleno me proluat auro.* *c. 11.*

CAPVT XVII.

Quid peccauerit Epicuri philoſophia circa virtutem. Et probatur, voluptatem in bonis eſſe.

1. Hic ſermonem repetens Cardinalis: Epicuræorum, inquit, mentio monet me, vt diluam, quod initio mihi obiecisti. Hoc eſt niſi honeſtas à voluptate ſeparari poſſit, neque verò Stoicos ab Epicuræis, inimiciſſimas ſcilicet philoſophantium nationes, poſſe diſtingui. Equidem, ſi hoc vno turpem ab honeſta deliberatione diuiderem, quòd nimirum illa, non hęc, expectationem quoque futuræ voluptatis, ac moleſtiæ in conſilium adhibeat, propiùs vtrique ad Epicuræos accederem. Nempe hanc omnino rationem quaſi clypeum Torquatus Epicuræorum propugnator apud Tullium arripuit, vbi ſenſit peti ſe tanquam telis ſuorummet Torquatorum factis, non clarioribus, quàm triſtioribus; qui omnia poſt patriam habentes vitam ſuam toties armatis hoſtibus alacriter obiectauerant, & natorum vitam ſuâ ſibi vitâ cariorem in ipſo ætatis ac ſpei flore ſucciderant. Quo loco nihil attinet in memoriam tibi reuocare non apud omnes peræquè Stoicos malè audiſſe Epicurum. *1. de fin.*

Vera memoras, Querengus annuit. Quin Seneca de vita beata hæc omnino habet. *Mea quidem iſta ſententia eſt, recta Epicurum & ſancta præcipere.* Nec parciùs idem exornatur à Diogene, qui Athenæi etiam præclarum epigramma in Epicuri laudem adſcribit. Sed contra Cicero, Plutarchus, alijque complures, eumdem acriter damnauerunt. Certè id conſtat, Epicuri diſcipulos in eam turpitudinis proluuiem ſe demerſiſſe, vt illos immundiſſimo pecudum gregi Horatius, alijq; comparauerint. *c. 13.*

2. Ergo (Cardinalis adiecit) Epicurus, adeóq; familia, quam Epicurus duxit,

Digitized by Google

in eo potiſſimùm decepti ſunt, vt, cùm Ariſtippus in dulci ſenſuum motu, Hieronymus in indolentia finem bonorum ſtatuiſſent, ipſi vtramque arripientes eiuſmodi omnino fœlicitatem ſunt architectati.

Primùm, vt omnis ærumnarum timor tum ante, tum poſt mortem futurarum depelleretur, quorum alterum ſublatâ Deorum prouidentiâ, alterum animi ſtatuta mortalitate conficere nitebantur.

Deinceps, vt ſenſus corporis dulciter titillarentur; ex quo corpore (vt Plutarchus loquitur libro per te laudato) tamquam ex vaſculo pertuſo, delectationis guttæ defluerent in animum, aut præſentium lætitiâ, aut præteritorum recordatione geſtientem; qui ſi omni prorſus moleſtia atque angore ſimul cum ſenſibus vacaret, tum verò ſummâ hominem voluptate præditum dictitabant. Non ea quidem voluptate, quæ in motu eſt, & quæ ſuauiter ſenſus ciet, ſed aliâ, quam ſtabilem & beatitatis conficientem nominabant.

Porrò hæc doctrina (vt idem Plutarchus euincit) hominem ipſa etiam delectatione diſpoliabat, eùmque infra omnium belluarum infœlicitatem abijciebat. Siquidem quod ſpectat ad ſuperiorem illam Epicureæ fœlicitatis partem, quid ni ea in belluis, quàm in homine cumulatior exiſtat? Numquam videlicet Epicuri doctrina quemlibet omnino metum Diuinitatis, aut viuentes aut defunctos vlturæ ita radicitùs euellet ex hominum animis, quin eo timore magis vacuæ ſint belluæ, quas nulla vmquam vindicis Numinis ſuſpicio tentauit. 3.

Quantùm verò ad alteram partem fœlicitatis Epicureæ, corpus noſtrum longè diutiùs peracrem dolorem, quàm prædulcem voluptatem retinere poteſt, vt idem Plutarchus euincit. Relinquitur perinde, longè vberiorem nobis miſeriam, quàm fœlicitatem pullulare, ſi harum vtraque non aliud ſortitur natale ſolum, quàm corporis noſtri ſenſus. Interea verò concludit idem Plutarchus, per Epicuræam diſciplinam orbari hominem voluptatibus voluptatum omnium tum ſynceriſſimis, tum liquidiſſimis, tum firmiſſimis, quarum voluptatum patria eſt animus, quarum genitrix ſapientia eſt. Aſpernabantur enim Epicuræi tamquam inane quippiam, meditamenta quælibet Geometriæ, Muſicæ, atque adeo ingenuarum artium quarumcumque; vetabantque ſuis curæ eſſe, vt vel ab hiſtorijs addiſcerent, pro Græcisne, an pro Troianis Hector depugnaſſet. Quanta autem gaudia hæc ſint, quorum ieiuna eſt inſulſa illa Epicuri fœlicitas, quis, inquit, non videat? Numquam enim aliqua voluptas corporis tam cumulatè perplacet, vt nomine illius à Dijs impetratæ, quiſpiam victimas immolauerit, quemadmodum immolauit Pythagoras, vbi geometricam illam rationem famâ nobilem adinuenit. Nec heluo, vel aſotus quiſpiam Luculli aut Vitellij cœnas morte depaciſceretur; ſicut Eudoxus eam à Dijs expetebat conditionem, vt ad Solis orbem ſublatus Phaëthontis inſtar, adeóq; de illius aſtri figura, magnitudine, ſpecie, iam certior factus, extemplo item 4.

Phaë-

Digitized by Google

Phaëthontis ærumnam pateretur fulminatus. Hæc ad ſummùm ea ſunt, in quibus erratum eſt ab Epicuræis. De cætero ſi quis vniuersè voluptatem notaret vt malam, notaret is quidem vnà cum ea Naturam rerum, quæ vſque adeo in voluptatem nos inclinat, vt de nemine quæratur (inquit Ariſtoteles) cur voluptatem concupiſcat; notaret Deum ipſum, qui dum ſempiternam ineffabilemq́ue voluptatem ſua mandata ſeruaturis pollicitus eſt, voluit proinde ab ea tamquam ab re expetenda mortales allici ad legem ritè ſeruandam. 1.Eth.c.2

CAPVT XVIII.

Ratio cōmodior ne honeſtatē à iucunditate cogamur ſecernere.

AT enim ſi vniuerſam honeſtatem deliberationis cum Epicuræis concluderem in præponenda voluptate ampliore futura hominis deliberantis, alteri cuipiam eiuſdem hominis voluptati leuiori quamuis inſtanti, vtique patronus eſſem noxiæ philoſophiæ, vt antea indicaui, fidem, caritatem, atque adeo humanum commercium interimentis, quod cogit Cicero in libro nuper laudato. Quocirca vt propoſitam ſententiam inculpatè defendam, quæ nullum bonum pręter voluptatem agnoſcit, inuenienda mihi eſt alia item voluptas, cui nitatur honeſtas rerum heroicè geſtarum per ſe triſtium, quas mihi obiectabas, Querenge.

2. Age igitur, duplex omnino eſt delectatio, per quam dulceſcit aut mori pro patria, aut patrare alia quæpiam huius notæ facinora, quæ in Tello, in Momorantio, in Carolo, in Farneſio recenſuiſti.

Altera quidem delectatio ea eſt, quam iſtiuſmodi facinora in mortalium vniuerſitatem important. Et ad hanc delectationem reuocandum eſt primordium honeſtatis; quando tum Ariſtoteles in Ethice, tum Cicero de Legibus, Iuſtum illud, & ſupremam illam Legem ipſius Naturæ manu mortalium animis inciſam, (quæ nomina cum honeſtate reciprocantur) docent nihil tandem eſſe, niſi humanæ vniuerſitatis bonum, populiq; ſalutem. Porrò, vt explicatiùs pateat, hæc vniuerſitatis delectatio, quam loquebar, ex honeſtis facinoribus profecta, animaduertamus oportet ad gentis humanæ tranquillitatem atque hilaritatem peropus eſſe, vt quilibet rei ſuæ imperturbatus potiatur, neque vis iuſtitiam opprimat, legumq; ac pactionum nexus reſcindat. Alioquin exulabunt perpetuò à mortalibus blandiſſimæ illæ parentes, atque altrices Fœlicitatis, Quies, Securitas, Caritas, & hoc humanum domicilium fiet continuò latrociniorum aſylum, iurgiorum campus, odiorum Tartarus. At verò per ſolam honeſtatis reuerentiam non ſatis conſuleretur huic malo. Nempe Honeſtas Dea eiuſmodi eſt, in cuius templo ingens plerumque ſolitudo. E contrario ad Vtilitatis, Fortunatioris vtique Numinis aras ſumma celebritas. Ideo mirificè ad mortalium fœlicitatem conferunt facta illa, quæ horum Numinum conſpirationem atque concordiam eſſe perſuadent; ita vt ad idem planè deligendum impellant deliberantium animos, & honeſtatis documenta, & vtilitatis illicia. Sic enim è contrario non grauiùs quàm iuſtiùs conque-

3. de offic. circa med. conqueritur Cicero, proditum eſſe genus humanum ab illis Philoſophis, qui vtilitatem aliquam extra honeſtatem ſe videre profeſſi ſunt. Ergo vt hoc fœdus humanæ genti ſaluberrimum conciliaretur; humani quidem Legumlatores temporaria, Diuinus verò Legiſlator æterna quà præmia, quà ſupplicia 3. protulêre. Id nimirum pro ſe quiſque molientes, vt quæ honeſta, hoc eſt, toti hominum generi plus voluptatis quàm doloris paritura, hæc eadem dignoſcerentur vtilia, hoc eſt, plus itidem voluptatis quàm doloris paritura ipſi nominatim deliberanti atque agenti. Sed enim ea quæ poſt mortem rependuntur, apud multos fidem, æſtimationem certè vix habent, quippe imperſpicua & remota; quæ autem viuentibus paratur pœna vel merces, frænum aut calcar validum eſt mancipatis tantum iumentis inhibendis vrgendisque non leonibus imperioſis, fræniq; & calcarium neſcijs. Quocirca aliud quodpiam adiumentum neceſſe fuit ad hoc conciliandum communis priuatiq; delectamenti fœdus, adeoq; ad conſtituendam eiuſmodi tranquillitatem; quæ tamquam baſis humanam fœlicitatem ſuſtentat. Id verò adiumentum habetur ab eorum opera, qui vitam in acie deuouent iuſtis poſſeſſoribus tuendis, violentis raptoribus ac turbatoribus profligandis. Super hæc tranquilliùs ac beatiùs mortales degent, ſi patriam ciues, ſubiecti dominum in primis deamauerint, eorumq; incolumitatem priuato emolumento prætulerint. Igitur hoc etiam nomine honeſtiùs ac laudabiliùs eſt vitam pro Rege patriave profundere, quàm pro alienis, quantumuis pariter iure ac meritò defenſis. Ex hoc fundamento communis delectationis importandæ excitatur honeſtas illa quam exoſculamur, & in Carolo ſtrenuè obiectante furentibus hoſtibus Auguſtum caput, tamquam non minus propugnatorem, quam poſſeſſorem Cæſarei diadematis, & in alijs fortiſſimis ducibus nuper collaudatis. Protinus verò ex honeſtate ac virtute iam conſtituta gloriæ decor exiſtit, tamquam co- 4. rona, quæ ſola Virtutis fronte ſuſtineri queat.

Neque enim (en illa altera voluptas quam in rebus honeſtè actis contineri dicebam, agnita itidem ab Epicuræis; quæ tamen haud ſtirps honeſtatis eſt, imò veriùs eſt germen illius) neque enim inquam, Natura quoque pro ſua virili parte ſatagere neglexit, vt res honeſtę (hoc eſt illę quæ iucundiores, quàm triſtiores cernuntur hominum vniuerſitati) vtiles itidem ſeſe oſtentarent illi nominatim homini, penes quem foret electio. Ne alioquin in huius animo, tamquam in arena prælium illud committeretur, Vtilitatem inter atque Honeſtatem; cuius prelij exitus Honeſtati plerumque infortunatus. Id ergo vt aſſequeretur, geminam propenſionem Natura ipſa nobis ingenerauit. Alteram ad ea facta prædicanda & ſuſpicienda, quæ viderentur è re totius humanæ congregationis, quomodo expoſui: atque inter hæc ad ea inprimis, quæ hominem illum, à quo geruntur, vehementiùs offendunt ac vexant. Horum enim factorum amarities, vt condiatur, plus mellis in eam ex remuneratione influat

Influat neceſſe eſt. Altera, quam Natura nobis ingenerauit propenſio huic ſuperiori propenſioni apta & conſentanea, eiuſmodi fuit, vt hac aliena laude atque admiratione ſummopere homines mulcerentur ac geſtirent; ita vt Annibali, exempli gratiâ, iucundum ſit Alpium glaciem Cœlo immixtam non tam calido aceto, quàm infinitis ſudoribus ſuis colliquefacere; dimidium mortis per vnius luminis iacturam obire, quin & ſolidam trucemq; mortem, peractâ trepidis in rebus vitâ, quolibet veſtigio laceſſere.

Vt placeat pueris, & declamatio fiat. *Sat.10.*

Hinc verò ſcatet illud mel hyblæo ſuauius, cuius beneficio *dulce* pugnantibus redditur *pro patria mori*, vt Lyricus canit; quo melle reſperſam Telli fortunam Solon contemplatus, eam vtique beatam continuò deputauit. Cùm enim Lethi non tarda neceſſitas cunctis impendeat, neque in imbellis quidem Iuuentæ ſinu quiſquam craſtini ſecurus viuat; compluribus proinde animus eſt lucis contemptor, qui benè credat emi perexiguo, incertoq; vitæ fruſtulo eam voluptatem, quâ Heroës, vt ita loquar, ſaginantur ex fiducia præclaræ immortalitatis in poſterorum famâ retinendę. Ita enim omnino ratiocinatur primum quidem Sarpedon Glaucum alloquens apud Homerum, dein Pindarus ac Cicero; tum demum Horatius à te, Saracene, productus.

5. Intelligitis, opinor, quàm expeditum ſit explicare, neque honeſtatem, neque adeò bonum vllum diſpertitum eſſe à iucunditate, ſed eas duntaxat iucunditates cum honeſtate pugnare, quæ aliam quampiam vberiorem ſe iucunditatem ſuffocant, veluti aut dum aliqua inſtans, at euanida & fluxa iucunditas, cuiuſmodi eſt gelida ægrotantis potatio, aufert aliam cæteroqui obuenturam iucunditatem ſtabilem vtique ac diuturnam; ceu integræ valetudinis recuperationem; aut dum vnius cuiuſpiam hominis propria iucunditas proficiſcitur ab aliqua illarum rerum, quæ humani cœtus vniuerſi iucunditatem inficiunt; ceu ſunt proditiones, furta, & ſimilia horum; grauiùs, leuiùs publicam fœlicitatem euertentia.

Hæc habui, quæ de honeſtate à voluptate non diuidenda proferrem. Et verò, Querenge, audaculus ſim, ſi coram te omnium literarum viro, & in Ethicis nominatim regnante, de his diſſerere aggreſſus fuerim, alio animo, quàm diſcipuli, dubitatiunculas Magiſtro exponentis. Equidem & ab humanitate tua laudationes, & à doctrina tua monitiones, non ex vano mihi pollicear; ſed quantò laudationum præ conditionis meæ fortunâ, maior mihi affluentia, tantò monitionum, quarum ſumma diuitibus inopia eſt, mihi optatior vtilitas. Beneficium hoc igitur non magis rarum, quàm ſalutare ex tua fide ac beneuolentia etiam atque etiam exigo. Quod ſi ex impotentiore, quo fortaſſe flagrare videar, mei ipſius ſtudio, vereatis ne ſim corrigenti infenſas aures præbiturus, ſcis tamen ſummum amicitiæ cumulum in eo verſari, quòd vel ipſum amicum offendas, vt iuues.

CAPVT XIX.

Obÿcitur in ſuperiore diſputatione indiſtinctos relinqui finẽ Naturæ, fineq́; appetitionum noſtrarum.

TAm eximiâ peringenuæ modeſtiæ ſignificatione Cardinalis hæc habuit, 1.
vt Querengus obſtupefactus reſponderit, ſe in cætera quidem Cardinalis diſputatione ingenium inter homines prealtum ſuſpexiſſe, at in clauſula iſthac virtutem humanâ maiorem ſe venerari. Præſtat ergo, inquit, vel per audaciam obſequi, quàm per diſſimulationem refragari modeſtiæ tuæ; quæ in iſto dignitatis & ſapientiæ faſtigio ſupra omnem magnanimitatem admirabilis, tot ac tanta cæterarum in te laudum decora cœleſti quodam minio belliſſimè colluſtrat.

Haud blandiùs quàm veriùs enunciauero, ſi profitear hoc vno ſermone tuo multa me vidiſſe in Ethices diſciplina, quæ mihi ſexaginta fermè annorum ſtudium non patefecerat. Attamen ratio tua, quæ vtique plurimum habet acuminis, triplici potiſſimum loco vereor, vt ſatis habeat veritatis. 2.

Buling. de veneratione Circi lib. vnic. c. 6.

Primus quidem locus fuit vbi euincere ſtuduiſti, cognitionem illam, quæ in ſenſibus eſt, optabilem non eſſe tanquam finem, ſed modo gratiâ incolumitatis, cui ſeruit. Hîc enim inter ſe confundere viſus es naturæ atque appetitionis noſtræ fines. Rem exemplis aperiam. Vetus Græcia in ludis illis nobiliſſimis per variam ac ſplendidam præmiorum pompam, quam curſorum aut palæſtritarum victorijs exhibuit, finem ſibi præfixit celebritatem eorum certaminum; quæ ſpectantibus ſolatium, pugnantibus robur, defunctis Ducibus (omnes enim initio ludi ab exequijs nati ſunt) honeſtamentum afferebat. Hunc porrò finem perſequuta eſt per exhibita illa munera, tanquam per media ad eum comparandum idonea. At contrario protſus modo, quicunque ſeu luctatione, ſeu pedum pernicitate inibi contendebant, ad munera illa tanquam ad finem anhelabant; ad cuius finis adeptionem referebant vti medium quidquid laboris ac palæſtræ in ea celebritate moliebantur. Neque in hoc tantùm euentu, ſed vniuersè contingit, vna quidem ex parte præmium medij, opus verò finis vim gerere penes proponentem; contra verò præmium quæri ceu finem, & opus eligi ceu medium ab eo cui præmium proponitur. Igitur, quamuis concederetur, munitos fuiſſe nos à Natura ſenſuum cognitionibus non alia commendatione, niſi quia illæ ſunt medium accommodatum ad vitæ cuſtodiam, non continuò ſequitur, eaſdem cognitiones finis gratiam non obtinere penes appetitum noſtrum. Itâ fermè videtur Natura ipſa mandendi laborem delectatione mulſiſſe, apto ſcilicet medio quo inuitaremur ad ſubeundam eiuſmodi ſollicitudinem non minus operoſam, quàm tuendæ vitæ neceſſariam. Sed hæc ipſa delectatio, quæ, ſi ad Naturam comparetur, medium, non finis fuerat, vtique finis interdum eſt appetitus noſtri.

CAP. XX.

An liceat delectationẽ vt finẽ appetere in comeſtura.

FInis quidem aſotis, ventrique ſeruientibus, ſed medium omnino eſt v- 1.
niuerſis qui honeſtè appetunt, ac ſecundùm naturam, Saracenus interceſſit.

Vereor

Digitized by Google

Vereor vt vera prædices, Querengus occurrit. Primùm quidem, Natura non vni homini eſcam voluptate continxit, ſed etiam belluis; quarum tamen cupiditates liquet ipſius Naturæ inſtinctu ſenſuum voluptate finiri. Neque verò miraberis, reor, me finis ac medij vocabula ad belluas transferre. Quippe Philoſophi nec pauci verò nec ignobiles putant etiam in belluas conuenire, vt gratiâ finis moliantur ea, quæ ad finem conducunt. Idq; experimento perſpectum eſſe autumant. Nempe hirundo (vt exemplum ab Aquinate mutuer) colligit paleas, non quia id operis per ſe hirundini placeat, ſed quia vtile medium id nouit ad nidum architectandum. Item canis, cibo proſpecto, pedes ciet, non vtique iſtiuſmodi motionem expetens eiuſdem motionis gratiâ, ſed quia motio illa medium aptum eſt ad cibum ipſum ore comprehendendum. Perſpicuum eſt igitur vel brutas animantes, quæ non propria libertate vigent, ſed ab imperio Naturæ aguntur, multa expetere non vt extremum quid per ſe bonum, ſed vt medium alicuius rei per ſe bonæ conficiens.
2. Hoc igitur de belluarum appetitionibus generatim poſito, aiebam eas delectationem ſequi non tanquam medium ad vitam conſeruandam, ſed tanquam ſuæ appetitionis extremum. Hac enim de cauſa Epicuræorum diſciplina, quæ voluptate corporis fœlicitatem terminabat, belluarum diſciplina cognominata eſt. Et Epigramma illud ſuo inſcribendum ſepulchro relictum à Sardanapalo ita incipiens, *Hæc habeo quæ edi*, dictum eſt ab Ariſtotele ac Tullio in bouem vtique, non in Regem conuenire. Vides iam aliqua eſſe *5. Tuſc.* appetentia Naturæ ductu tanquam in finem inhiantia in eam voluptatem, quæ medium non finis eſt eidem Naturæ. Sed inſuper aio vel ipſi homini fas eſſe amplexari tanquam finem voluptatem comeſturæ.

3. Id enimuero mihi nec opinanti denunciatur, inquit Saracenus. Verum id iam nunc aſſenſione probo; rationes quippe nullæ tam validæ oppoſitum antea ſuadebant, quin validiores ad ſententiam vertendam tua mihi polliceatur auctoritas.

Ariſtoteles quidem 1. Rhetoricorum (Querengus perrexit) ſatis confirmari putauit, in hominum bonis eſſe voluptatem, eo argumento, quod nuper edidi; videlicet quia eandem Natura vt finem belluis propoſuit. Verum hoc ipſum enitar apertiùs demonſtrare. Non vtique id aio, integrum eſſe hominibus vna cibi titillatione, tanquam abſoluta fœlicitate vota omnia finire. Inſanirem quippe. Neque itidem aſſeuero, licere ipſam edendi functionem vniuerſam dicare huiuſcemodi voluptati licet inſonti. Dedecet enim fortaſſe præſtantiam Naturæ noſtræ hunc finem, licet non prauum, certè abiectum, & belluis comunem vnicè ſectari per eam operationem, per quam longè digniùs quæritur nobilior quiſpiam finis, & Naturæ præoptatus, nimirum vitæ conſeruatio. At non hæc pugnant cum eo, quod molior efficere. Poteſt (quod tu minimè ignoras) in vna re plus vno finis quæri. Veluti ſplendidus

veſtitus adhibetur ſimul ad frigus arcendum, ſimul ad circumſpicientium oculos admiratione capiendos. Non ſecus fieri poteſt, vt in cibo & oblectamentum & nutricationem ſequamur.

Porrò, etiam ſi magis cum Chriſtiana virtute congrueret is, qui oblectamento eiuſmodi nihil caperetur; tamen moderatè illud perſequi, Chriſtianæ legi (quippe quæ id prohibens condita eſt nulla) non aduerſatur: multoque minùs hoc idem aduerſatur legibus Naturæ. Quin eiuſmodi affectus noſter meditamentis Naturæ conſonus eſt, nedum aduerſus. Id verò, ſi rem attentè putemus, per idipſum demonſtratur, vnde tu contrarium elicere contendebas. Age, Natura eum omnino finem perſequuta eſt, vt homines dape reficerentur, nec edendi laborem repudiarent: tum verò huius finis ergò dapis oblectamentum adhibuit tanquam medium opportunum. Sed opportunitas & ſubſtantia medij in eo ſita eſt, vt ſit cauſa finis. In hoc igitur voluit Natura, vt eiuſmodi oblectamentum, quo dapem reſperſit, ſit cauſa comedendi. Perge 4.
porrò. Ni oblectamentum inuitaret nos ad comedendum, nullam id continuò cauſæ vim retineret, ſed inutile quiddam ad hunc finem relinqueretur, adeoque excuti poſſet à cibo citra huius finis incommodum; Ergo per hoc ipſum quod Natura delectationem cibis inſtillet tanquam medium efficax nutricationis noſtræ, voluit adeo eam delectationem eſſe illecebram atque inuitamentum, aut ſi cum Scholaſticis loqui placeat, *motiuum*, quo ad nutrimenta capienda deducamur. At verò motiuum, quo ad aliquam rem explendam impellimur, non amatur à nobis tanquam medium vtile illi rei ad quam explendam nos monet, quin potiùs eiuſmodi motiuum finis eſt, cuius bonitas rem illam nobis commendat. Ergo ex hoc ipſo, quod Natura eſum noſtrum intendit vti finem; eàdemq; vt medium ad eum finem conducens inſtituerit ciborum ſuauitatem, concluditur, id Naturam animo agitaſſe, vt nos ipſam ſuauitatem ceu finem conquirentes, eſum adeò eligamus, tanquam medium ſuauitatis eiuſce conficiens.

Præacutam enimuero ratiocinationem; Saracenus ait; eiq; perſimilem, 5.
niſi fallor, quà Theologos quoſdam nobiles audiui, profligantes Lutheranum illud dogma, inſimulans in hominis animo noxarum declinationem ceu ſeruilem atque inſynceram, quæ ſit in ſempiterni ſupplicij depulſionem intenta. Hic, inquam, error eiuſdemmodi argumento reuincitur. Idcirco enim Deus minatur ſupplicia, quò eorum timor nos à ſceleribus cohibeat. At non aliter cohibere poteſt, quàm ſi gratiâ euitandi ſupplicia ſceleribus parcimus. Igitur conſentaneum, nedum repugnans, Diuinę voluntati eſt, hac nominatim gratiâ nos ſceleribus parcere.

Tum

Digitized by Google

1. TVm Cardinalis Querengum reſpiciens; Memini Plutarchum aſſerere ſuauiores eſſe Pheacum epulas in Homeri carminibus ab animo, quàm in Alcynoi menſis à palato deguſtatas. Ego verò id certiſſimè teſtor; nullum mihi Regale vnquam epulum tam conditos exhibuiſſe cibos, quales in tua diſputatione mihi fuêre. At quoniam vnius appetitionis cibus, alterius illicò irritamentum eſt, propemodum fame vror, donec accipiam ex te alia porrò duo, in quibus labare indicaſti rationem meam tumultuario quodam ſermone vtcunque nuper coagmentatam ſuper ingenio Boni.

CAPVT XXI. opponitur deinceps aduerſus eandẽ ratiocinationem nõ id omne honeſtũ eſſe vnde maior voluptas quàm moleſtia manabit ad hominum vniuerſitatẽ.

2. Querengus verò. Tu quidem ingenioſè conatus es honeſtatis naturam reuocare in voluptatem, aut amplioris aut certè nobilioris partis earum partium, quibus conſtat humana Reſpublica. Atqui doctrina iſthæc plus ad ſpeciem, quàm ad veritatem præclara.

Si enim conquiſitè rem expendamus, plura vtique inhoneſta ſunt, etiamſi plus ſolatij, quàm moleſtiæ in humanam Rempublicam inferant. Veluti ſi quis Magiſtratuum iniuſſu improbum enecet, aut ſi Regem ſtultè regnantem tollat, aut ſi magno aliorum bono mentiatur, & alia id genus, quæ vt multum prodeſſent, impermiſſa tamen ſunt.

Lib. 1. in Colocem.

3. Interfatus hic Saracenus. Interpretor, inquit, Illuſtriſſimum Cardinalem in definitione quam poſuit, id ſibi voluiſſe, vt honeſta ſint, non quidem ea omnia, ex quorum patratione humanæ Reipublicæ voluptas exiſteret, ſed vt ea ſint honeſta, quæ ſi honeſta ſint, ex hac earum honeſtate in humana Republica voluptas exiſtet. Porrò in hac poſteriore claſſe haud ea facinora ſunt, quæ tu enumeraſti. Nempe, ſi cuique honeſtum foret, eos priuata auctoritate interimere, qui interimenti videntur improbi; cuinam, rogo, perpetuum vitæ periculum non intentarent deprauata paſſim hominum vel ex odio vel ex temeritate iudicia? An latet nos, quam diſcrepantibus & oculis intueatur & linguis narret fama vel res geſtas Heroum? Quis neſcit quanta æſtimationis iniquitate laborauerit aliquandiu per Europam Bernardus; hoc eſt, ſalutaris ille non operâ minùs, quàm ingenio Europæ Angelus? Quot homines vel ſanctiſſimi damnarunt Chryſoſtomum illum, cuius vox Cœli tuba, cuius conſtantia Cœli propugnaculum per exortiuas Regiones fuit? Auertat Deus, vt ſiniſtra quælibet aliorum perſuaſio, quæ linguas exacuit, & noſtrorum transfigit nomen, enſes quoque in nos exacuere poſſit, pectuſque transfigere. Neque verò hîc ſtatuere conſilium eſt mihi, an in aliquo præſenti patriæ diſcrimine liceat per ius ipſum Naturæ ſeditioſi ciuis cruore minax incendium reſtinguere. Naſicæ quidem Scipioni laus pro ſupplicio ex Gracchi nece prouenit. Sed tum quoque anceps eſt, vtra occiſori melior contigerit an cauſa, an fortuna. Id certè conſtat aut nunquam, aut non niſi rara quapiam rapidaq; neceſſitate ex huiuſmodi facinore prauitatem exuri.

Iam verò de Regibus quid attinet loqui? Nemo priuatorum ſic hebes

eſt, vt Salomoni parem ſe ad regnandum ſibi non iactet. Contra, ne ſi alter quidem è Cœlo demitteretur Salomon ad regnandum, idcirco non irrideretur quaſi hebes à popello in vmbra priuatæ conditionis caligante. Quare ſi ac honeſtum ſit Regem malè adminiſtrantem interficere, enimuero in Regum vita deſcribenda horæ non anni principatus adnotari poterunt, neque tanquam in rariſſimo furentis audaciæ portento in Rauigliacchi nomine Fama obſtupeſcet.

De mendacio tandem: noſti quantùm humana congregatio ſermone iuuetur, quo ſequeſtro ità ſcientiam cum alijs communicamus, eandem vt nobis integram retineamus. Adeoq; ex perexiguis radijs, qui ſinguli ſingulos noſtrûm animos illuminabant collocutionis opera, ceu ſol doctrinæ ingens coaleſcit, qui totidem in Parelia congeminatur, quot ſunt homines, quos vel lingua, vel ſtylus in huius commercij communionem aſciſcit. Adde notitiam hanc, quæ ad nos ex alieno teſtimonio manat, eam tandem eſſe, qua parentes, qua liberos, qua cognatos, qua Principes, qua legatum nobis à maioribus patrimonium agnoſcimus; vno verbo, qua reguntur deliberationes cunctæ, iudicia, diſtributio, cùm præmiorum, tum pœnarum; qua denique vniuerſa mortalium rerum procuratio continetur. Præſtat ergo, nullo vt euentu honeſtè mentiri liceat. Alioquin ſemper auditor iure verebitur, ne tum forte in eo euentu, in quo mendacium innocens eſt, loquutor aut re, aut opinione verſetur. Quocirca nulla vel perſpectiſſima loquentis probitas, omnem de re, quam loquitur, nec in aſſentiendo ſuſpicionem, nec in deliberando hæſitantiam meritò difflabit ex audientium animis. Has ob cauſas Orthodoxæ Eccleſiæ iudicium (reiectâ Hieronymi, Caſſiani, aliorumq; opinatione in aliquibus rerum attributis mendacium abſoluente) Auguſtino ſubſcripſit, qui aduerſus mendacij genus vniuerſum non Africanas profectò inimicitias (noſti enim bilinguium Africanorum agnomentum) eſt perſequutus.

At Querengus. Næ tu, Saracene (vtor comparatione, quam Famianus noſter in rem aliam vſurpauit) ſimiliter facere mihi videris, atque aliqui Chimicorum, qui per ſuam ſolertiam arcana ſanè pulcherrima reperiunt, ſed non exquiſitum illud auri ſemen, quod, ſi Augurellum audimus, illicò totum Oceanum ex aquoſo aureum redderet. Sic enim ipſe plura quidem retruſa bellè aperuiſti, non tamen id ipſum quod veſtigamus. 4.

Præclarè à te enucleatum eſt, quo merito aliqua opera, cæterùm Reipublicæ ſalutaria, regerantur nihilominus inter inhoneſta. At penitus rimari primam quaſi moralium actionum ac dogmatum ſtirpem phyſicis, hoc eſt, ex naturalibus tantùm notionibus compactam (ex quibus tamen ſolis compactam eſſe oportere Illuſtriſſimus Cardinalis coëgit, & ipſe confirmaui ſub noſtræ diſputationis initium) hoc opus, hic labor eſt, cuius operis gratiâ iam diu plura, eáq; præſtantiſſima ingenia incaſſum deſudant. Præſtantiſſima, inquam. Quippe vulgarium philoſophantium grex ne eò quidem peruenêre, vt

quæſtio-

quæſtionis difficultatem teneant, ſed quoties docere aggrediuntur quid ſit honeſtas, vnum alio eiuſdem planè poteſtatis nomine, aut etiam obſcuriore per confidentiſſimam linguæ celeritatem explicantes, ignorationem ſuam phaleratam exhibent bracteis ſanè magnificis, hoc eſt, neſcio quibus *diminutis entibus* (vt vocant) *ac relationibus rationis*, alijsqúe commentitijs rerum vmbris ac ſimulacris. Cauponantur hi nimirum interea per eiuſmodi portentoſas inanitates turbæ plauſum; cui doctrinam credibilem facit, non tam rationis meritum, quàm audacia diſputantis; & cui præpes verborum ſententiâ vacantium glomeratio, nugarum Mangones ità præbet admirandos, perinde quaſi ſapientiæ Myſtas. Socrati tamen atque adeo Apollini id potiùs viſum eſt permiſſæ mortalib. ſapientiæ culmen; ſcire te neſcire quod neſcias. Quò fateor me gloriatione magis quàm pudore tentari, quòd poſt ſemiſeculare meditationem, non quidem hũc nodum explicauerim, ſed inexplicabilem intellexerim. Id certè conabor, vt has ipſas tenebras meas dilucidè vobis ob oculos ponam.

Vulgatum eſt, in explanatione cuiuſpiam nominis vetitum eſſe illud idem nomen efferre. Alioquin explanatio nihil obſcuritatis minuet, adeóque non tam explanatio dicenda erit, quàm nugamentum. Quod præceptum
5. Ariſtotelis auctoritate comprobari à me ineptum duco. Nempe contemnitur quodammodo rerum Natura, dum mortalium ſententijs fulcitur inter diſputandum ea veritas quaſi per ſe nutans, quam ipſa Natura noſtris animis tacita quidem, ſed luculentiſſima teſtificatione cónfirmat.

Hoc equidem vitium videor mihi videre in prædicta honeſti definitione ita explicata, quemadmodum ipſe proponis. Id, ais, honeſtum eſt, quod honeſtum eſſe è Republica eſt. An non hîc cernis idem per idem, hoc eſt, honeſtum honeſto declarari? Quocirca alia quæpiam honeſti patefactio exquirenda eſſet, quæ nullum ex moralibus vocabulis præferret, cuiuſmodi ſunt *Honeſtum, turpe, licitum, vetitum, dignum, indignum, laudabile, vituperabile,* & ſimilia horum. Quippe ſuper his omnibus recurrit quæſtio, quidnam illa tandem naturalium rerum ſonent, & ex quo Naturæ fonte primùm emerſerint. Quando & conſectarijs argumentis, & omnium diſciplinarum calculis conſtitutum à nobis iam eſt, opus eſſe, vt moralis bonitas à naturali quopiam bono tum eſſentiam, tum notionem accipiat.

CAPVT XXII.

Intermittitur diſputatio, deſcribiturq; nauticum diſputantiũ conniuiũ.

INterim philoſophandi voluptas lapſum temporis abſconderat. Veruntamen dapifer Cardinalem admonuit rectiſſimis iam Solis radijs corporum vmbras non tam contractas, quàm deletas: ideo meridianæ horæ deberi po-
1. tiùs corporis vegetationem à cibo, quàm animi defatigationem à ſtudio.

Præmiſerat eò Cardinalis dapiferum, alioſq; menſæ adminiſtros, qui eo ipſo in lacu prandium pararent, cui à nouitate atq; ingenio, non tantùm à ferculis eſſet gratia. Igitur in ſericata cymba inſtruitur menſa, cui ſimul Cardinalis ſimul è regione Querengus accumbunt. In famulantibus deinceps lintribus multa eduliorum genera vectabantur. In alio quidem ingens copia ferarum,

Digitized by Google

quibus Bracchianus ager frequens eſt. In alio ſubinde piſces retibus nuper innexi, quos momento ex aqua in ignem lapſos ſubſilire etiam tum dixiſſes in lacuſculis illis, vtique patrio lacu dulcioribus, vbi eos coquorum ſolertia demerſerat; Ferculum ſanè pro talibus conuiuis eò conditius, quò ex natiua propenſione cuilibet animanti capta ab ſe præda præ alia quacunque dape ſuauior. Tertius inde phaſelus ferebat cruſtularias placentas graphicè laboratas; in quibus florere videbantur Gentiles Roſæ, ſed hortenſibus odoratiores, Vrſiquè geſtire, mites illi quidem pro ingenio Principis,& vorandi non voraturi.

Porrò in quarta cymba ſequebantur bellaria; poma ſcilicet,quæ floribus picta,niuibusq; candicantia,nouum neſcio quod fœdus Ver inter atque Autumnum & Hyemem conciliauerant. Huiuſmodi cymbæ aliâ aliæ pro opportunitate ſubibant,omnes quidem ex eodem latere phaſelum herilem aſſectantes. Altero autem ex latere adnabat protinus alia cymbula, in qua per Sabbatinas aquas multiplex peregrinusq́,Bacchus vehebatur. Ex eo liquore aurea identidē &corallina ſigna excudi repente crederes,dum ingerebatur in calices mira varietate fuſos,quà in arboream,quà in ferinā effigiem lucernę artificis induſtriâ, àPaulo illo vitrario fuſore prænobili;in quoFlorentia oſtētatVulcanum ſuum. Quoties noua quępiam phaſelus adPrincipalem acceſſit,toties conuiuas compellauit feſtiuâ cantiunculâ à Saraceno compoſitâ,illisq; dapib. cōmodâ,quas ea phaſelus importabat.At verò cùm aliquando Cardinalis vinū potaret blādè linguam cōpungens,Querengi quoq; nec opinātis aures blandè cōpupugit canentium ſymphonia per eiuſmodiEpigrammma,quod ipſe olim interVindemias ſcripſerat adCardinalē Segam,idemq; poſtea typis inter alia carmina ediderat.

Qui miſeri fatum Bacchi crudele tueris,
Magne pias Heros funde precor lacrymas,
Ille ego, qui domito duxi ex Oriente triumphum,
Progenies ſummi qui feror eſſe Iouis.
Poſtquam vite diu lentâ ſuſpenſus ad auras,
Vulnera,Solem,imbres,frigora,flagra tuli,
Ad prælum ſæuo infœlix damnatus ab hoſte
Torqueor indignis,dilaceroŕq; modis.
Dure negas fletum? mox cùm mea pocula ſumes,
Ipſa etiam inuitâ luce dabis lacrymas.

Sic hilariter pranſi ſunt, ſimul viſum exſaturantes ingenuis camporum ſcenis, atque inambitioſo vndarum argento ſimul auditum mulcentes identidem per vocum ac fidium melos; inprimis verò ingenium recreantes,quà decantatorum carminum lepore,quà intermixti ſermonis dulcedine. Ità ſanè,vt minimum hauſtæ inibi voluptatis ad palatum pertineret; quanquam menſa cunctos abſoluebat numeros lautitiæ citra epulum: quæ nimirum pompa inciuilis habetur,ni hoſpitum celſitas eam expoſcat.

LIBRI

Digitized by Google

LIBRI PRIMI
Pars Poſterior.

CAPVT XXIII. Reſumitur diſputatio & alia proponitur definitio Boni honeſti.

1. REmotis menſis, donec Aulici ſubinde cibo reficerentur, horaria fermè collocutio Cardinalem detinuit cum Querengo; Apud quem Patauini fluminis Venetorumq; canalium ſolatijs innutritum, haud facile dictu eſt, quantum gratiæ habebat ſpecies illa patriæ voluptatis. Tum verò in duas rates digreſſi, ſuâ quiſque ſuper culcitrâ corio Turcico amictâ procubuêre, & breuiuſculo laxoq; ſomno halitus à proxima dape ad cerebrum elatos diſcuſſêre.

2. At Saracenus, veri abditiq; ſua ſponte auidus, viſus eſt in menſa, perpetuò noſcitabundus, ita penè cibum ſumere ac mandere, vt manus ac dentes vſu trahente potiùs cierentur, quàm animo in eam procurationem intento. Poſt menſam porrò haud minùs à Saraceno quietem auertit recordatio lectiſſimarum commentationum, quas nuper ex colloquentibus acceperat, quàm à Themiſtocle olim obuerſantes animo Miltiadis palmæ. Tandem ſibi viſus eſt neſcio quid minimè gregarium cogitatione peperiſſe. Quare aduocatus à Cardinali, quem paulò antè Querengus conuenerat, rogatuſq; an ſuper matutina quæſtione quidquam occurriſſet, in hunc modum reſpondit.

3. Nodum ſanè perquam implexum video. Explicationem tamen aliquam, quam ingenium ſuggerit mihi, vobis tanquam iudicaturis ſiſtam; quò ſaltem ſapiens illa Socratis ignoratio paulò antè memorata creetur mihi inanitatem commentationis meæ ex vobis condiſcenti. Definiri poſſet honeſtum, id *quod è Republica eſt, vt præmijs & laudibus afficiatur.*

Non dixi quomodo audiſti: *vt laudabile ac præmijs afficiendum ſit.* Hæc enim vocabula ſignificarent *promeritum* laudis & præmij Iam verò promeriti nomen morale quid ſonat; Adeoque, quod ſequimur, non aſſequeremur, vt ſcilicet ex rebus tantùm phyſicis, & experimento notis primordia moralis rationis pateſiant. Imò, ſi hæ ipſæ voces, *laus* & *præmium*, notionem quampiam moralem ante ſe petere fortaſſe dicantur (*præmium* namque ſibi vult beneficium, quò meritos viros proſequimur, *laus* verò ſignificat teſtificationem alieni promeriti ac virtutis) adeóq; ſi relabi videamur in verticem illum, quem declinamus; ſi talis inquam nos dubitatio mordeat, hæc etiam vocabula ſemouere licebit; vel certè ſic ea explicare, vt nihil non phyſicum, & nobis expertum deſignent. Ne multis: honeſtæ actiones ità planè definiri poſſent. *Actiones, quæ huiuſmodi ſunt, vt expediat humanæ communitati earum auctoribus bona rependi* (id enim modò in tota hac ratione *præmij* nomine ſignificabo) *vtq; earundem auctores diligantur ac ſuſpiciantur paſſim à mortalibus, qui exter-*

Digitized by Google

externis etiam argumentis huiuſmodi affectus prodant; id enim pariter duntaxat *laudis* nomine ſubeſſe ſtatuo in hac mea diſputatione. Hæc autem omnia bonorum rependendorum genera, hoc eſt, beneficium, laus, admiratio, facile eſt ex iam diſputatis intelligere, quomodo vim trahant à ſola voluptate, quam generant; nihil vt inde labefactetur quod poſitum eſt: primordium bonitatis omnis in voluptatem referri.

Examinare iam libet definitionem allatam. Principiò: vides, quomodo 4.
in ea moralem voculam aſciui nullam, ſed vniuerſam definitionem honeſtatis mihi conflarunt nomina tantùm addicta naturalibus rebus, atque experimento perſpicuis. Quocirca nihil in ea peccatur, quantùm ad euidentiam verborum ſpectat.

Videamus iam de veritate, qua demonſtrata, nihil, opinor, vltra deſiderabitur.

Patet, quemadmodum ſapienter docebat Illuſtriſſimus Cardinalis, Na- 5.
turam, Naturaq; impellente Ciuilem Artem allaboraſſe, vt proficientia deprehenderentur ipſis auctoribus opera illa, in quæ publicè intererat pronos eſſe mortales; contra verò illa detrimentoſa, à quibus vt cuncti refugerent, expediebat. Quò per hanc induſtriam ſtudia priuati ac publici boni ſemper in idem amicè conſpirarent: quod erat ipſam generis humani beatitatem compendio architectari. Iam verò, vt vidimus, obfuiſſet Reipublicæ, procliues fieri mortales ad ea ſingula omnino, ac ſine vlla exceptione, quorum patratio plus commodi, quàm damni conferret. Quod abundè nuper comprobarunt exempla tum ſceleſti hominis, aut inepti Regis priuata auctoritate ſublati, tum mendacij ſalutariter editi. Ea igitur nominatim opera, ad quæ hominem inuitari, publica vtilitas exigebat per exquiſitam ſolertiam cùm Naturæ, tum Politicæ Artis afflata ſunt pellaci quadam illecebra, hoc eſt, ſpe ingentium bonorum ex alijs mortalibus eâ gratiâ percipiendorum.

Hæc verò bona ſunt duplicis generis. 6.

Altera quidem verſantur in reditibus, Magiſtratibus, atque alijs conſimilibus præmijs, quorum tributio eſt penes publici æris, publicæque poteſtatis adminiſtratorem, hoc eſt, penes Principem.

Huic autem inuitamento per ſe haud ſatis virium.

Primò quia, cùm huiuſce remunerationis largitio in vnius, aut certè paucorum arbitratu ſit, non rarò accidit, vt hi temerè præmium abiudicent, quibus Natura ſuffragabatur. Secundò ex quadam ratione, quam audiui olim de Virgilio Comite Maluetio, adoleſcente doctiſſimo, cuius familiaritati, dum Senis commorarémur, debeo quidquid hiſce ſuper argumentis vtcunque balbutio. Ratio autem erat huiuſmodi. Munera nuper dicta non dantur citra iacturam, aut munerantis, aut certè aliorum, ad quos ea obueniſſent. Cùm è contrario multæ irrogentur, vel cum commodo, vel ſine verſura multantis,

& cæ-

Digitized by Google

& cæterorum. Ideo tum ſcripto iure, tum more tradito plurimum abundant maleficiorum multæ ſupra benefactorum remunerationes.

Accedit ad has cauſas, quod in Principes, vtpote legibus imperantes (& eos præ cæteris intereſt imbui propenſione hac mortalibus vtili) eiuſmodi præmiorum inuitamentum iners eſt, vt Illuſtriſſimus Cardinalis animaduertit. Quapropter, aliàs aliâ ex enumeratis cauſis, crebrò accidit præmia & pœnas non tam merito à Iuſtitia, quàm inconſultè à Fortuna inter mortalium cateruas diſſipari. Benè Iuuenalis.

Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema. *Sat. 13.*

7. Et verò ſcelerum truculentiſſima ceu proditiones, conſpirationes, defectiones, cædes, ea nimirum ſunt, quæ à cæca illa rerum Domina identidem adoptantur ad faſtigia Regnorum: ex quibus Regnis rara vtique à principio innocenter quæſita. Artaces in Principem ſuum Aſſyriorum Regem conſpirans, herili ſanguine Medorum Imperium ſibi fundauit. Hoc ipſo Imperio Cyrus Auum diſpoliat, ſceptrumquе́ in Perſidem transfert. Giges Candaulem prodit, & Lydiam occupat. Philippus perfidiæ ſuæ Græciam debet. Alexander inter coniuratos eſt, qui patrem eius Philippum tollunt; itaque viam ſibi munit ad Orientis dominatum. Romulus fraterna cæde ſceptrum confirmat. Cæſar per calcatam Patriæ libertatem, Auguſtus per proſcriptorum ciuium ſtragem ad Mundi ſolium conſcendunt. Contra verò non ſolùm aliquando *probitas laudatur & alget*, à præmijs videlicet nuda, ſed præterea, *conditione temporum incidunt quædam, quæ poſſint laudata puniri.* Quid enim? Balthaſarem ſatraparum ſuorum timor adigit, vt in lacum Leonum detrudat Danielem hac vna flagrantem culpa, quod Regi ſuorum Idolorum inanitatem, ſuorumquе́ Sacerdotum fraudem patefecerat. *Sen. de clem. c. 2.* *Dan. c. 2.*

8. Alteram igitur bonorum claſſem Natura fabricata eſt, quæ bona validiùs propenſionem hanc ad honeſtè agendum Reipublicę commodam in omnium animos inſinuarent: laudes loquor. Talium ſanè bonorum diſpenſandi poteſtatem abnuit Natura conferri in Principem quantumcunque ſupremæ atque abſolutiſſimæ dominationis, ſed eam poteſtatem ad perpetuum tempus commiſit toti vniuerſitati mortalium, non præſenti modò, linguasquе́ proin timori ſæpè mancipantium; ſed poſterorum, adeoquе́ vocem vſurpantium nullius imperio præterquam Veritatis addictam. Ita factum eſt, vt cuilibet vel deſpicatiſſimo ſeruulo mille poſt annos orituro ſubiaceat quicunq; nunc Regnantium potentiſſimus; in huius, vt ita dicam, congiarij partitione. Quemadmodum verò Natura palatum vniuerſarum animantium conciliauit eiuſmodi cibis, quos appeti proderat ad ſingulorum vitam; ſic illa pariter effecit, vt noſtri animi palatum (ſi fas eſt dicere) vehementer caperetur laudum ſapore, callidè à ſe ijs rebus inſperſo, quas ab homine appeti humanæ communitatis intererat.

Digitized by Google

CAPVT XXIV.

Refelluntur negãtes gloriã eſſe in magnis bonis

ENimuerò nonnulli, qui vt præ cæteris ſapientiam iactent, alienos labores laudis gratiâ exantlatos cauillantur, requiruntque cachinnantes: *Laus, fama, gloria quid prodeſt? cur exoptatur?* Si ſeriò loquuntur, næ ipſi iuſtioribus ſe cachinnis obijciunt. *Quid prodeſt hæc res?* tantundem ſonat, & *cuinam bono quærendo hæc res eſt medium vtile?* Veruntamen, non quæcunq; meritò amantur, in medijs vtilibus cenſentur: quin potiùs eorum, quæ amantur, amabiliora ſunt extrema ſeu *fines.* Quod nomen vſurpatur hîc à me non tam preſsè, vt modò ab Illuſtriſſimo Cardinali, ſed *finem* intelligo quidquid per ſolam ſui poſſeſſionem poſſeſſori notam placet, vel quacunque alia vtilitate ſeparata. Scitari ig[illegible], *quid prodeſt laus, vel gloria?* ad conficiendum, ſi nulli vſui proſint, expetendas non eſſe perinde eſt; ac pro certa ſumere ſententiam Epicuræorum negantium laudem & gloriam aliâ gratiâ deſiderari, niſi vt medium ad aliud quidpiam boni ex laudatoribus decerpendum: Quod ſanè tam falſum, quàm quod falſiſſimum: quando laudari exoptamus etiam à poſteris, quibus nihil noſtri præter nomen aderit, circa quod beneficia, vel iniuriæ verſari poſſint. 1.

Quod ſi concedant, laudem, non tantùm vti medium, ſed vti quid extremum appeti, ſtultiſſima illico apparet ea percunctatio, *Cur laus deſideratur?* Vocula illa, *Cur?* cauſam petit; & verò in eâ quæſtione, quam habemus, petit cauſam ex eo nominatim genere cauſarum, quæ appetitum alliciunt. Verùm non quidquid appetitum allicit, vim ſuam trahit ex alia poſteriore cauſa alliciente, ne infinitè procedatur, vt ſcitè concludit Ariſtoteles 2. lib. Phyſic. Quare in reddendis appetitionum noſtrarum cauſis ſiſtendum eſt in vltimis quibuſdam inuitantibus, quæ ſui amorem pariunt per ſeipſa; & hæc dicuntur *fines.* Quid ergo? Sciſcitari, cur finis aliquis placeat, non abſimilis inſcitia eſt, ac requirere; cur ſit hic omnino Deus potiùs, quàm alius. Perinde enim finis quilibet, qui per ſe appetitur, primum quid eſt inter cauſas eam appetitionem allicientes, vti Deus inter cauſas effectrices, atque adeo inter vniuerſas. Quocirca in fine iuxta, atque in Deo nullum reperitur, *Cur*; nulla ſuperior nimirum talis ordinis cauſa, ex qua vterque dependeat. Vel, vt exempla familiariora nobis producamus, nihilo ſapientiùs rogatur cur laus tantopere delectet, quàm cur dulcedo præ amaritie complaceat. Cui nimirum interrogationi aliud reſponderi nequit, extra illud Ariſtotelis, *Neſcio cur; ſed placet.* 2.

2 magn. moral. c. 8

At ſi per eam interrogationem non alliciens ſed efficiens quæritur cauſa; reſpondere tum licebit: *quia Natura ſic voluit.* Deinceps verò, quo fine allecta fuerit Natura ipſa ad volendum, vt laudatio ita ſe haberet ad animum ſicuti dulcedo ad guſtum, iam à nobis eſt dictum. Quia nimirum vti dulcedo, ille ſaporum eſt, qui datur pabulis ad ſingulorum vitam fouendam idoneis (quippe omne alimentum debet eſſe dulce, ſi Ariſtoteli credimus) Ita laus tanquam blandulus quidam ſapor eſt, quo contincta ſunt opera, quæ

quatuentur, vegetantque quodammodo integram vniuerſitatem gentis humanæ.

3. Cæterùm, quando videmus, Deum ipſum mirificè ſuis laudibus arridentem; quando videmus Dei Sponſam Eccleſiam decretas publicè laudes rependere, tanquam mercedem vel Superis non contemnendam; quando videmus ætates & nationes quaſcunque alacriter per infinitas laborum procellas ad huius tanquam aurei Velleris ſpolia connataſſe: an non frigidiſſimæ dementiæ eſt eos ludere, qui laudem in pretio habent, hoc eſt, homines vniuerſos, rerum Naturam, atque adeo ipſum Deum? Et verò, ſi laus deſpicabile quid eſſet, cur tantopere illorum ſanctimoniam admirabundi prædicaremus, qui propriam laudem Dei ſtudio proculcarunt?

4. Haud equidem nego etiam dempta qualibet inuitatione laudis & gloriæ, atque homine aliquo, aut in eiuſmodi latebra conſtituto quæ vel Angelorum falleret viſum, aut gerente annulum illum Gygis portentoſum, annuli palâ eo modo conuersâ, vt gerentem aſpectui ſubduceret vniuerſorum; huic tamen homini honeſtè agendum, vel ſolo reſpectu honeſtatis. Veruntamen Perſio ſanè ſubſcribo, quippe & præfato.

an erit qui velle recuſet *Sat. 4.*
Os populi meruiſſe?

& ſubdenti,

Sed recti finemq́; extremumq́; eſſe recuſo
Euge tuum, & bellè: nam bellè hoc excute totum.
Quid non intus habes?

Supremis igitur in muneribus laus & gloria numerantur, quarum ſpeſictus eſt ad agendum valentiſſimus.

Hoc ita conſtituto, promptum eſt allatæ à me definitionis veritatem demonſtrare. Ita planè. Nullus tam ſagax futuri vates, quàm præteritum Tempus; quocirca præiudicata hominum expectatio laudes ac præmia ſperabit inpoſterum ab ijs nominatim factis, quorum factorum ſimilia viſa ſunt paſſim aliàs laudibus ac præmijs exornata; Tum, quod huic proximum eſt, in hæc præcipuè facta mortales procliues fient. Quapropter ea tantùm præſtat præmijs ac laudibus ditari, ad quæ præſtat quemlibet procliuem fieri. At hæc honeſta duntaxat opera ſunt. Igitur definitio, quam propoſui, vera eſt: quandoquidem ipſa & res definita, honeſta ſcilicet opera, reciprocantur.

CAPVT XXV.

Reijcitur ſupraſcripta definitio. Non quia non vera, ſed quia non prima.

1. MIrum quantum oratio tua vniuerſa me delectauerit, Querengus ait; Tum verò inprimis eorum inſectatio, qui non ex Chriſtiana demiſſione, ſed ex captioſis quibuſdam ſcitamentis laudem aſpernantur. Audio equidem nonnullos, qui aliquid humano maius fieri putant ſapientiam ſuam, ſi cuncta hominum facta & vota caſtigent. At enim hæc non tam ſapientia, quàm

Digitized by Google

quàm ſuperba ſtultitia eſt. Quorundam vtique hominum ex vitioſa conſuetudine deprauatus eſſe poteſt appetitus; ſed vniuerſis generatim hominibus eæ demum appetitiones innaſcuntur, quas Natura proſeminauit. At gentilis Adami labes vniuerſum genus corrupit. Credo; ſed ita, vt propria ſui bona quiſque auidiùs conquiramus; non autem, vt ea, quæ omnibus videantur bona, bonitatis gradum contineant nullum. Scilicet, quid aliud eſt tandem damnare tanquam perſonata bona res illas,quas cuncti ſuopte ingenio ęſtimant, admirantur, cupiunt, niſi damnare ſimul Naturam ipſam, quaſi in homine informando aut hebetem, aut nouercam? Dicatur potiùs, naturales cupiditates Religioni,quæ ſupra Naturam aſſurgit, mancipandas; dicatur,cunctis terrenæ vitæ fluxis, infectiſque delicijs ne ſtillulam quidem æquari illius liquidiſſimæ voluptatis, in qua tanquam in nectareo quodam pelago fœlices animæ ad æternum tempus demergentur. Dicatur præterea,eiuſmodi cupiditates in animis noſtris excitas à Natura,etiam ex humanæ prudentiæ monitu refręnandas; ne fortè, dum bonum aliquod incitatiùs perſequimur, in aliquod ingentius malum temerè irruamus. Et hanc verò perniciem identidem creat iſthæc laudum immenſa cupido; quæ iuxta deprauatas turbæ opiniones ita nos pertrahit, vt ſæpe in deliberando laudata vulgo vitia improbatis virtutibus præponamus. Solam ergo præſtat perſequi Honeſtatem; quippe tutiſſimam ducem. At, ne interim inficiemur, bonum eſſe, quod vniuerſi mortales expetunt. Nempe, ſic demum ab Ariſtotele bonum ipſum definitur: *quod appetunt omnia.* Equidem notaui ſæpe viros aliquos, non malos vtique, nec doctos, confidentiſſimè vociferantes apud vulgus; vt humanæ gloriæ inſatiabiliter quæſitæ perniciem,vel aliam ex iſto genere veritatem quampiam, ſed falſis argumentis,euincerent. Quippe in eo allaborabant,vt è bonis expungerent id, quod apertè bonum eſt, licet ſæpe illud idem prauitas bonitate grauior comitetur. Itáque hi,dum confuſis indiſtinctiſq; vocabulis promiſcuè abutuntur, nihil efficiunt apud ſapientes auditores. Nec tamen ideo eos denique prorſus damnauerim: Quippe & imprudentes tandem ac neſcij fallacijs vtuntur, & ex ipſis argumentorum fallacijs veritatem vtcunque in conſecutionibus exprimunt. Quocirca & noxâ vacant,& fructu non vacant.

Nec minùs egregia fuere, quæ de præmio diſputaſti, quæ proportione 2.
valent etiam in pœnam. Cogitabam, quàm bellè per ea illuſtrari poſſit effatum Democriti memorabile; Præmium & Pœnam geminos eſſe mortalium Deos. Nullum decus Dei magis proprium apud mortales, quàm vt eius causâ honeſtum commodo præferatur. Iam verò huic diuino muneri obeundo videtur Deus hoſce in terris ſibi ſuffeciſſe vicarios: Præmium & Pœnam.

Atqui vt hæc diſputationis tuæ quà ſubtegmina,quà lacinias mirificè probem,ipſum tamen textile (antiqua libertate perantiquus ipſe te alloquor) non perinde mihi probatur. Etiamſi honeſtum plana quadam ac vera illius pro-

prietate

prietate ſignaueris, in iſta definitione tamen deſideratur, vt ex primis manet, quomodo Dialectici iubent. Et quoniam ingeniorum veſtrorum pernicitate vſque adeo proceſſimus in huius loci perquiſitione, iam faſtidioſus prætereo id ipſum, quod antea ne ſpe quidem auſus fuiſſem attingere. Quid mihi ſcrupuli adhuc hæreat, apertiùs ediſſeram. Si quis hominem definiret *animal implume bipes*, definiret quidem verè ac planè; haud tamen rectè. Nec enim exprimeret primum illud ac præſtantiſſimum hominis attributum, ex quo in homine pendent reliqua omnia; ſcilicet, duobus pedibus ingredi, non eſt operatio tam præclara, cuius titulo vindicare poſſet homo terrarum Regnum, & cæterarum animantium tanquam à Natura ſibi emancipatarum dominatum. Item eiuſmodi ingreſſus non illa operatio eſt, ex qua oriuntur proprietates hominis cunctæ; quin potiùs illa proficiſcitur ex Ratione, quæ antiquiſſima eſt humanarum proprietatum quaſi radix & vena. Natura enim cùm deſtinaſſet homini Rationis vſuram, adeoque vim contemplandi in cœleſti Theatro diuini Opificis admirabilitatem; cogitauit propterea, humanos oculos in Cœlum erigere; quod fieri non poterat, ſi homo quatuor æquè plantis vniuerſis innixurus erat, ceu reliquus implumium animantium grex. Hac de cauſa erectum edidit, ſatiſq; duplici planta fulcitum.

At non ita Rationis in homine alia antiquior origo eſt. Quare, vt pateſiat primum illud & præſtabiliſſimum, vnde exiſtit quidquid eſt belluarum diſſimile in nobis; vtique definiendi ſumus non tam *bipedes animantes*, quàm *Rationis compotes animantes*.

Ad hæc Saracenus. Ne graueris, quæſo, rurſus mei erudiendi gratiâ reſiſtere aliquantulum; meoq; ingenio humaniter parce, dum inſtar impotentioris canis auertitur à perſequenda fera illa, ad quam diu anhelauerat, vbi ex improuiſo obtuetur nouum ſpei & cupiditatis irritamentum. Videor mihi inaudiſſe irrideri à Galeno iſtiuſmodi cauſam, quam Ouidius adeóq; alij producunt, cur Natura effinxerit hominem rectum, & duobus tantùm pedibus inhærentem: ab eóq; aduerſus id obijci piſcem neſcio quem Vranoſcopum nomine apud Græcos, quaſi dicant *Cœli ſpectatorem*: qui, cùm oculos gerat in capitis vertice, haud paulò magis, quàm homo ad Cœli ſpectaculum erectus eſt. *De vſu par. l. 3. c. 3*

Eſt, vt dicis, Querengus ait; & cuilibet rem iſtam curioſiùs examinanti, ſitumque oculorum quà in homine, quà in reliquis animantibus reputanti, probabilis erit, vt reor, eiuſdem Galeni ſententia, affirmatiſſimè cenſentis, hominem ideo rectâ ſtaturâ præditum, quo expeditè vteretur manibus, hoc eſt, ſolertiſſimo cunctarum artium inſtrumento. Nam, quod attinet ad aſpectum Cœli, haud paucæ belluarum ſunt, quæ perinde ac homo & oppoſitam Cœli partem continenter cernant, & eam, quæ ipſarum capiti rectà imminet, cùm viſum fuerit, reflexa paululum ceruice ſuſpiciunt. Ego tamen, vbi hoc exem-

Digitized by Google

exemplum adhibui, Ariſtotelis aliorumqúe Sapientum veſtigia ſeruaui, qui non tam veritatem, quàm vulgarem approbationem in exemplis quærunt. Cùm enim res aliqua peculiaris in exemplum vſurpatur, non vt ſuper eius rei natura philoſophemur,& ſententiam cernamus;ſed vt quippiam aliud,de quo diſputatio erat, explanetur: quis non videt, ad eiuſmodi explanationem plus conferre in exemplis opinionem, quàm veritatem? Quid tamen? etiam ſi ſeueriùs à me hîc veritatem exigas, haud illa deſideratur in exemplo, quod produxi. Do quod Galenus contendit; & deinceps ita diſputo. Homo eâ gratiâ bipes procreatus eſt, vt hominis manus tot opificia mira æquè atque vtilia moliretur. Verùm,ideo præ alijs animantibus homo ſortiri manum poterat eiuſmodi opificiorum architectam, quia homo vnus omnium callebat induſtriam regendi opportunè motiones ac pulſiones manus: quippe vnus omnium ad id à Ratione inſtructus. En tibi, Rationis vſum illud tandem fuiſſe primordium, in quod reſpiciens Natura, hominem bipedem efformare ſatiùs habuit.

Id ipſum transfero ad rem noſtram. Eſt quidem honeſtè factorum proprium, vt eorum laudatio ac remuneratio proſit humano generi. Veruntamen iſthuc eſſe non poteſt attributum illud ſummum&antiquiſſimum,ex quo defluant omnes aliæ honeſti boni proprietates. Enimuero amor ille Honeſtatis, quo nobiles animi exardeſcunt, aliud ſanè quiddam pulchritudinis intuetur ac ſequitur in diuina illa Honeſtatis forma, quàm hoc vnum, quod honeſtè factorum præmium & laudatio mortalibus conducat. Nimirum, ni aliud excellentiæ honeſtas præferret, an non quemlibet ingenui animi Ciuem Reipublicæ Caritas extimularet ad flagitioſi hominis cædem in publicum bonum; & ſi maximè præuideret facinus illud è re vtique gentis humanæ, è re itidem gentis humanæ vituperandum & plectendum? Præclarius neſcio quid eſſe oportet iubar illud ſanctiſſimum, quod ex ore Virtutis eminet, quodque, vt ait Plato,ſi oculis cerneretur,mirabiles ſui amores paſſim excitaret. Iubar ſanè vſque adeo fulgens ac decorum, vt quandocunque illius imago ad voluntates noſtras repercuſſa eſt,toties vel ipſum contemplantem Deum non ita prorſus liberè in ſui amorem ac voluptatem rapiat. 3.

CAPVT XXVI. *Definitur honeſtū, ꝙ Naturæ placet*

AD id tempus alta meditatio Cardinalem occupauerat, ſimul tacitum, atque vno hærentem in obtutu, ſimul comitum ſermonibus peratten- 1.
tum. Ecce tibi, excutitur improuiſa quadam ſignificatione lætitiæ; Qua de re Querengus id quod erat ſuſpicatus,vt erat eruditè feſtiuus, Enimuero, inquit, aſſimilem geſtum editum reor ab illo, cui primum Auroræ crepuſculum affulſit, poſtquam Tyrij certatim tamdiu conſtiterant in eius expectatione defixi; vt in illo quieſcentium, non currentium hominum ſtadio, oculorum, non pedum pernicitas diademate, non frondibus coronaretur. Quantò enim præſtat

ſtat Dies, quæ animo; quàm quæ oculis illuceſcit, tantò ſcio apud te præſtare Regnum illud, quod Natura in Sapientia collocauit, quàm quod Fortuna in Potentiam profudit.

At Cardinalis; iocoſa tum auocamenta præteriens, & ad rem ipſam feſtinans, hæc habuit. Haud ſcio verumne teneam, an credula me cupiditas ludat; dum videor mihi adinueniſſe, quod aucupamur. Vtcunque non tam mihi, quàm vobis laus ceſſerit, qui & alas ingenio ad quærendum aptaſtis, & vbi quærere fruſtra eſſet, indicaſtis. Nempe vel bruto animali facilis eſt coniectura, in poſtrema ex triuij ſemitis feram perreptare, poſtquam ipſam à duabus alijs attenta ſagacitas odorationis auertit.

2. Sic exiſtimo. Prima Honeſti notio hæc eſt. *Id quod agi à nobis Naturæ placet.* Enitar oſtendere, definitionem hanc apertam eſſe, veram, & deſumptam ex primo, eodemq; præſtantiſſimo honeſtatis attributo. Hæc ipſa tria ſi euincam, ea, opinor, cumulatè perfecero, quæ tu, Querenge, in ea, quam venabamur, definitione meritò requirebas.

Primùm inter ea, quæ ſpopondi, primo loco aggrediar, ſcilicet propoſitæ à me definitionis perſpicuitatem; quod vnum omnino ex illis tribus anceps videri poteſt. Nam, de cætero, totus fermè Senatus Philoſophorum ponit Virtutem atque Honeſtatem in his, quæ ſunt *ſecundùm Naturam.* Neque id moleſtum accidit mihi, quaſi rancidulum quid exhibenti; quin pergratum, vtpote ex hoc ipſo veritatis fiduciam concipienti. Quodcunque verum eſt, id vtique longæuum ſcio; quippe ſempiternum ac Deo æquale: falſa duntaxat, quippe deerrantium ingeniorum fœtus, laſciuiunt ac feruent iuuentute, formoſiore quidem ætate, quàm ſapientiore. Quis neſcit, veritatem eum denique veluti magnetem eſſe, ad quem vnum mens noſtra ſuopte ingenio flectitur? Quare non poteſt aliqua veritatis fibra non ibi latere, quò videmus humanas paſſim mentes inclinaſſe. Nec adeo tenuis mihi labor fuerit in præſentia, dum contendam, vt explicatè appareat Veritas illa, quæ antea horum, quæ dixi, nominum inuolucris abdita potiùs à veteribus, quàm expoſita videbatur.

CAPVT XXVII.

Palàm fit euidentia prædictæ definitionis.

1. INcipe; Aio, duo hæc nomina, quæ vſurpaui, *placet* & *Natura*, ſi attentè reputemus, per ſe manifeſta eſſe. Sanè illud primum, hoc eſt, *placere* ipſum quid ſit, luculenter experimur vniuerſi: de altero ambigi poſſet. Quid tamen? An non id eſt Naturæ vocabulum, quod nulla philoſophantium diſciplina, nullus populus, ætas nulla neſciuit? Permulti quidem ſuper varijs huiuſce Naturæ attributis, quippe paulò obſcurioribus, deerrarunt. At verò quis pariter non errat, aut certè non hæſitat ſuper Cœli Soliſve attributis; An propterea Cœli Soliſve nomen luculentiori explicatione indiget, vt eius poteſtas intelligatur? Satis ergo elucet cuiuſpiam nominis euidentia, quoties aliquæ proprietates per illud expreſſæ, & nulli prſterquam rei denominatſ conuenientes,

cui-

euidenter liquent. Quod cùm ita ſit; nemo ignorat eſſe in rerum vniuerſitate vim quandam procreantem tot effecta iugi ſemper tenore fluentia & aptè inuicem nexa. Scilicet, vel ipſi Epicuræi, quas Mundi habenas eripuerunt Diuinitati, eaſdem commiſerunt Naturæ, vt apud Lucretium conſtat, vtq; Iuuenalis tum ſignificat, cùm eiuſmodi Philoſophorum inſaniam refert.

Sat. 13.

Sunt qui in Fortuna iam caſibus omnia ponunt;
Et nullo credunt Mundum Rectore moueri;
Naturâ voluente vices & lucis & anni.

Quanquam verò perpauci quidam non dubitarunt, ſupremam hanc perpetuò conſimilium effectorum parentem orbare intelligentiâ & voluntate, tamen imprudentes hac de re in ſuis ſibi rationibus repugnarunt. Id obſeruare licet cùm in eodem Lucretio, tum in Balbo Atheorum patrono apud Tullium lib. 3. de Natur. Deor. Hi enim vt ea declinent argumenta, quæ per hunc mirabilem Vniuerſitatis ordinem, ordinantis cuiuſpiam cauſę prouidentiam cogunt; reſpondent, eiuſmodi cauſam non Deum aliquem, ſed Naturam eſſe. Quare, velint, nolint, tacitè admittunt, prouidam aliquam procurationem, ac proinde intelligentiam & voluntatem, in quadam ſuprema cauſa licet abnuant, eam ſecretum quid ac diſtinctum eſſe à Mundo ipſo: quod opinor *Dei* vocabulo ſignificarunt, vbi eum à Natura ſeiunxerunt. Atque vt quæſtionis iugulum petam, palamq; demonſtrem, à me hoc Naturæ verbo id proferri, quod 2.
apertiſſimum eſt ante omnem aut ſubtilioris philoſophiæ, aut delapſæ Cœlo fidei lucem, Naturam hîc intelligo vim illam, quæcunque ſit, qua impellimur ad aliquas res geſtas etſi nihil nobis proficientes, vel in hoſte commendandas, colendaſque, ad alias, quantumuis nobis innoxias vel in amico auerſandas ac deteſtandas. Vim illam intelligo, quæ beneuolentiam nobis inſinuat aut erga humanitatem Alexandri captiuis Perſarum Reginis filium ſeſe præbentis non victorem; vel hoc vno victorem, quod ſe medios inter triumphos victarum formæ non mancipauerit: aut erga liberalitatem Pyrrhi repudiantis ex militum Romanorum liberatione pretium omne præterquam virtutis & laudis; aut erga temperantiam Publij Scipionis, ob id vnum ſummo loco æſtimantis donatam ſibi à militibus formoſiſſimam Virginem, vt eam ſponſo Celtiberorum Principi intactam reſignaret; aut erga Franciſci Gallorum Regis magnanimitatem aſpernantis fraudem illam pretioſiſſimam, ſibique ab incuruis quibuſdam animis vehementiſſimè ingeſtam, ſuadentibus vt hoſpitium in carcerem immutaret Carolo Cæſari, quem vnum bello ac potentiâ ſibi æmulum videbat inter mortales. Tum contrà, vim illam intelligo, cuius inſtinctu incenſus Cæſar exarſit in Ptolemæi proditionem, licet ſibi mundi ſceptra confirmantem. Eam vtique vim, quâ vel Tamerlanes ille tam barbarus factus eſt, vt peroſus parricidium à Baiazete in maiore natu Solimanno fratre perpetratum, tam diras ex ipſo pœnas exegerit implacabilis: Vim illam, quæ generoſæ Fran-

Iouius in Elog. Baiazetis 1.

Francorum indoli ſic inuiſum reddidit Bernardinum Curtium, qui eis Ticinenſem arcem prodiderat, vt colluſores, neſcio quo in ludo, vbi luſoriam cauſulam proditoris effigie pictam appellari vſui erat, amaro cauillo Bernardinum Curtium appellarent; Illam, quæ vel fabularum ſpectatores non multis ab hinc annis in Romano Societatis IESV Collegio tam acriter exacuit aduerſum ſceleſtas Eunuchorum fraudes graphicè deſcriptas à Bernardino Stephonio, vt vbi eos iam flagitij manifeſtos, & quaſi pœnam daturos efferebat ſcena, feriò populus conclamaret, *confode, confode.* Illam denique vim, quæ ob aliquā facinora, ſimul cunctis latentia, ſimul auctori percommoda, huius tamen animum illatis veluti furijs continenter diſcruciat. Nimirum præclarè Iuuenalis,

prima hæc eſt vltio; quod ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur. *Sat. 13.*

& paulò pòſt,

diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiens animo tortore flagellum.

Vniuerſi ergo, & eiuſmodi affectiones experimur, earumque principium, quodcunque demum id ſit, *Naturam* vocitamus. Iam res illas, quæ cum huius Naturæ nutu congruunt, agere, id tandem eſt honeſtè agere: eidem verò Naturæ inobſequentem ſeſe agendo præbere, id omnino eſt agere turpiter, atque inhoneſtè.

CAPVT XXVIII

Super hac definitone concordāt vniuerſæ philoſophorū ſectæ. Eiuſdē definitionis veritas probatur: & quanā ſit regula dignoſcendi nū aliquid Naturæ placeat.

1. ET hæc planè ſententia fuit, ſicut modò ſignificabam, non Academicorum & Peripateticorum duntaxat, inter quos hac ſuper quæſtione conueniebat, ſed item Stoicorum. Vt enim Tullius enarrat, Stoici ab alijs, quos antea memoraui, in hoc vno diſceſſerant; quod ſuperiores illi bonum & honeſtum poſuere in ijs rebus, ad quas Natura nos inflectit. Stoici verò nullam in rebus ipſis bonitatem aut honeſtatem collocabant, ſed boni rationem vniuerſam concludebant in hoc ſolo, vt nos gratiâ eiuſmodi rerum à Natura nobis commendatarum omnia faciamus; modò res illas, quas Naturæ gratiâ perſequimur, aſſequamur, modò non. Atqui re ipſa, vt idem Tullius vidit, Stoici nominibus tantùm à reliquis abſcedebant; nihil enim extra virtutem, nihil extra laudabilia opera, boni titulo dignabantur; vt ſarta tecta cuſtodirent magnifica illa dictata, *bonum vniuerſum, atque adeo fœlicitatem, in noſtra eſſe poteſtate extra omne arbitrium fortunæ.* Sed quoniam apertiſſimè conſtat, non aliâ tandem causâ bonum eſſe dare operam, exempli causâ, vt amicus valeat potiùs, quàm vt ægrotet, niſi quia ſanitas amici præ illius ægrotatione aliquid præſtantiæ habet; aiebant res illas, quibus aſſequendis virtutes operam impendunt, *præpoſita* & *expetenda* vocari poſſe, *bona* vocari non poſſe.

En quomodo voce tantùm à prioribus diſſidebant: quippe non extendentes (vti priores) boni vocabulum ad omnia ea, quæ appetitionem trahunt, quæq; delectant, ſicuti priores extenderunt; ſed modò ad ea, quæ ſunt digna laudibus, & quæ à Scholaſticis dictitantur, *Virtus & Honeſtas non obiectiua, ſed formalis.* Cæterùm hoc inter vtroſque conſtabat, bonum abſolutè, ſeu honeſtum, vel id eſſe, *ad quod Natura nos inclinat*, vel certè eſſe, *agere gratiâ illius, ad quod Natura nos inclinat.* Imò, non hæ tantùm, quas memoraui, diſciplinæ, ſed itidem Epicuræi & honeſtatem in agendo eſſe aliquam fatebantur, & illam docebant eſſe; *agere ſecundùm Naturam.* In eo quidem falsè, quod prædicabant ſecundùm Naturam eſſe, vt vnuſquiſque ſequatur vnicè voluptatem ſuam; ſed humanum cœtum ita eſſe comparatum, vt ex flagitijs Reipublicæ noxijs eiuſmodi flagitiorum auctor voluptatem ſperare prudenter non poſſit; ſed vel, Patriâ euersâ, ſuam pariter euerſionem, vel ea ſtante ſupplicium; adeoq; commune mortalium odium, communiſq; odij ſocias vitæ calamitates. Quare conficiebant, vnum & idem eſſe hominibus iter tutiſſimum voluptatis atque honeſtatis. Nimirum igitur omnes Philoſophorum familiæ conſentiunt, id agendum, idq; honeſtum, quod à nobis Natura exigit. Et iure quidem. Cùm enim ab ipſa Natura in nos, & vita, & intelligentia, & inclinationes animi, & bona omnia deſcendant, naſcimur proinde huic parenti fataliter ſubiecti: noſtrarumqúe actionum regulam ſortimur, non libidinem noſtram, ſed arbitrium Naturæ; illius monita ſeruaturi, tanquam Præceptricis; eiuſdem imperijs obtemperaturi, tanquam Dominæ; eidem verò munera repenſuri, tanquam benemerenti; eius denique votis morigeraturi, tanquam omnium, quas nouimus, rerum optimæ, atque obſequio digniſſimæ. 2.

Reſtat locus huic diſputationi vel maximè neceſſarius de norma illa, quæ nobis tributa eſt ad internoſcendum quid placeat, quid diſpliceat Naturæ, vt ad eius voluntates aptè conformemus noſtras. Locus, inquam, maximè neceſſarius; nempe haud ſuperbiùs, quàm periculoſiùs foret hominibus aſpernari ſuper factorum honeſtate quamlibet philoſophiæ normam, & interiorem duntaxat inſtinctum audire ac ſequi. Quis enim non ſentiat, quàm crebræ ſint, quàm inſidioſæ impotentium perturbationum offuciæ; quantiſqúe præſtigijs, ingenitum animis lumen obnubant. Profectò, niſi è cœlo philoſophiæ fida & renidens affulgeat animo lux, meritò vnuſquiſque noſtrûm ſæpe dubitaret cum Virgiliano adoleſcente. 3.

Virg. 9. Æneid.

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt,
An ſua cuique Deus fit dira cupido?

Veruntamen eiuſmodi normam, quam venamur, ea quæ vos diſputaſtis, non obſcurè indicant. Id placet Naturæ, quod vt ei placeat, commodum eſt Vniuerſitati rerum ratione vtentium. Æquiſſima enim Parens affectiones ſuas ad commune liberorum bonum vnicè accommodat.

Quo-

Digitized by Google

Quoniam verò, vt obſeruaſtis, non expediret hominum vniuerſitati, honeſtum eſſe (hoc eſt, Naturæ gratum) facinus quodlibet infinitè, cuius patratio plus emolumenti, quàm labis importaret; ideo Natura non eiuſmodi omnia facinora infinitè probat, neque ijs infinitè omnibus laudes ac munera conferre nos monet: ſed ijs duntaxat operibus fauet, quæ opera ſi Naturæ placere, & paſſim laudibus ac præmijs decorari conſtiterit, idipſum è Republica erit.

CAPVT XXIX.

Docetur, hac definitione enucleari primā ac ſtabiliſſimā Honeſti proprietatem.

1\. HÆc honeſtatis notio, præterquam quod vera & plana eſt, vocibusque per ſe manifeſtis (naturalibus quippe, non moralibus) conſtat, eos inſuper numeros abſoluit, quos tu, Querenge, præſcripſiſti. Primùm enim, retegit altiſſimam honeſtatis radicem: hoc eſt, placitum illius Mentis, cui ab æterno tempore ineſt ineluctabilis atque abſolutiſſima noſtrorum omnium poteſtas. Hoc verò Mentis ſupremæ placitum ſuper vnaquaque re non temerarium, atque ad libidinem pono. Sed aptiſſimè accommodatum ad id, quod cedit in amplius bonum (hoc eſt, in amplius oblectamentum) Vniuerſitatis humanæ.

Ad hoc, per eandem definitionem cernitur, quid tantum ſit pulchritudinis in honeſtate. Quis enim non videat, quàm præclarum ſit, conſilio & voluntate Mentis mentium omnium ſapientiſſimæ & cæleſtiſſimæ noſtras appetitiones metiri?

Protinus autem huic rationi complura conſequuntur non magis ad contemplandum eximia, quàm ad agendum opportuna.

CAPVT XXX.

Cuius momenti habenda ſit belluarū voluptas ad expendendam rerum honeſtatem.

1\. PRimum eſt: in committendis inter ſe oblectatione ac moleſtia, quæ mortalibus orirentur, ſi actio quæpiam honeſta eſſet (hoc eſt, Naturæ grata) vt dignoſcatur honeſta-ne ſit reipſa, nec-ne ſit, leuiſſimi momenti in hoc examine habendam delectationem, ac moleſtiam illam, quæ belluis ex eiuſmodi actione obueniret. Cùm enim illæ ſuperioris Naturæ notionem habeant nullam, indocileſq; ſint conformare ad Naturæ voluntatem potiùs, quàm ad propriam voluptatem appetitiones ſuas, nec ipſa viciſſim Natura voluntatem ſuam ſibi conformandam duxit ad belluarum bonum, ne nos in earum vtilitatem curandam obligaret eo fœdere, quo belluæ ipſæ in vtilitatem noſtram non obligarentur. Accedit ad hanc cauſam, quod cùm belluæ tam longè infra hominem iaceant, peræqua proportione infra illum amandæ fuerunt à Natura. Æqualitas nempe non niſi inter æquales æqua.

Dixi *leuiſſimi momenti*, non tamen, planè nullius. Nam placet Naturæ, vt quoſcunque tandem ipſa liberos genuit, hos ad iucunditatem, non ad ærumnas genuiſſe videatur. Quare ſanctiſſimis quibuſdam viris miſeratio belluarum peperit laudem; velut Blaſio, qui, dum inter Argæi montis nemora latitaret, ſylueſtrium inibi ferarum curabat morbos. Contra verò, Areopagi Senatus

natus

Digitized by Google

Quint. lib. 5. c. 9. natus puerum, cui in eruendis coturnicum oculis libido erat; morte damnauit. Et quamuis hi, vt Quintiliano placet, ſpectauerint potiùs quales immanitates ingenium adeo truculentum portendebat, quàm perpetrati maleficij pondus ac meritum; Theologorum tamen ſententia eſt, belluarum cruciamentum, ſi modò inutile crucianti ſit, non extra omnem leuioris notæ culpam eſſe.

CAPVT XXXI.

colligitur cur nullā vel tenuiſſimā culpā optari liceat, ex quantocūque bono. Quodnam ſit huius interdictionis fūdamentū penes effectus Mentes; & nū ea in Deū quoque pertineat

1. Alterum poſitæ definitioni conſentaneum eſt; nullum eſſe bonum tam ingens, cuius nomine liceat ne optare quidem, vt ab alio edatur, nedum edere appetitionem honeſto pugnantem. Dixi *ne optare quidem, nedum edere*: quia hoc poſtremum per ſe luculentius eſt, quàm vt verbis indigeat. Quando; *fas eſſe vt actio aliqua edatur, ac actionem illam honeſtati non repugnare, tantundem valent.* Sed illud alterum, quod primo aſpectu anceps videretur, ſcilicet nunquam licere appetitionem honeſto aduerſantem optari, ſic efficio. Quanquam Naturæ (hoc eſt, Dei) dignitatem infinitam eſſe, non ita per ſe notum eſt, quibuſcunque fidei lumen non affulget, palam certè eſt vniuerſis, bona omnia quæ trahere nos poſſunt, ſubdita eſſe Naturæ, quando ab ea & genita ſunt, & nobis permiſſa. Ideo æquè palàm eſt vniuerſis, nullo bono redimi poſſe prauitatem illius actionis, quæ Naturam ipſam offendat, atque adeo, eiuſmodi actionem nullius vnquam boni gratiâ deſiderari meritò poſſe. At de hoc aliàs fortaſſe vberiùs.

Tertium conſequens eiuſcemodi eſto: honeſti officium, quo tenemur, 2.
pendere ex hoc vno titulo; quòd Dei, Naturæque opificia ſumus, & ab ipſis in ſingula momenta vitæ propagationem accipimus. Ex quo illud confeſtim naſcitur: ſi comminiſcamur, homines vel nulla ex cauſa, vel temerè effectos, eos tum quidem hoc iure honeſtatis abſoluendos fore.

Quartum huic proximum eſt, Deo, extra lubentiam ſuam, honeſtatis le- 3.
gem præſcribi nullam. Etenim ipſa Dei lubentia prima honeſtatis regula eſt cæteris mentibus vniuerſis. Neque verò Deus vitam ſuam agendique vim acceptam alicui debet, quem proinde vereri debeat tanquam vitæ, actioniſque vniuerſæ modum; Hæc fortaſſe adſtipulari videbuntur, ſed immeritò, ſententiæ cuidam in magna iam diu patronorum ſolitudine iacenti, quæ affirmauit appetitionem nullam eſſe adeo ſua ſponte nefariam (ne Dei quidem odio excepto) quam Deus velle non poſſet.

Liquet hoc, perperam affirmari, Saracenus ait, ſi enim Deo placeret edi à nobis appetitionem illam, ea confeſtim honeſtati (cuius nempe regula diuinum placitum eſt) conſentiret, non pugnaret.

Ratio iſthæc paſſim vſurpata, vereor ne non valida ſit, occurrit Cardi- 4.
nalis; Cur ita verear, paucis expono. Vt voluntas quæpiam inhoneſta ſit, ſatis erit, ſi volentis animus voluntatem ſuam Deo diſplicere interpretetur.

Non

Non ergo ex hac parte ſic planum eſt, cur fieri nequeat, huiuſmodi voluntatem re ipſa optari à Deo, ſed ita, vt nos hanc eandem Deo diſplicere falsò credamus, adeoq; in ea emittenda verè peccemus. Potiùs igitur id cõfirmauerim tali ratiocinatione. Deo malum ſuum placere poteſt nunquam; non modò malum intrinſecum, hoc enim in Deum non cadit; ſed neque malum extrinſecum, ſcilicet res illæ extrinſecæ, quæ ſuopte ingenio diſplicent. Huiuſmodi ſunt odium, obtrectatio, contemptus. Hæc enim ſua ſponte moleſta ſunt, atque adeo mala, rebus intelligentiâ præditis: quomodo ſuapte natura placent amor, laus, honor, quæ proinde bona ſunt, vt ipſe nuper diſputaſti. Et quamuis ita Deo hæc poſteriora ſuopte ingenio placeant, & illa priora diſpliceant, nihil vt propterea creſcat vel decreſcat infinitum illud gaudium, quod ab eo ſeparari non poteſt; huiuſmodi tamen rerum ſuo nutu diſplicentium, vel placentium Natura id obtinet, vt Deus neceſſaria quadam inclinatione ad has propendeat, ab illis refugiat. Quæ porrò inclinatio libertatem Dei nihil imminuit circa honorem, amorem & laudationem ſuam re ipſa quęrendam, vel negligendam. Alioqui non ipſe ſibi ſufficeret, neque nulla extrinſeca re indigeret. Tantùm ergo hæc inclinatio efficit, vt Deus eiuſmodi laude, honore, amore, cùm exiſtunt, neceſſariò delectetur. Ita etiam naturalis illa Dei auerſatio à ſuo contemptu non permouet Deum neceſſario ad illum omni ope declinandum. Nullius enim creatæ rei aut poſſeſſione, aut vacuitate indiget diuini ſtatûs perfectio & beatitas cumulatiſſima. Hoc vnum natiua hæc Dei auerſatio præſtat, vt nimirum contemptus ille, vbi re ipſa ponitur, Deo ſit inuiſus. At nemini id poſſet eſſe inuiſum, quod ipſemet efficaci voluntate appetit. Non igitur Deus contemptum ſuum efficaci voluntate appetere poteſt. Perge porrò: quælibet inhoneſta voluntas contemnit Deum; ponit namque bonum aliquod creatum ante id, quod Naturæ (hoc eſt, ipſius Dei) nutum & placitum putat. Vides, reor, quomodo è ſuperioribus concludatur, nullam inhoneſtam voluntatem poſſe à Deo efficaci deſiderio appeti. Atque in hunc modum Caluini, aliorumq; hæreticorum ſacrilega inſania refellitur, qui mortalium peccata in Deum referunt Auctorem. Tametſi valentiora in eos tela è diuinis literis deſumantur.

Cardinali ſic diſſerenti Querengus interloquutus eſt in hunc modum. Sanè poſtremum hoc, quod diſputaſti, dubiam caligantemq; lucem mihi animo intulit. Quare id, obſecro, permittas, vt aliàs idipſum magis ad viuum reſecemus. Interim ſummè delector aureâ iſtiuſmodi catenâ, quam aptiſſimè nectis. Annuit tum Cardinalis, & concepta meditamenta promere cupidus, ita perrexit.

5. Iam verò quod ſpectat non ad appetitiones ipſas, ſed ad res externas, quæ expetuntur; Primùm quidem ea Deus velle non poteſt, quorum volendi poteſtas Dei perfectionem imminueret. Exemplo ſit: Poteſtatem non habet

Digitized by Google

habet Deus, vt mentiri velit. Si enim id velle poſſet, itidem efficere id poſſet: In Deo enim velle & poſſe nil differunt. Veruntamen mentiendi poteſtas magno Deum honeſtamento priuaret: per eam quippe diuini auctoritas teſtimonij orbaretur hac dignitate, quam obtinet, vt exploratiſſimum ſit rerum ab eo enunciatarum argumentum. Ad hoc, arbitror, eam eſſe Dei bonitatem, quæ nullum planè cruciatum velle poſſit rerum à ſe conditarum, niſi tanquam medium alicuius boni conficiens. Poteſt quidem eas delere: per hoc namque, ſi propriè ac ſignatè loquamur, malo aliquo non afficerentur, ſed tantùm negaretur eis beneficium quoddam pro Naturæ ordine conſuetum; quod ſanè beneficium, in eo continetur, vt conſeruationem poſteram rebus illis elargiatur, quæ res ad proximum tempus durauere; ſi nihil attributa ſint immutata; Beneficium porrò, cuius conferendi nulla vtique Deo neceſſitas, ſed tantùm propenſio & mos quidam liberrimus eſt. Ergo perinde nihil mali, ſi propriè loquamur, Deus infert in ea, quæ tollit, ac nil infert mali in tot Angelorum agmina, quos procreare non curat, cùm poſſit. Ipſe quidem vitæ dominus abſolutiſſimus: quam proinde vitam aliquibus quidem ex poſſibilibus rebus nullam impertit; eandem aliquibus precariò commodat. Inter has ergo res, quibus vitæ vſuram concedit, aliquæ ſunt à quibus eam repetit nunquam; non quidem quia iure vllo, quin repetat, prohibeatur; ſed ſolo ſuæ in eas liberalitatis nutu. Idem porrò alijs rebus poſt quippiam temporis commodatam vitam aufert; & hoc citra omnem iniuriam; imò verò cum beneficio pro ea temporis parte, qua precarium exigere liberaliter diſtulit. At nequit, opinor, Deus, vti prædixi, quempiam immerentem excruciare hac vna excruciandi gratia, & nihil aliud boni per cruciamentum illud intendens. Alioqui odiſſet Deus immerentem. Odiſſe namque, ac malum velle, idem ſunt. At cruciatus & malum pariter idem ſunt; vt nuper diſputatum eſt. Igitur velle cruciatum ſuo nomine, & non causâ vlterioris cuiuſpiam boni, eſt demum velle ipſum malum ſuo nomine, atque adeo eſt odiſſe.

Examinandum occurreret in hac à nobis conſtituta honeſtatis trutina, quænam iuris naturalis præcepta refigere Deo liceat, & quo pacto. Sed ne latiùs, quàm præſtat, à propoſito euagemur, his interim ſuperſedere, ſatiùs habeo.

CAPVT XXXII. *Nequit quiſpiam honeſtè agere ſine aliqua ſaltem tenui & subobſcurâ Dei meditatione.*

Qvintum, quod ex his iudicare licet, huiuſmodi eſt. Homo nunquam honeſtè agit, niſi obſcurè ſaltem ac tacitè id habeat conſilij, vt Deo vel Naturæ obſequatur. En quomodo ſapienter dictum à veteribus Eccleſiæ Patribus, Ethnicorum virtutes propemodum omnes adumbratas fuiſſe atque inſynceras. Plura quidem Ethnici factitabant per ſe honeſtiſſima, ſed per ea ad humanam gloriam vnicè anhelantes. Vnicè, inquam, ſcilicet hæc ipſa gloria poſſet honeſtè appeti, ſicut vita, cæteraque appetentis bona non interdicta. Sed vt hæc appetitio gloriæ ſit honeſta, hoc vtique inuitamento moueri 1.

debet:

debet: *quoniam congruit cum Naturæ nutu, vt nos gloriam ipſam adipiſcamur, eiq; moderatè ſtudeamus.* Id verò quod nuper enunciaui, per cuncta hominis bona, vel per ipſum beatiſſimum Dei aſpectum pertinet; quem ſi deſideremus tantùm, quia nobis eſt bonus, & non ſimul, quia placet Deo, illum à nobis optari & quæri; honeſtas vtique ab hac deſideratione aberit. Nec enim vt deſiderium aliquod honeſtate ſplendeſcat, ſufficit rem ipſam deſideratam verſari in bonis honeſtis, vti verſantur ea, quæ nuper enumeraui: ſed inſuper neceſſe eſt, eiuſmodi bona deſiderari honeſtè, hoc eſt, honeſtatis gratiâ. Sicut pariter non quicunque iuſta peraget, is confeſtim virtutem obtinebit; ſed tum denique, cùm iuſta peraget iuſtè, hoc eſt, illectus ab ipſa honeſtate iuſtitiæ, quam in eiuſmodi operibus agnoſcit ac diligit. Quæ ſatis protrita ſunt Ari-
2. ſtotelis & Aquinatis effata. Quicunque igitur cœleſtem cuperet beatitatem, quia eam ſibi commodam nouit, & non ſimul, quia videt ad honeſtatis normam eſſe, vt ipſe bonum eiuſmodi ſibi euenire deſideret, innocenter vtique ageret, honeſtè non ageret; quemadmodum neque pueri honeſtè agunt, dum vitam tueri amant, rem ſanè honeſtam: quoniam in ea re honeſtatem, quippe quam intelligentiâ non attingunt, amore non ſequuntur.

Hæc verò comprobare ſic licet. Id genus deſiderationes, quibus ipſe honeſtatem abiudico, remanere ſocialiter poſſent, vel ſi maximè ſuboriretur deſiderantium animis ea perſuaſio, quæ in rebus hiſce deſideratis inhoneſtatem fingeret. Et tamen eiuſmodi conſociatio alieniſſima eſt à quacunque appetitione honeſta: has enim appetitiones ipſe inhoneſtatis aſpectus non ſeciùs enecat, quàm homines crocodyli aſpectu necari dictitantur.

CAPVT XXXIII

Nota ad dignoſcendas appetitiones inhoneſtas. Et Stoicorũ improbatio affirmantium omnia peccata eſſe æqualia.

1. NEc tamen quia honeſta non erit, continuò turpis erit deſideratio illa, vt prædixi. Tum enim tantummodo voluntas quæpiam fœdatur, cùm eius voluntatis auctori conſtat, vel rem voluntati propoſitam, vel ipſam voluntatis patrationem (*exercitium* dicunt) Naturæ ingratam eſſe. At verò quemadmodum Natura voluit, res tantùm illas eſſe dilectas ſibi, honeſtas nobis, quas expediebat eiuſmodi attributo decorari; ſic eas tantùm eſſe voluit ſibi odioſas, nobis turpes, quæ vt tales eſſent, Reipublicæ proderat. Noluit adeo prætermiſſionem cuiuſlibet egregij facinoris, vt noxiam auerſari. Noluit, quaſcunque noxas auerſatur, peræquè auerſari. Duriùs namque ageretur nobiſcum, vel ſi Natura cunctos abſolutiſſimæ virtutis numeros ſeueritate plusquam maternâ exigeret à mortalibus, vel ſi pari odio noxas promiſcuè vniuerſas inſectaretur; itáque pariter vniuerſas inhoneſtaret. Perinde ac perniciosum eſſet, ſi vel prætermiſſio cuiuſquam præclari facinoris à Rege puniretur, vel ſi ab eo maleficia omnia indiſcriminatim æquè plecterentur. Scitum ſanè Poëtæ monitum.

Nec ſcuticâ dignum horribili ſectère flagello. Horat. li.1.Sat.3

Qua de re non ſapientiores, quàm clementiores fuere Stoici peccata o- 2.
mnia coæquantes. Enimuerò quis non videt quàm ardua, quàm inſolens ſit inter mortales intacta candoris cuſtodia in contrectatione tot rerum ſuopte ingenio commaculantium? Quod ſi quæuis noxa æquè auctorem ſuum deformaret, ij, quibus non eſt conſtantia, vt innocentiſſimè viuant (hoc eſt, omnes vtique mortales) nullo iam ampliùs fræno à tetrioribus ſceleribus, publicoq; bono inimicioribus cohiberentur. Quapropter neceſſe fuit, vt fœdioris cuiuſpiam turpitudinis horror ſontes etiam abſterrere poſſet, ne in flagitiorum volutabrum ſeſe demergerent. Hæc autem turpitudinis exuperantia declaratur per grauiores peſtes, quibus illa peccantem afflat, hoc eſt, per grauiorem & prudentum vituperationem, & Præſidum punitionem.

CAPVT XXXIV

Quæuis vel tenuiſſima delectatio corporea, modò non impermiſſa, eſt honeſtè amabilis gratiâ ſuâ.

EX ijs quæ initio quintæ huius conſecutionis poſui, erumpit ſexta eiuſce- 1.
modi. Quælibet leuicula oblectatio noſtra (modò conceſſa) honeſtè ac laudabiliter ſua vi amabilis eſt.

Neque verò ſapientium quorumdam virorum rationem ſatis teneo, qui ſic philoſophantur. Non res quælibet honeſtè amabilis eſt, quæ plus boni, quàm damni conferat, niſi adhuc eximia ſit, adeoque digna quæ diligatur ab appetitu noſtro prænobili, vtpote rationis compote; iuxta cuius nobilitatis fulgorem minuta quædam bona prorſus inobſcurantur. Quamobrem, in operibus virtutis negant eſſe oblectamenta quædam corporis, quamuis inſontia; veluti ciere digitum, aut floſculum contemplari. Atqui percunctor ex eiuſmodi Philoſophis, num ſit pro dignitate nobilitatis humanæ, beatitudinem conquirere. Scilicet. Ergo item quantulamcunque beatitudinis particulam, dummodo aliarum partium acceſſioni non officientem. Haud enim quis velle aut conquirere poteſt cumulum aliquem, quin velit conquiratque vnamquamque particulam eiuſdem cumuli. Beatitudo autem cumulus demum eſt bonorum omnium ac delectamentorum, quæ nobis inhoneſta non ſint; hoc eſt, quæ non ſint ingentioris boni ac delectationis obſtacula. Hæc igitur cuncta congruunt nobilitati noſtræ, ac digna ſunt, quæ amentur à nobis.

Veniam precor, ait Saracenus, paululum interpellandi te hoc loco. In-
ficiabitur-ne quiſpiam, honeſtum fuiſſe Parenti tuo dare operam, vt hoc ipſo 2.
in agro inueniret theſaurum illum, quem, veriùs iam acquiſitum, quàm inquiſitum, repentè vaneſcere, ac ſibi è manibus elabi ſenſit attonitus, per phanaticum neſcio quem ſui comitumq; ſtuporem: vt mihi ſæpius renarraſti? Neque tamen illico ſequitur, eius notæ Viro nil futurum fuiſſe indecorum, ſi operam dediſſet vt lucraretur denarium; hoc eſt, particulam, quæ ſæpius congeminata maximum quemque theſaurum tandem abſoluit.

Quod ſignificas euentum, id ita ſe habuit, Cardinalis reſpondit. Et ſanè vel anile ſomnium, vel circulatoris commentum putandum videretur, niſi & nar-

Digitized by Google

& narrantis auctoritas, & rei euidentia fidem indubiam narrationi tribuiſſent. Verùm, quod ſpectat ad rationem tuam; putas-ne ſi parenti meo obtuliſſet occaſio lucellum denarij ſine vllo cogitationis, laboris, vel temporis pretio, futurum fuiſſe officium parentis mei, vt lucellum iſtuc repudiaret? Haud opinor: Alioqui, dum Dynaſta in manu denarium habet, abijcere potiùs eum debebit, quàm in crumenam reponere. Quod ſi nonnumquam, eiuſdemmodi negligentiæ inter magni animi argumenta celebrantur, id ſanè vulgaribus erroribus imputandum; qui prodigentiam cum liberalitate permiſcent. Quibus tamen erroribus morem gerere, identidem principalis eſt laus: nimirùm vbi leuiculo incommodo parabilis eſt ea populi beneuolentia atque æſtimatio, quæ longè plus conferat emolumenti. Tum verò, cùm denarius acquiri non poſſet abſque induſtria moleſtiaque; vtique virum Principem dedeceret eiuſmodi laboris perpeſſio, vtpote qua plus incommodi, quàm fructus contineretur. At enim non ita indecens foret, hunc ipſum laborem exhaurire, ſi labor iſte decies centena millia denariorum conferret. Siquidem vnius denarij amabilitas toties conduplicata plus momenti habet ſuo merito ad impellendum, quàm eiuſdem laboris exantlandi neceſſitas ad auocandum. Exemplum in promptu eſt. Eò numeratur inter bona ingens frumenti nauis, quò in bonis eſt quodcumque frumenti granum: nec enim vis illa frumenti maxima aliud tandem eſt niſi numerus eiuſmodi granorum penè innumerabilis. Verumtamen quis inde colligat tantumdem pretij meritò impenden-
3. dum in vnius granuli, ac in ſolidæ nauis emptionem? Et quoniam argumenta, quæ ab effectis eliciuntur, & vocantur *à poſteriori*, apertiora ſunt, quàm quæ deducuntur ex cauſis, & appellantur *à priori*. Rogo, num dare ſitienti calicem aquæ frigidæ ſit opus honeſtatis capax? Ipſe Chriſtus id in Euangelio teſtatur. Quamobrem? Credo, quia opus illud homini beneficum eſt. Beneficum-ne talis boni, quod humana nobilitate ſit dignum, an quod ab eius claritudine inobſcurationem patiatur? Si hoc poſtremum dixeris; igitur neque dignum erit homine illo, in quem beneficium confertur, quippe qui vnius naturæ nobiſcum eſt: tum verò ne dignum quidem quod à nobis conferatur. Etenim quomodo honeſtum fuerit id boni in alium conferre, quod bonum accipiente dignum non ſit, & quo bono gaudere ſit infra dignitatem ipſius? Immò verò id, ne boni quidem nomen iure ac propriè apud accipientem nanciſcetur: nempe bonum noſtrum id omnes intelligimus tandem, quo prudenter, ac proinde honeſtè, nobis gaudere liceat.

Sin das bonum illud accipiente homine dignum eſſe, nec in eius fulgore velut ſtellulas in radio Solis obſcurari; ergo & me dignum fuerit eiuſmodi bonum, ſi acciperem mihi, vtpote qui accipienti nunc à me homini naturâ conuenio.

Neque inducere in animum queo, Naturæ accidere, vt ipſe aliquid boni

in al-

in alterum conferam; vt verò in me conferam, non arridere. Quandoquidem accommodatiſſimè ad Naturam eſt, amorem ſui ipſius in vnoquoque homine rerum cæterarum omnium amoribus antecellere.

Occurrit hîc iterum Saracenus. Minùs procliue ac pronum eſt alteri opitulari, quàm ſibi. Idcirco illud Naturæ noſtræ dignitatem æquat, adeòque Virtutem continet. Virtus enim Difficultatis progenies eſt, ſed progenies eiuſmodi, quæ dum naſcitur, parientem enecat matrem.

Caput XXXV. Difficultate ſēper bonitatē rei eleuari, honeſtatē ſæpe creſcere. Et quonā tēpore incipiāt pueri ratiōis compotes fieri.

Cardinalis contrà. Ita quædam aliquando ſunt vera, vt ni curioſiùs cogitatione, vt ita dicam, perfricentur, quomodo ferrum inimicam ſibi rubiginem, ſic ea Vera inimicas veritati fallacias procreent. Atque in eiuſmodi veris eſt planè illud effatum, quod ipſe ſuper difficultate producis. Sic enim veritatem continet, vt ſi alioſum quàm debet, accipiatur, plurium captionum periculum inſtruat philoſophantibus. 1.

Age, ſic exiſtimo, Rei animo propoſitæ difficultas nequit in re illa primum honeſtatis fundamentum excitare. At, poſitâ iam per ſe rei honeſtate, enimuero difficultas amplificat laudem, ac promeritum voluntatis rem illam per ſe honeſtam amplexantis.

Imò verò, audi quid afferam, difficultas ex ſe, ac ſponte ſua rei obiectæ bonitatem ſemper extenuat. Quid enim aliud tandem eſt difficultas, quæ à cuiuſpiam boni electione animum abſterret, niſi admixtio alicuius mali eâdem operâ tolerandi: malum verò quodcunque rei eligendæ naturâ huiuſmodi eſt, vt quantò illud grauius fuerit in altera lance, tantò magis in altera bonitatis momentum eleuetur. Quocirca difficultas interdum rei obiectæ honeſtatem funditus tollit; nimirum dum efficit, plus vt in ea re mali, quàm boni deprehendatur. Idq; ſibi volunt locutiones illæ protritæ, *Non eſt operæ pretium: Non eſt tanti.* Nec non illud Poëtæ dehortantis.

Horat. li. 1. ſat. 2.

vnde laboris
Plus haurire mali eſt, quàm ex re decerpere fructus.

Expedit exemplo rem illuſtrare. Honeſtum erit bono viro ciuem ſuum ægrotatiunculâ liberare. At ſi ægrotus aliter ſanabilis non ſit, niſi popularis ille ſuus in Indiam tranſmittat, ſalutarem inde medicam herbam relaturus; vel niſi quantum poſſidet rei familiaris, in eximium aliquod pharmacum inſumat; enimuero dehortatur Prudentia tunc, ne id per tam grauia incommoda peragatur; itáque difficultatis nomine operi abiudicat honeſtatem. Haud inficior, honeſtum eſſe imitandi Chriſti gratiâ ærumnoſam vitam nobis adoptare, adeoq; honeſtius, cùm per eiuſmodi ærumnas ſimul Chriſti imitamentum, ſimul aliorum beneficium machinamur: ceu D. Paulinus, mirificè à ſacris Scriptoribus collaudatus, quòd Viduæ cuiuſpiam atque inopis matris filium ſua ipſius captiuitate à Barbaris redemerit. Illud nego, honeſtè præhaberi ſuo ipſius 2.

Digitized by Google

ipſius bono tantumdem alieni boni, ſi nihil prætereà ſit, quod eiuſmodi boni ſui repudiationem ſuadeat.

3. Atqui (vt in viam redeam) quando, vt demonſtraui, rei propoſitæ bonitas, ſemper difficultate decreſcit; quis arbitretur, aliquod bonum tum eſſe honeſtum dilectumq; Naturæ, cùm bonum illud exhauriendæ difficultatis pretio conſtat; hoc idem bonum, ſi paratum atque inemptum ſit, inamabile Naturæ confeſtim euadere. Id enimuerò perinde ad libidinem, non ad rationem fieret à Natura, ac, ſi vel ægrotus aſpernaretur ſanitatem à medico acceptam, niſi per bene longam ac moleſtam curationem; vel ſi patrifamilias potior eſſet ager vnus aliquis ex noſtratibus, vnde fructus per colonorum ſudores exprimatur, quàm ager quiſpiam ex illis famâ inclytis Saturnij Regni, vel fœlicium Inſularum, profundentibus liberaliter, ac nullo emercandam labore meſſem. Porrò difficiliùs aliquantò eſt calicem aquæ frigidæ largiri alieno, quàm filio. Neque propterea illud, quàm hoc melius, ac Naturæ congruentius. Quilibet enim reprehendet, qui poſitâ circumſtantiarum paritate alienum hominem in hac largitione filio præhaberet.

4. Sed, ecce tibi, nouum quid ac paulò ſubtilius proditur nobis. Et ſi idem bonum, vbi difficultatibus circumſeptum eſt, minoris boni vim retineat, minuſq; placeat Naturæ, tamen, ſi huiuſmodi bonum huic infenſo malorum comitatui, etiam tum præualet, ita vt vel ſic Naturæ placeat; enimuerò illud bonum plus honeſtatis ac promeriti confert in eum hominem, à quo tum eligitur, eiuſq; boni ſelectio tum vehementiùs Naturæ placet, quàm ſi bonum illud nullis difficultatum malis eleuaretur. Huius rei cauſam ex patefactis iam fontibus haurire licet. Quemadmodum enim id opus noſtrum Naturæ gratum, non quod vtcumque ſatius eſt fieri, ſed quod ſatius eſt Naturæ gratum eſſe; ita eorum operum quæ Naturæ ſunt grata, id ei gratius (alio vocabulo honeſtius) non vniuerſim, cuius effectio magis expedit Reipublicæ, ſed quod Naturæ gratius eſſe, magis expedit Reipublicæ. Atqui expedit Reipublicæ, proba opera tum Naturæ gratiora eſſe, cùm pluribus difficultatum ſpinis horreſcunt, vt nimirum hac honeſtatis illecebra laboris aſperitatem redimant, & perneceſſariam aggredientibus alacritatem inſpirent. Ideo id mirabile accidit; vt ſcilicet ipſa bonitatis imminutio in rebus, quæ eliguntur, earumdem rerum electionem impenſiùs Naturæ commendet.

5. At enim, dices: ergo vbi nullum profligandum eſt difficultatis obſtaculum, nihil attinuit erogari à Natura honeſtatis & gratiæ ſtipendium aliquod. Adeoque, expedire quidem vt honeſtum ſit frigidæ ſorbitiunculâ ſitientem aliquem recreare, quò illicium honeſtatis vincat auocamentum difficultatis; At non æquè opus fuiſſe vt Naturæ arridentis gratia pelliceret hominem ad alleuandam frigidâ ſitim ſuam: ſatis enim ſuperque pellax ad hoc inſita cuique noſtrûm cupiditas delectamenti. Audio: ſed hoc propugnaculo ſe tueri non

licet illis Philoſophis, quibus-cum res mihi nunc eſt. Siquidem, quò bonum ingentius fuerit, eò minùs externa commendatione ac remuneratione, vt amabile ſit, indigebit. Ergo plus indiguerunt apud nos commendatione ac remuneratione Naturæ minuſcula illa bona, à quibus iſti Philoſophi, quos refello, abiudicant honeſtatem, quàm alia bona ampliſſima ac præclariſſima. Quando minus periculi erat ne bona hæc, tam eximia per ſe, ab hominibus contemnerentur.

Nimirum ergo; ne facile quidem atque expoſitum lucrum Natura dedignatur. Ac ſummo quidem iure. Quis enim non intelligat è re noſtra eſſe, vt quæcumque expedit à nobis deligi, hæc eadem obſequendi Naturæ ſtudio à nobis deligi poſſint; quò parentis optimæ beneuolentiam in cunctis operibus & ſequi aſſueſcamus, & aſſequi valeamus.

Ex his, quæ dicta ſunt, conſtat, arbitror, ſenſiles quoque voluptates modò non impermiſſas, veluti nares aut oculos floſculo recreare; in bonis eſſe humana dignis nobilitate. Eò maximè, quòd compertum eſt, parari à Deo ſurrecturis Beatorum corporibus præmia etiam huius generis, hoc eſt, apta ſingulis ſenſibus oblectamenta. 6.

Atqui alia de cauſa dum id genus delectamenta nobis quærimus, haud honeſtè plerumque agimus. Quò enim noſtromet compendio allicimur, illuc plurimùm, hoc vno inuitamento rapimur, neque ad alium finem minùs obuium ac propinquum aſpiramus, hoc eſt, ad obſequendum Naturæ. Eademq; de cauſa interdum honeſtate ac merito vacui iuuamus cognatos ea ope, quam non ſine hoc prouentu extraneis impertiremus; etiamſi illud primum ſua vi meliùs & magis ad Naturam ſit. Nam in extraneos nullo ictu ciemur, niſi honeſtatis: at in cognatos alio blandiore irritamento pellicimur. Cæterùm, fac, aliquis conceſſam quampiam delectationem ſibi attribuat eâ gratiâ (ſaltem tacitè id obſcureque ſecum agitans) quòd ipſe in illa re ſeſe conformat ad Naturæ Deive nutum, approbantis, refici mortales ea inſonti iucunditate; is vtique honeſtamento ac promerito non vacabit; Quamuis eam ipſam delectationem repudiare Chriſtianæ virtutis ergò, amplius quid honeſtatis ac promeriti contineret. Quemadmodum connubium in rebus honeſtis eſt, contra ac Manichæi pugnabant; ſed celſioris eſt honeſtatis ac virtutis illibata virginitas, ſicut à Tridentino Concilio pronunciatur.

Poſtremam conſecutionem definitionis meæ ſic breuiſſimè concludo. Tum illuceſcit mortalibus primum rationis crepuſculum, cùm excitatur in ipſis notio hæc: pendere ſe ex quodam ſupremo principio, actiones quaſdam ab ipſis expetente, alias auerſante.

Habetis iam, quas mihi cogitationes in mentem excitauerit ſermo, quem inter vos miſcuiſtis. Eas verò tamquam æs veſtro partum, vobis reddo, ſiquidem id vobis æs in arca reponendum, non potiùs purgamentum foràs abijciendum videatur.

Que-

CAPVT XXXVI

Deinceps obijcitur aduerſus rationem illã bona omnia in iucūditate collocã tē: perperam ab ea permiſceri confuſo indiſtinctoq; vocabulo finē qui, & finem quo.

QVerengus, qui ſuaui quadam admiratione delibutus, continenter ex Cardinalis ore immotus pependerat, cùm primùm is conticuit;

1. Nos quidem, ſucclamat, dubitationibus noſtris obtulimus tibi puram ab omni colore tabulam. Tuum ſubinde ingenium Apellis inſtar fuit, inibi delineantis non Venerem illam celebrem Apellæam, ſed longè pulchriorem celſioremqúe Diuam, Honeſtatem, ſeu malis appellare Virtutem. Quare Ius nouum, quod antiquioris Iuris peruerſitatem emendauit, picturæ tuæ tabulam, non tabulæ noſtræ picturam cedere iubet. Nec tamen nullius erit nobis emolumenti eiuſdem picturæ contemplandæ conceſſus vſus. Sanctè affirmo, videri me mihi hodie Ethices elementarium, hæc ipſa elementa ex te condiſcentem.

2. At Cardinalis, vt ingratas ſibi laudes præcideret, ſic interfatus Querengo eſt. Certè vides, quantum ſit refragantis beneficium. Nempe, ſi mihi principio blanditus aſſeueraſſes, me calcem quæſitæ veritatis iam tum pertigiſſe, dum vix in carceribus eram, ſiſtere ſatiùs habuiſſem, quàm procurrere; neque coronam illam, quam tu (iudex adhuc fortaſſe facilior) mihi addicis, reportaſſem. Quamobrem perge porrò me tuis monitis erudire: ac doce tertium illud, quod in priore ſermone meo caſtigandum obſeruaſti.

Querengus ad hæc venerabundus ita diſſeruit. Tertium, quod animaduerti, fuit, promiſcuè aliquando bonum, boniqúe poſſeſſionem à te accepta: dum aiebas vitam ſine cognitione, cognitionem ſine delectatione nihil expetendas: quò ſic eas ex ordine finium eximeres. Et id ipſum, quod propono, vidiſſe aliquando viſus eſt Saracenus, dum ſuper gloriâ diſputauit.

Igitur bona illa, quæ fines dicuntur, quia deſiderij noſtri progreſſum finiunt, tripartitò diuidi ſolent.

3. Aliqua eorum vocantur *finis cui*: huiuſmodi verò ſunt homines illi, quibus bonum obuenire cupimus, veluti aut nos ipſi, aut amici. Ita enim conſtituta eſt ſuopte ingenio amicitia, vt hæc nos alteri voluntariè conglutinet eo genere beneuolentiæ, qua nos nobis ipſis Natura conglutinauit.

Alia ſunt bona, quæ appellantur *finis qui*: ea videlicet, quæ nobis, aut amicis deſideramus, vt vita, vt ſcientia, & ſimilia horum.

Tertium genus finium eos complectitur, qui à recentioribus nuncupantur *finis quo*: & à D. Thoma *poſſeſſio finis*: Fingamus, exempli causâ, pecuniam eſſe finem auaro. Non ideo ille continuò votum expleuit, ſi pecunia vtcumque ponatur in rerum vniuerſitate, ſed eam ſua in poteſtate, ſuaque in arca poni concupiſcit. Quocirca pecunia erit auaro *finis qui*, tum poſſeſſio pecuniæ *finis quo*.

Et hæc diuiſio Theologis percommoda eſt, vt explicent, quemadmo-
4. dum Deus ipſa Beatitudo Cœlitum ſit; quod ſua ſponte non eſſet ita expeditum. Nam vna ex parte, ipſe Deus per ſe, &, ſi nihil addas, non id omne eſt, ex quo

Digitized by Google

ex quo Cœlites abſolutè beati ſunt; alioquin, vel tum beati fuiſſent, cùm eum non intuebantur. Aliâ ex parte Cœlicolarum beatitudo non videtur eſſe ille obtutus clariſſimus, quo Deum tenent. Obtutus enim ille creata res eſt, adeoq; finitum bonum. At beatitas eſt bonum infinitum, quod vnum par eſt implendis animis noſtris, vt Eccleſiæ Patres paſſim ediſſerunt. Sed his occurritur per eam diſtinctionem, quam propoſui inter *finem qui*, (ſeu mauis dicere bonum quod) & inter *finem*, ſeu *bonum quo*. Hoc poſito, *Bonum quod*, Cœli indigenis Deus eſt. *Bonum quo*, eſt ipſe viſus, ſeu obtutus, quo Deum poſſident.

CAPVT XXXVII *Oritur occaſio examinandi quâ Cœlitû beatitudo ſit ipſe Deus.*

Scrupulum, precor, mihi curſim auelle, inquit Saracenus. Placet tibi, vna voluptate poſſeſſionem boni prorſus contineri. Id enim modò ſignificaſti; animaduertens, argumenta Illuſtriſſimi Cardinalis in ſola voluptate bonum omne colligentia, ideo peccaſſe, quia identidem bono ipſi, boni poſſeſſionem ſuppoſuere. Atqui ſi voluptas orta ex claro Dei viſu eſt poſſeſſio beatitatis, clarus proin Dei viſus erit *bonum quod*, & porrò voluptas (aut fruitio vt vocant) *bonum quo*, nec Deus vlla pars erit beatitatem conflans, ſed tantùm exterior cauſa, & beatitatis effector. Quæ ſimilitudo inuenitur quoque in hac terrarum incola fœlicitate, ad quam Naturæ vires aſpirant. Dum quippe ſyderum numerum ac motum, aliaq; eiuſdemmodi ſcimus; in qua ſcientia naturalem fœlicitatem conſtituit Ariſtoteles; bonum, quod fœlices nos reddit, non ſunt ſydera ipſa, & cætera, quæ noſcuntur, ſed ſcientia, per quam noſcuntur. 1.

Nodum vtique proponis ingenio tuo parem, & peritiore dignum vindice, quàm ego ſum, Querengus reſpondit; certè implicatiorem, quàm hoc loci ac temporis, exſolui poſſit. 2.

Iam dies in veſperum pronus declinabat. Interim piſcatores identidem ouantes detulerant Cardinali piſces, vtique, & copiâ innumeros, & mole prægrandes, quaſi iucundiſſimi ſolatij materiem. Quando ea vulgò perſuaſio mortales occupat, vt vnuſquiſque arbitretur, cæteros omnes, perinde ac ſe, à rebus ſuæ ipſius arti ſubiectis recreari. Ex inſita quadam, opinor, elatione animi, quæ vnicuique noſtiûm perſuadet, exploratiſſimam vniuerſi boni regulam eſſe propenſionem ſuam. At verò Cardinalis perinuitus per eam inanitatem abſtrahebatur ab opulentiore longè piſcatu: dum ſcilicet in pelago Philoſophiæ veritatem ipſam, quaſi nitidam abditamq; margaritam expiſcabatur ingenio ſuo, reti videlicet longè præ Neronianis aureo; Attamen ratus, affabilitatem illud vtique vectigal eſſe, pro quo Magnates minorum ſtipendiarij ſunt; ex hac ipſa moleſtia lætitiam ſimulabat, vt conferret; comiterque laudes ac dona ſtudio veriùs, quàm operi ſolertium piſcatorum rependebat. Inter hæc, horâ admonitus, adornabat reditum. Locus enim Bracchiano aberat tribus fermè paſſuum millibus. Tum ita Querengum compellat.

Tres

Digitized by Google

Tres iſtæ notationes tuæ profectò mihi etiam probantur. Et quamquam
3. de ſecunda ſatisfactum tibi ſignifices, tamen, & ſuper ea ſi aliud occurrerit; & ſcilicet ſuper prima ac tertia tuum ſit erudire craſtinam ambulationem. Haud grauaberis, vt ſpero, nobis tradere commentationes tuas ſuper natura boni; Quarum ſanè commentationum nihil dubito quin ingenium iſtuc tam eximium, tamq́ue excultum lectiſſimam ediderit vbertatem. Quod interim ſpatij remigrantibus ſuperat, quæſtioni à Saraceno propoſitæ per te diſſoluendæ ritè dicabitur. Age; ne ceſſa: Tuo munere id aſſequemur ſingulare, vt viatores beatitudinem teneamus.

Ad alterum ſanè, quod in craſtinum imponis mihi, Querengus ait, aptiùs
4. me inſtruunt, quæ de te audiui hodie, quàm quidquid peritiæ bene longa ſtudia mihi pararunt. Verumtamen exiſtimatoris mihi tantùm partes adijcio, Iudicis tibi reſeruo. Alterum interea, quod in præſens requiris, mox enitar vt peragam.

CAPVT XXXVIII.

Bifariam poſſe nos cognitione aliqua delectari. Cur beatitas naturalis ſit cognitio ipſa; Cœlitũ verò beatitas ſit res, quæ cognoſcitur.

1. DVplici modo cognitione aliqua nos hilarari contingit. Vel dum ea cognitio animum certiorem reddit de re quapiam cognoſcenti exoptata, veluti parentem de filij ægrotantis recepta valetudine; Vel dum, poſito ſemel rem illam ita ſe habere, vtique placet id noſſe; ſed peræquè placeret oppoſitum noſſe, ſi oppoſitum eſſet verius. Exemplo dictum explicabo. Recreat Mathematicum ſcire, plus viæ ingredientium caput, quàm pedes conficere; ſed non minùs ille idem recrearetur, ſi deprehenderet, plus viæ re ipſa conficere pedes, quàm caput. Sic hiſtoriarum ſtudioſis placet comperire, exempli causâ, Turcas è Scythia primùm exortos; at nihilo ingratius foret, ſi ex Mauritania, vel ex alia qualibet plaga exortos comperiſſet.

Huius diſtinctionis operâ internoſcere nos docet D. Thomas ſontem
2. ab inſonti voluptate, ex rerum inhoneſtarum cogitatione perceptam. Si animus, inquit, non ex ingenio rei obiectę, ſed tantùm ex illius meditatione voluptatem haurit, integer eſt. Quoniam vel Deus & Angeli talia meditantur, ac meditari ſe gaudent. At verò ea delectatio eſt praua, quæ ex ipſa inhoneſta re obiectâ quaſi ex venenato fonte defluit in animum, qui ab ea re blandiùs ſe commoueri permittit, quàm ab oppoſita commoueretur. *1.2.q 84. a.8.in corpor.*

3. Per hoc diſcrimen apparet, naturalem hominis fœlicitatem, vt probè Saracenus aiebat, non contineri in rebus ipſis, quas contemplamur. Illas enim nulla propenſione diligimus. Verbi causâ, nihil magis lætamur, quia corpora caducis formis perficiuntur, vt Ariſtoteles auctor eſt, quàm ſi eadem corpora ſtructilia eſſent atomis immortalibus, & ſolùm loco & poſiturâ diſſolubilibus, vt Democrito, cæteriſq́ue veteribus placuit. Quare id, quod vt bonum noſtrum amplexamur, & quo delectamur, non ſunt res ipſæ nobis obiectæ, ſed earum parta notitia. Hæc ergo eſt *finis qui,* naturali nos fœlicitate perfundens.

Contrà verò, Cœlites non eò lætantur ſolùm, quòd ſummam Dei excellentiam norint, cum hac exceptione; *poſito re ipſa ineſſe eam Deo*; ſed ſcilicet, vehementiùs quàm de hac notitia, de re quam norunt gaudio triumphant. Citiùs enim viſu illo beatiſſimo per quem id norunt, perpetuò ſe priuari optarent, quàm ex diuina excellentia tantulum detrahi.

CAPVT XXXIX

Variæ, diſcrepãteſq; ſententiæ ſuper Cœleſti beatitudine. Quo inuicem conciliari poſſint. Amicitiæ affectus cuiuſmodi ſit, enucleatur.

Atque vt interiùs penetremus in hanc admirabilem cœleſtis beatitatis, quaſi ſtructuram; præſtat animaduertere, eum omnino beatum eſſe, qui, vti definitur ab Auguſtino *a*, *habet omnia quæ vult, & nihil vult malè.* Hinc S. Thomas *b* acutè conficit, nullam voluntatem beatitudinem eſſe poſſe. 1. Quælibet enim voluntas, de qua id quiſpiam affirmauerit, vel erit amor; videlicet impetus quidam in bonum, quod neque definitè tanquam abſens, neque tanquam præſens animo tum obuerſetur; vel erit deſiderium boni abſentis, vel erit gaudium præſentis. Duo illa ſuperiora nequeunt fœlicitatem tribuere: neutrum enim ſua vi nexam habet poſſeſſionem adamati boni, qua deficiente, amor ac deſideratio torquent, nedum beent. Tertium verò, ſcilicet gaudium effluit in animo ex ipſa nota iam boni poſſeſſione. Quocirca bonum, ſeu fœlicitatem inuenit, non ponit in nobis.

Scotus *c* nihilominus Cœleſtium beatitatem amori, Aureolus verò, alijq; *d* gaudio aſſignarunt.

2. Ego initâ iam viâ progrediens, in vnaquaque eiuſmodi trium ſententiarum veritatis plurimum verſari ſuſpicor.

Quod vt explicem, primùm pono, amicitiæ caritatem qualis eſt amor ille, de quo nunc quæritur, re ipſa eſſe, *velle vt benè ſit ei, quem amamus.* Deinceps obſeruo; amorem, quo Cœleſtes Deum proſequuntur, hoc eſt, affectionem illam, qua Dei præſtantiam ac fœlicitatem enixè volunt, nihil diſtinctum eſſe à gaudio, quo huius voti ſe compotes videntes exultant. Id verò ita palam facio. Conuenit inter omnes, gaudium nihil aliud eſſe, quàm animi affectionem in amatum bonum præſens, quà præſens. Vbi enim bonum, quod amamus ac volumus, iam adeſſe intelligimus; non eſt quò per deſiderationem progrediamur, adeoq; per gaudium in eo conſiſtimus.

a 13. de Trinit. *b* 1. 2. q 3. n 4 in corpore *c* In 4 diſt 49. q. 5. *d* Vide Vaſq. in 1. 2. diſp. 11. c. 1 & 3

Hinc vniuerſim efficio, quamlibet, qua alios complectimur, veræ amicitiæ caritatem, eandem vtique gaudij affectum aliquem neceſſariò eſſe. Id ſanè indicatum à Scoto, & vulgò repudiatum ab alijs, ita euinco. Vacuas mihi, obſecro, aures date; huius namque rei probatio non eſt fortaſſe nimis trita. Quælibet veræ amicitiæ caritas, qua alios diligimus, inuitetur oportet ab aliqua præſtantia, adeoq; ab aliqua bonitate, qua re ipſa iam tum cohoneſtatus amicus appareat; vt cum Ariſtotele omnes conſentiunt. Igitur iſtiuſmodi caritas eſt affectio animi in aliquod bonum præſens, quà præſens. Sed amici bonum eſt id, quod nos amamus ac volumus, (amicitiâ enim diligere aliquem, & ei

loco cit. *9 Eth. c. 4*

& ei bonum velle reciprocantur, vt modò poſui) Ergo totum hoc probatum eſt: *amicitiæ caritas eſt affectio in bonum quod amamus ac volumus, & quidem in illud præſens, quà præſens.* Ac proinde vindicat ſibi modò ſtatutam gaudij definitionem.

Porrò amicitia illa, quæ inter procreatas mentes intercedit, gaudium quidem eſt aliquod vt præmiſſa ratio cogit; ſed plerumque ſimul nonnulla deſiderij commotione ſollicitatum. Gaudium quidem ipſa eſt illorum bonorum, quæ iam adeſſe amico noſcuntur, deſiderium eſt rurſus aliorum bonorum, quæ amico deſunt. Ea verò amicitiæ caritas, qua ſupernæ mentes Deum proſequuntur, merum eſt atque abſolutiſſimum gaudium. Ideo namque Cœlites Deum toto pectore diligunt, quia eum infinitâ præſtantiâ coruſcantem atque optimum quid eſſe cernunt. Atqui præſtantia infinita circumplectitur optabilium quorumcumque bonorum aceruum; ſeu alio nomine, conſummatiſſimam fœlicitatem. Ex his planè iudicari poteſt, amorem Beatorum in Deum eſſe affectum animi in omne bonum, omnemq; deſiderabilem dilecti Dei fœlicitatem præſentem, quà præſentem, per conſummatiſſimam poſſeſſionem, eamdemq; conſtantiſſimam, & cunctis rerum vicibus imperditam; itaque in hunc amorem belliſſimè quadrare perfecti puríque gaudij definitionem: quod aſſumpſeram comprobandum.

CAPVT XL.

Poſſeſſio beatitatis cœleſtis aquè complectitur hæc tria: viſū Dei, amorē & gaudium

1. HÆc ratio demonſtrat, ipſam Dei beatitatem id bonum eſſe, quo ſupra reliqua omnia Cœlites lætantur; adeóque Deum, quà ipſe beatus eſt, alios item beatos efficere: Id tamen Deus præſtat tanquam *finis qui.* Cœleſtium namque beatitas tanquam *finis quo,* hæc ipſa tria ſimul ſunt, *viſus, amor* & *gaudium.* Non quidem gaudium illud, quo lætantur, quia Deum vident, ſed aliud gaudium quo afficiuntur, quia Deus ipſe beatus eſt; de quo vtique gaudio loquutus eſt Aureolus, dum cœleſtem beatitatem in ipſo gaudio conſtituit. *In 4. diſt. 49. art. 3. 4. 5.*

Porrò ex his tribus beatitatem iſtam, *quà (formalem* appellant) perfici, hoc pacto, concluditur. Alienum bonum nequit eſſe fœlicitas noſtra, niſi
2. quatenus nos per amicitiæ caritatem vnum quid ac amicus efficimur; reddimúſq; pariter communia nobis omnia illius tum ſecunda, tum aduerſa. Quò autem hæc amicitiæ affectio flagrantior eſt, eò plus illa ex amici proſperitatibus vel ærumnis deriuat ad nos. Vt igitur Dei Beatitudo cœlicolas cumulatiſſimè beet, flagrantiſſimus ille amicitiæ affectus deſideratur, quo illi diligunt Deum ſupra cætera omnia, adeóq; ſupra ſeipſos. Cuiuſmodi amoris imaginem aliquam agnoſcere licet nobis identidem vel inter mortales: veluti inter Pyladem atque Oreſtem, ſeu inter Menalippum & Caritonem, quorum alterutri, ſe ipſos perdendo alteros ſeruare, ponebant in lucro. Item in Agrippina erga filium, vt conſtat ex peruulgato illo matris ad Chaldæorum præſagia re- *Ælian. in var. hiſt.*

ſponſo: *Occidat, dum imperet.* Quæ, vti re ipſa contigêre, ita deinde veniam Poëtis fecerunt comminiſcendi ad veriſimilitudinem eiuſmodi affectus quà in Cygno, quà in Niſo aduerſus Phaëtontem, vel Eurialum.

Ad hoc, amor in nobis, in amico bonum ac fœlicitas non ea demum ſunt, per quæ ſola fœlices lætiq; reddamur. Adhuc enim deſideratur vt amicum bono ac fœlicitate præditum eſſe appareat nobis. Quantò id autem luculentiùs apparet, tantò pleniùs id ipſum boni tum poſſi[illegible]mus. Igitur non amor tantùm inter ea eſt, quæ cœlicolas beant, quod antea confeceram; ſed & ipſe conſpecti Dei viſus, vtpote per quem Cœlicolæ Deum fœlicem eſſe liquidiſſimè ſciunt. Neque verò aliud quippiam impedit, quò minùs beatæ affatim ſint animæ quædam corpori quidem iunctæ, ſed toto pectore Deum adamantes: ceu Deipera dum agebat in terris. Nec enim liquidam atque exquiſitam Diuinæ fœlicitatis notitiam obtinebant, ſed hebetem atque inuolutam, qualem per caligantes fidei oculos aſſequi licet. Reor quidem, eiuſmodi homines multâ fidei luce, multaq; Dei caritate præditos, in ipſa diuinæ fœlicitatis meditatione tantum conditiſſimæ voluptatis haurire, quantum vtique nunquam hauſerit Metellus ille ab ipſa fœlicitate nuncupationem adeptus. 3.

Ad vltimum, quia hic amor ex natura rei adamatæ, vti amor ſimul eſt gaudium, & viciſſim vt gaudium ſimul eſt amor, ſequitur hinc, etiam gaudium æquè præcipuam eſſe beatitudinis partem.

Neque verò in tale gaudium valet ratio illa D. Thomæ, quam enarraui: 4.
gaudium emergere ex ipſa boni poſſeſſione: ex quo concludebat, gaudium florem quemdam & cumulum fœlicitatis eſſe, partem præcipuam fœlicitatis non eſſe. Non, inquam, hæc ratio valet in illud gaudium, de quo loquor: quippe illud nullo pacto diſtinctum eſt ab amore, quo Deum proſequuntur, qui Diuinâ gaudent fœlicitate. Quocirca, etiamſi iſtiuſmodi gaudium inueniat poſitum id boni, in quo gaudens animus conquieſcat, non tamen inuenit illud idem iam effectum bonum illius, qui inde gaudet. Quandoquidem, vt prædixi, id quod per ſe bonum eſt alicuius, non fit bonum alterius, niſi per amicitiæ caritatem. Placet-ne hoc in exemplo aliquo recognoſcere? Reputemus animo Iacobum Patriarcham, vbi primùm inaudiuit, quàm lautâ fortunâ 5.
vteretur neſcio quis Ægyptiorũ Præfectus. Tum proculdubio partem fęlicitatis libauit nullam, priuſquam agnouerit hunc ipſum eſſe Ioſephum filium ſuum, cuius mortem falsò defleuerat. At verò, ſimul atque id Iacobo renunciatum; haud mora quin amor inardeſcens ipſa nati fœlicitate parentem beauerit. Contrà Oedipus donec non intellexit, quem viatorem ipſe occiderat, hunc ſcilicet fuiſſe genitorem ſuum, ex eius cæde geſtiebat, nedum lugeret. At enim haud citiùs id reſciuit, quàm innata in parentem caritas Laij necem, Oedipi ærumnam effecerit: Ærumnam verò intolerandam vſque adeo, vt ſeipſum quippe necis auctorem, peroſus, exilium Regno prætulerit. Videte quàm cele-

Digitized by Google

celeri vi amor ille amicitiæ, vt in quempiam aut fœlicem aut calamitoſum incurrit, ſic ab altero fœlicitatem, ab altero calamitatem trahit.

Iam in caſu, quem tractamus, amor & gaudium idem ſunt. Quid ni ergo liqueat gaudium hoc eſſe ita comparatum nullius vt ante ſe poſſeſſionem boni reperiat in gaudentis animo, ſed quæ vt aliena bona ab animo cognita reperit, hæc ipſa per amicitiæ vim in ipſius cognoſcentis bona tranſſcribat?

Ea item ratio declinatur, qua ſimiliter D. Thomas, ex præcipuis partibus fœlicitatis amorem exturbat, quippe qui ſuapte natura poteſt ſine boni amati poſſeſſione conſiſtere. Declinatur, inquam, hæc ratio. Quandoquidem alius quipiam amor vtique ab amati boni poſſeſſione ſeparari poteſt, is, de quo loquimur, amor profectò non poteſt; quomodo nuper demonſtraui.

CAPVT XLI. Præcedēs ratio vna eſt, quæ ritè cōciliat diſparitatē beatitatis cum ſūma Cœlicolarū omnium tranquillitate.

1. EQuidem Saracenus exclamat, ex vero aſſeram, quod Illuſtriſſimus Cardinalis argutandi gratiâ prænunciarat. Diſputatio iſthæc tua quadamtenus Cœlicolarum fœlicitatem ad me deriuauit. Quoniam verò pereximiæ ſementis eſt, vt vel è ſterili ſolo probam educat meſſem, conſilium eſt mihi proponere ſequelas quaſdam haud nimis obuias, quas ingenium meum tuâ conſitum doctrinâ modò procreauit: niſi fortè Illuſtriſſimo Cardinali moleſtum ſit, vt hodiernum opificium aurea ex fronte magnificè auſpicatum obſcura fictilium pedum terminatione finiatur.

Age porrò, Cardinalis ad hæc; Potiùs enim, vt opinor, contra quam tabula illa Horatiana, collocutio noſtra, quæ ſupernè piſcis fuerat, in ea, quæ polliceris meditamenta, formoſior deſinet.

2. Querengi ratio, aggreſſus eſt Saracenus, primùm quidem expedit mihi, qui fieri poſſit, vt Cœlites vniuerſi etiamſi beatitate diſpares, ſua tamen ſorte viuant vſquequaque contenti. Neque id profectò expedire leuis eſt pretij. Irrito enim labore iamdiu id à multis attentatur: niſi mea in percipiendo hebetudo mihi aliorum in docendo lucem inobſcurat.

Quidam vtique hanc æqualem Cœlicolarum, beatitate inæqualium, tranquillitatem referunt in eorum lubentiam ad diuinam ſeſe lubentiam vnicè conformantem. Atqui id ſi validum eſſet, euinceret vtique etiam eos, qui Purgatorij flammis exuruntur, tranquillè degere. Quippe talium animorum ſanctimonia votum diuinæ voluntati aduerſans patitur nullum. Ergo diuerſa longè ſunt hæc duo: æquo morigeroq; animo aliquid accipere, quòd à Deo ſtatutum eſſe iam videamus: ac, lætari quòd hoc ipſum ſtatutum fuerit à Deo. Illud ſuperius pernéceſſarium eſt ad vitandā non modò noxam, ſed inſaniam, fato Cœloq; reluctantem Tytanum ritu. At iſtud poſterius non perinde neceſſariò continetur etiam in eximia eorum probitate, qui Diuinum velle ſibi præfiniunt volēdi modum. An, quis dicat probitatis perfectionem labefactari nobis ex deſiderio, quod gerimus, vt Deus vberiore auxilio, quàm dedit, nos ab ad-

 miſſis

Digitized by Google

miſſis criminibus cuſtodiſſet? Nihil minùs. Quin eiuſdemmodi deſiderium, vt Deus quippiam velit, dum re ipſa oppoſitum vult, cohærere potuit vel abſolutiſſimæ Diuini Filij ſanctimoniæ, paratum ſibi calicem deprecantis. Et tamen hoc ipſum deſiderium ſucceſſu vacuum angit animam, adeoq; inquinat fœlicitatem.

Alij hanc ipſam communem Cœlitum tranquillitatem explicare ſe putant 3. ſimilitudine multorum hominum ſtaturâ inæqualium: quorum veſtitus etſi inæqualis pariter ſit, quiſque tamen ſuo æquè contenti ſunt; quando is cuique ad ſtaturam obtigit. Similiter, inquiunt, quia quilibet Cœlicolarum beatitudinis menſuram obtinet ad amuſſim Gratiæ, quam gerit: Ideo nil vltrà exoptat.

Sed, aut ipſe ab omni prorſus intelligentia ſum nudus, aut hæc veſtium ſimilitudo non aptè cadit in rem noſtram. Vel enim in illa hominum difformi cohorte reputamus diſparitatem ſtaturæ, vel eâ poſitâ, diſparitatem veſtimenti. Staturâ quidem ſuâ non omnes promiſcuè contenti. Imò quiſque præoptaret ſibi ſtaturam illam, quæ tum ad robur, tum ad functiones, tum ad ſpeciem aptiſſima eſſet. Veſtitûs autem diſparitas, poſita iam diſparitate ſtaturæ, nihil facit ad rem noſtram. Veſtis enim prolixa puſillum homunculum deuenuſtaret atque impediret. At intenſior Dei viſus, eiuſdemq; amor ardentior plurimum decoris ac boni conferret ijs etiam Cœlicolarum qui tenuiore gratia conueſtiuntur. Et, ne longiores fruſtra rationes ordiar, ſi Michaëli remaneret ſolùm viſus, & amor Dei decem partibus minor, atque habet nunc, nullâ gratiæ particulâ ei ademptâ: etiam tum planè contentus, ac beatus triumpharet. Conuenit enim inter Theologos, quicunque Deum intueatur ac diligat, hunc illico beatum fore. Et tamen, vt veſtium ſimilitudini adhæream, veſtitus tum curtus eſſe videretur pro ſtatura; hoc eſt, beatitas pro gratia. Præterquam quod de ipſa gratia recurrit quæſtio. Gratia enim vel planè liberali Dei beneficio, vel ipſius hominis merito potuiſſet Beatorum cuilibet vberior eſſe, ac eſt. Quare hoc etiam titulo anceps remanet, quemadmodum omnes Beati ea gratia, quam re habent, ſint vſquequaque contenti.

Sed proh quàm aptè beatitatis explicatio illa, quam tradidiſti, hanc ſtir- 4. pitus dubitationem conuellit! Ille contentus viuit, cui obtigit, quidquid vult. Atqui Beatorum omnium voluntas in id vnicè collineat, vt bene ſit Deo: rurſus eorum quilibet, optimè Deo eſſe videt. Igitur æquè omnes affatim obtinent, quidquid volunt: omnes igitur contenti ſunt.

Interea tamen inæqualiter ſunt beati; quoniam Deum inæquali perſpicuitate conſpiciunt. Ex quo duplex inæqualis beatitatis ſemen exiſtit. Alterum, quia is bonum aliquod impenſiùs diligit, qui eius boni præſtantiam luculentiùs nouit. Is ergo inter Beatos Dei amantior, qui immenſam Dei bonitatem penitiùs intuetur. Sed, quomodo ipſe docebas, eatenus bonum

vnius,

vnius, efficitur alterius bonum, quatenus hic illum amat, eique per amicitiæ caritatem coniungitur. Ex quibus porrò duobus à te poſitis emergit hoc tertium, quod contendo, tantò magis diuinum bonum Cœlicolæ cuiuſpiam, bonum effectum iri, quantò hic luculentiùs id ipſum Dei bonum inſpexerit, adeóq; arctiùs ſeſe Deo amantiúsque conglutinauerit. Alterum huius inæqualitatis caput ex hac ipſa diſparis viſus origine profectum hoc eſt. Ille vberiùs lætatur vel ſuo, vel amici bono, cui exploratior & euidentior eſt eiuſdem boni poſſeſſio. Atque huc refert Ariſtoteles, cur amici ex mutua conſuetudine tantopere oblectentur: ita enim alter alterius vitam illam præſtantiſſimam, quæ in actione animi poſita eſt, experitur, ac proinde maximum hoc amico bonum ineſſe viuidiùs intelligit; ſed Deum clariùs cernenti exploratiùs atque euidentiùs eſt, à Deo infinitum bonum haberi. Hic igitur eo bono vberiùs lætatur.

9 Eth. c. 9

CAPVT XLII.

Qua ratione Cœlites affatim cõtenti ſint, q̃uis non aſſequãtur quæcunq; deſiderãt.

1. HÆc Saracenus: cui Querengus impenſè plaudens. Diſputatio, inquit,
quam nuper habui, plus iam nutrici, quàm parenti debet; minùs enim
decoris ex meo partu, quàm ex tua educatione ſuſcepit. Adhuc tamen deſide-
ratur aliquid, vt locum hunc omnino purgemus. Nimirum & ſi Cœleſtes ma-
iore ardeant caritate in Deum, quàm in ſe ipſos: & quantum ſpectat ad bonum
Dei omnes æquè ſint voti compotes; non tamen nulla planè in ſe ipſos carita-
te commouentur. Cùm ergo ſe non peræquè omnes fœlices videant, quî
poſſunt peræquè omnes nullo vlterioris boni deſiderio vellicari?
2. Ad ea, quæ proponis, dicam, quod ipſe præ me noſti; Saracenus reſpon-
dit. Procul dubio eſt, non omnia planè Cœlitibus è ſententia fluere; nec e-
nim ſemper impetrant, quidquid Deum pro mortalibus rogant. Nec Angeli
hominum Cuſtodes aſſequuntur ſemper optatam quæſitámq; ſibi animarum,
quas tuentur, ſalutem. Hæc autem voti fruſtratio quidni aliquem illis neget
lætitiæ gradum, quo cumulatiùs hilarari poſſent, ſi res ex voto ſuccederet?
Quid multa? Comperti ſſimum eſt, Beatorum lætitiam, quippe certis finibus
concluſam, non omnes vſquequaque lætitiæ numeros continere; ſed eam poſ-
ſe à Deo continenter in eorum mentibus exaugeri vltrà omnem finem. Nul-
la tamen ideo ne tenuiſſima quidem moleſtiæ nubecula beatarum Mentium
tranquillitatem polluit. Cuius rei cauſam præclarè explanatam eſſe à Gabrie- *Vaſq. 1. p.*
3. le Vaſquio Ariſtotelis ductum ſequuto, memini me aliàs inaudire: & eſt pla- *diſp. 242*
nè huiuſmodi. Gaudium illud, quo animus colliquatur ex ingenti quopiam *Ariſto. 7.*
bono nobíſq; optatiſſimo, ſic planè gaudentem occupat, nullum vt ei ſenſum *Eth. c. 14*
relinquat lugendi minuſculum quid improſperum, quod ſimul eueniat. Exem-
plum ſit. Si eo temporis puncto, quo Ioannes Auſtriacus in illa memorabili
venatione Valliſoletana venatus eſt potentiſſimi Regis germanitatem, ſenſiſ-
ſet ſibi chirothecas intercidiſſe, quanquam omnis iactura malum quoddam
eſt,

Digitized by Google

eſt, votiſq; noſtris contrarium, nulla tamen mœroris contractiuncula tactus eſſet: vtpote immenſo completus gaudio, quòd nec opinatò ſentiret tunc aſſurgere ſe Herculem tanti Iouis, quantus fuerat Carolus Quintus Cæſar inter mortales Deos. Iam, Beati Deum adamant affectu adeo vehementiore, quàm vel alia quæcunque, vel ſe, vt ob infinitam, quam intuentur fœlicitatem illius, inenarrabili gaudio redundent: imperuij proinde quantulæcunque anxietatis aculeo, quem ſegniter intentet aut vacuitas leuiculi cuiuſpiam boni, aut fruſtratio frigiduli cuiuſpiam deſiderij. Ita in Comœdijs ſpirantibus nimirum humanæ vitæ ſimulachris videmus identidem auaro ſeni confeſtim neglecta ſeruorum furta, quibus modò diſcerpebatur, vbi filium, quem diu fleuerat ereptum, improuisò recuperat.

CAPVT XLIII.

In quonã ſit acerrima Dæmonum afflictatio: & quãobrẽ nihil ex hominũ ſceleribus recreẽtur

1. NEque minùs bellè declarat hæc eadem ratio, ſi ad oppoſitam partem traducatur, cur Dæmonum cruciatus aſperrimus nullo voluptatis lenimine mitigetur, licet ſæpe ad eorum vota mortales peccent. Nimirum (vt huius quoque rei exemplum ab humanis euentis petam) ita nullius præſidij ſunt leuicula hæc fomenta ad atrocitatem ægrimoniæ, quæ Dæmones conficit, atque ea die, qua Fridericus Rhenanus Palatinus Pragenſi clade accepta, de Septemviro ac Rege nullum ſe ac profugum vnà cum Regali Coniuge atque infantibus liberis vidit, nihil eius dolorem alleuaſſet, vel lepidulus floſculorum faſciculus, vel dulciuſculus auiculæ cantus.

2. Imò, quando aliud ex alio philoſophia non minùs, quàm agricultura ſemper educit; audi quid mihi repentè nunc animo enaſcatur. Eadem ratio tua enucleat ipſam Dæmonum infœlicitatem; aperitq; quanam in fibra delitescat ſæuiſſimus ille vermis, cuius morſu diſcerpuntur. Non loquor hîc angorem illum, quo tabeſcunt propter exilium à condito ſibi Cœlo, quæ *damni pœna* vocitatur apud Theologos. Aliud loquor cruciamentum eius generis, quod *pœna ſenſus* ab ijſdem appellatur. Hoc, inquam, cruciamentum quodnam potiſſimum ſit, ex tua diſputatione ſic planum facio. Cùm Dæmones aduerſus Deum Auctorem ſuum odio truculentiſſimo excandeſcant, ijdémq; præ innata ſibi ſcientia certiſſimè norint infinitam Dei fœlicitatem; porrò odium hoc inimiciſſimum tranſmutat oſoribus ex nectareo in felleum, pelagus illud immenſum diuinæ fœlicitatis: Quæ vnâ atque eâdem operâ, & Dei amatores affatim beat, & oſores infœlicitat. En quomodo Dæmones ſui non minùs, quàm ſontium animorum tortores ſunt. Quando ſuum ipſorum ſcelus, hoc eſt, odium illud execrabile, quod in Deum concipiunt, eſt illa interior Erynnis, cuius flagello implacabiliter cæduntur, cuius tædis atrociſſimè torrentur. Enimuerò ſiqua Tragœdia Luciferi cataſtrophen daret, bellè ipſi aptaretur titulus Terentianæ Comœdiæ *Heautontimorumenos*, ſeu *puniens ſe ipſum*, vt vertitur à Marco Tullio. Ita enim omnino inuidia *ſupplicium ſui* nomi-

Digitized by Google

nominatur à Salmonenſi. Et quidem perſpicax illa natiuæ intelligentiæ vis, quam Dæmones retinuere, pars non modò fœlicitatis eſt nulla (qua de re hîc antea diſſerebatur) ſed infœlicitatis eſt magna. Per eam namque Dæmones ſummum tenent malum ſuum, hoc eſt, ſummum inimiciſſimi capitis bonum.

3. Dirum ſanè, atque inexuperabile cruciamenti genus! Satyricum legimus non aliud Iouis fulmen Tyrannorum ſceleribus imprecantem, niſi, vt virtutis bonum videant, atque intabeſcant. Neque grauiore illos pœna vlciſci par erat; quando, vt alteri Satyrico placuit, ne ipſi quidem Tyranni grauius aliquod inuidiâ tormentum inuenere. *Perſ. ſat.* 3

4. Quod ſi hæc ita ſunt, aliud illico his conſentaneum elucet, admirabile illud quidem, & à vulgari opinione longè remotiſſimum. Non alio acerbiore ſupplicio aſperaretur Luciferi dolor, quàm ſi fingamus ab eo capitale hoc Dei odium retinente (quod tamen euenire non poteſt) clariſſimè Deum cerni. Ita enim ſummopere in eo excreſceret ſimul diuinæ fœlicitatis æſtimatio, ſimul inuidentia illa inſaniſſima, cuius ipſe morſibus dilaceratur.

CAPVT XLIV.

Quicunque Deũ intueretur amoris expers, non eſſet vtique Beatus.

1. Sed vt relictis Tartaris Cœlum repetamus. En aliud, quod ex doctrina tua ſelicio. Si quis ita Deum intueretur, vt amore interim atque odio vacaret, magno is quidem potiretur bono, at præcipua ſolidaque beatitate non potiretur.

Primum illud probare nil attinet. Nempe, quàm iucunda nos hilaritate permulcet Solis iſtius Cœliq; conſpectus? Quorum tamen fulgor vmbra eſt iuxta Solis æterni iubar, quorum pulchritudo deformitas eſt iuxta ſupremum illud pulchritudinis exemplar. Vulgatam famâ nouimus, vbi Archimedes in balneo ab aquæ exuberantis fluxione ex inſperato aſſecutus eſt, quantum omnino fuerit auri coronarij ſurrepti pondus; eum continuò lætitiâ exultantem per fora clamitaſſe: *Inueni, inueni.* Quid tum? Quanta eſſet animi cuiuſpiam voluptas, qui primam illam ſapientiæ lucem intueretur, quiq; tum cognitionis euidentiâ, tum patentium arcanorum pulchritudine atque admirabilitate Archimedem illum tam infinitè ſuperaret? *Plutarc. lib. 1. in Colotem.*

2. Alterum verò, quod poſui, erat: Si quis ita cerneret Deum, vt non ſimul eundem diligeret, non fore hunc abſolutè ac propriè beatum. Id porrò ea ipſa, quæ tu, Querenge, docuiſti, conficiunt. Is enim abſolutè beatus eſt, qui gaudet bono quodam infinito atque inexuperabili. At quæcunque tandem ſit ex procreatis Mentibus, hæc ſanè finitâ demum capacitate circumſcribatur, neceſſe eſt. Quocirca ſi tantum ſe adamauerit, ſuumq; modò bonum ſibi duxerit bonum, poterit quidem perpetuò nouis nouiſq; bonis à Deo locupletari, ſed finitâ ſemper terminatione concluſis. Non aliter ergo poteſt finitus animus in infiniti boni poſſeſſionem immitti, quàm ſi Deo caritate vinciatur, ſimul infinitum bonum, quo Deus circumfluit, aſpiciat; adeoque bonum

Digitized by Google

illud in infinitum, quantumcunque eſt, teneat, atque amplexetur vt proprium.

CAPVT XLV.

Quæritur num rei aſpectæ pulchritudo ſit per ſe, atque vt finis bonũ aſpicientis an duntaxat vt medium.

QVin potius dicamus, Cardinalis interpellat, illum ipſum infinitæ pul- 1.
chritudinis viſum per ſe, atque exempta etiam caritate, poſſeſſionem fore infiniti boni?

Saracenus contrà. Hoc ipſum erat, in cuius explicationem proxima cogitatione atque oratione imminebam. Quod vt præſtem, præponenda eſt quædam communis regula in hanc aliáſque complures quæſtiones mirificè conferens.

Operoſum eſt diſpicere, num aliquod bonum cæteroqui per ſe inamabile ſit, & hoc vnum habeat bonitatis, vt medium idoneum exiſtat ad operationem quampiam ſua ſponte optabilem in nobis excitandam; num contrà ſuo ipſius merito ſit *bonum quod*, vti Querengus appellabat, operatio autem illa, quæ ab eo ſuſcitatur in nobis, ſit eiuſmodi boni poſſeſſio, & *bonum quo*.
Hoc tamen haud fallax diſcerniculum reor. Id bonum vtique medij humili- 2.
tatem prætergreditur, finis præſtantiam attingit, quod ita deſideratur, vt ſi deſiderantibus optio daretur aſſequendi vel bonum illud, vel eo deficiente omnes planè fructus ipſius; haud quaquam eſſent poſteriori conditione contenti. Conſtabit quippe tum, illud bonum commendari deſiderantibus non tantùm ab aliquo emolumento quod ſecum ferat, quomodo media, ſed per ſe, ac ſuâ illecebrâ, quemadmodum fines.

Age verò. Si Cœleſtium alicui Deum amiciſſimè diligenti hæc offerretur conditio, vt quem habet clariſſimum Dei viſum, atque amorem ardentiſſimum omnino retineret, eâdémque euidentiâ diuinam beatitatem aſpiceret, idémque proinde ſolatium deguſtaret; ſed ita, vt reuera Deus beatitate frueretur nulla (ſcio Deum intuenti caſum hunc credibilem fieri non poſſe; at credi fingamus; tales enim fictiones veritati eruendæ interdum perutiles) ſi hæc, inquam, optio Cœlicolæ exhiberetur, actutum ſanè conditionem repudiaret. Quod ni faceret, haud quaquam proſequeretur Deum caritate ingenua, & amici bonum exoptante. Ergo finis, ac bonum quod ſua gratia à Beatis expetitur, non ea tantùm ſolatia ſunt, quæ Cœlicolæ ad ſe deriuant ex diuina fœlicitate; ſed ipſa diuina fœlicitas pariter ſua vi eſt illorum finis, & bonum quàm optatiſſimum.

Accommodemus iam hanc ipſam regulam ad pulchritudinem, vt pate- 3.
ſcat num ea ſimiliter ſit *bonum quod* aſpicientis; ita vt qui diuinam pulchritudinem ita viſu teneret, vt eandem amore non complecteretur, infiniti boni poſſeſſor dicendus foret.

Plutarc. in vita Luculli.

Rogo, ſi Apollo, à quo nomen traxit cœnatio illa, vbi Lucullus epulari perquam lautiſſimè conſueuerat, ad ipſum Lucullum deſcendiſſet, atque vnà cum Lucullo per otium contemplatus eſſet: Villarum quas Lucullus Tuſculi

ac

ac Neapoli poſſidebat amœnitatem cœleſtium hortorum æmulam, fontium luſus, qui plus iucunditatis atque admirationis, quàm liquoris effundebant, tot millia pretioſiſſimarum veſtium atque aulæorum, quæ contemplatus, credidiſſes Aſiæ gazam vnius Romani ciuis veſtiario concluſam, picturas, ſigna, quibus nihil ſpirantis deerat, niſi id quod æſtimationem eleuaſſet, hoc eſt, vt Naturæ munere, non artis miraculo ſpirarent: deinceps verò ea, qua pollet Deus ille vaticinandi ſcientia, Lucullo prædixiſſet hæc omnia repentè defutura; ſed ita defutura, vt Lucullus per immutabiles præſtigias ſemper ſibi viſurus eſſet, ſe illa intueri ſicut antea, vaticinij oblitus, nihilque ſuam iacturam ſuſpicatus; & ſcilicet idem quod antea oblectamentum oculis atque animo ſemper excipiens. Super hæc, ſi hunc defectum ita euenturum prænunciaſſet, vt idem error ad alios quoque pertineret mortales: adeóque Luculli ædes hominum ad ea mira viſenda confluentium celebritate perinde ac antea florerent; ac laudibus deprædicarentur. Tum quemque delicias illas (ſi fortè Lucullo eas vendendi conſilium exiſteret) eodem pretio alacriter empturum, quo antea empturus fuiſſet. Ad ſummam, ita Luculli rem familiarem perituram, vt ea iactura ad æternum tempus, & Lucullum, & cæteros falleret, nec quidquam meditationis, gaudij, vtilitatis ex vera poſſeſſione alioquin profecturæ dimoueret; An videtur nobis Lucullus ſaltem iure ac merito hanc de-

4. nunciationem ægrè laturus? Mihi certè non videtur. Neque in hanc opinionem trahor mei tantùm animi experientiâ, dum eundem euentum commentatione mihi affingo abſque vlla mœroris portiuncula; ſed vel præcipuè trahor argumento deſumpto ex auctoritate Ariſtotelis conficientis fœlicitatem noſtram in actione vitæ contineri, eamq; conſtituentis in contemplatione ipſa, non in rebus contemplationi obuerſantibus. Trahor denique multorum ſapientium conſenſu. Neque, opinor, ineptum erit, ad eiuſdem Ariſtotelis exemplum, id confirmare præſtantiſſimorum Poëtarum ſententijs. Porrò Lyricus noſter Ethruſcus non ſuauitate, quàm doctrina locupletior, cùm de ſe memoret cogitationis errorem ei errori non abſimilem, qui à me fingebatur; Non tantùm, ait, hoc ipſo errore animum expleri; ſed bellè concludit: *Si error permaneret, nil ampliùs quærerem.* Nec aliter ſenſiſſe videtur Latinus quoque Lyricus, vbi canit. 1. Eth. c. 8

Prætulerim ſcriptor delirus inersq; videri, Li. 2 ep. 2
Dum mea delectent mala me, vel denique fallant,
Quàm ſapere & ringi.

Subditque, delin cuiuſdam Argiui ſimilitudinem (Abydenum fuiſſe tradit Ariſtoteles lib. de reb. admirabilib.)

Qui ſe credebat miros audire Tragœdos,
In vacuo lætus ſeſſor plauſorq; Theatro.

Digitized by Google

Qui tandem ex cognatorum induſtria ſanatus,

Pol me occidiſtis amici,
Non ſeruaſtis, ait, cui ſic extorta voluptas,
Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Atque, vt verum ſuper hoc loco apertiùs eluceat, traducamus caſum hunc à re menti oculisq; ſubiecta, ad res, quæ reliquis ſenſibus comprehenduntur. 5.
Si cui ars eſſet, qua conficeret vt tomentum, Phaſiani alitis ſaporem ipſiſſimum palato, ſuccum ſtomacho ſimularet, curæ ne huic eſſet violare nemora, quæ Magnatum venationibus reſeruantur, vt veros Phaſianos aucuparetur ac manderet? Si quis eiuſmodi inſtrumentum aptaret auribus, cuius beneficio gryllorum aut cicadarum ſonus inconditus, ipſum videretur luſciniæ melos; multóne hic ære veras luſcinias emercaretur?

Nimirum igitur, id quod auemus, non eſt res ipſa, quæ ſenſu aut mente percipitur, ſed cognitio ac voluptas, quam inde ad nos corriuamus. At enim, dices, inter ea, quæ ſenſum permulcent, vera ſuppoſitis anteponimus.

Fateor: ſed propter alteram ex duabus hiſce cauſis: Vel quia non omnes vtilitates, quæ vera, item ſuppoſita comitantur. Verbi cauſa, aurum adulterinum non perinde ac verum medetur. Vel quia certè non diu comitantur; vaneſcente tandem adumbrata illa ſpecie; quam pariter labem aurum adulterinum ſortitur; ſed quicumque talem fabricaretur mixturam, quæ perpetuò decorem & opportunitates cunctas vero auro à Natura tributas exhiberet, nihil, puto, ſollicitus eſſet defodere mortalium cateruas ad effodiendum per eos aurum in alterius mundi viſceribus conſepultum.

CAPVT XLVI. *Cõfirmatur Dei viſores, ni ſimul amatores fuerint, beatos haud fore. Et abſoluitur allocutio*

Ex his, quæ tum generatim ſuper pulchritudine, tum diſtributè ſuper ſubiecta cuique ſenſuum materie hactenus diſputaui, iudicari poteſt, non ipſam Dei pulchritudinem per ſe aſpectantis bonum eſſe, ſed boni effectricem; dum ſui aſpectum tribuit, itaq; gaudio animum aſpectantis irrorat. Quare, ſi quiſpiam Dei ſpectator, non item Dei amator eſſet, & nihil extra ſe ſuumque bonum diligeret, hic ſanè bonum quoddam finitum ac procreatum obtineret, hoc eſt, obtutum illum iucundiſſimum. Qui ſanè obtutus cùm ſemper eiuſmodi ſit, vt clarior & intentior fieri poſſit, non omnem proinde votorum ſitim ſua vi reſtingueret, neque adeo beatum affatim intuentem redderet. 1.

Sed qui Deum ita palam conſpicit, vt ſimul eundem amicè diligat, gaudet vtique ipſo conſpecto Dei bono: quod bonum, quippe infinitum, ſociari nequit deſiderio ſuperioris boni: ſed tantùm admittit neſcio quæ minuſcula deſideria bonorum infinitis gradibus inferiorum. Quarum ſanè deſiderationum fruſtratio licet malum aliquod tandem ſit, id tamen quidquid eſt mali, ab illius præſtantiſſimi boni poſſeſſione ita inobſcuratur, vt Beatitatis nomen & gaudium nihil corrumpat. 2.

Inter

Digitized by Google

3. Inter hæc prope ventum erat ad Arcem, in qua Bracchiani Ducibus ædes aſſurgunt vetuſtate pariter ac laxitate perhonorificæ. Saracenus verò iam conticuerat, cùm Querengus, qui eius orationem attentiſſimè exceperat, quiq; eò liberaliùs Saraceni curſibus plaudebat, quò tacitus quaſi ac neſciens ſibi tanquam præmonſtratori blandiebatur, ſic eum compellat. Sementis illa profectò, quam ſparſeram, non modò ex iſtius ingenio ſoli nihil degenerauit, ſed ita fermè ſucceſſit, quemadmodum in quibuſdam vberrimis Pannoniæ agris; vbi cùm ſecale obſeueris, triticum metes. Ego pariter craſtinum demandatum mihi munus ita præſtabo, vt conſentientia quædam, nec deſpicabilia, nec pauca educere ſtudeam ex ea multiplici doctrina, quam vterque veſtrûm hodie ingenio meo inſeminaſtis. Nec ita mihi diffido, vt te, Saracene, probitate atque opulentia meſſis æquare deſperem. Quò enim ſoli ſterilitate deterior ſum, eò te acceptæ ſementis præſtantiâ fortunatior fui. Atque in hæc omnino verba è curru deſiliere: rati, ſe non tam in Sabbatino lacu piſces, quàm in Democriti puteo fœliciùs veritatem expiſcatos.

FINIS PRIMI LIBRI.

Digitized by Google

CVm in hoc Libro multa obiter, atque alibi ſtatuenda enuncientur, pretium curæ viſum eſt adſcribere hîc ſummam eorum, quæ in eo ſtabilire conſilium fuit.

---

1. Bonum honeſtum, ſeu morale, non poteſt eſſe quid aliud à bono phyſico, ſeu naturali; hoc eſt, ab eo quod bonum eſſet etiamſi citra liberam ſui electionem nobis eueniret.

2. Non id omne eſt bonum honeſtum, quod ſi fiat, plus boni quàm mali vniuersè infert.

3. Interdum quod Natura eligit gratiâ vlterioris cuiuſpiam boni, licet nobis amare per ſe, & gratiâ ſua: veluti delectamentum alimoniæ.

4. Si honeſta ſic deſcribantur. *Ea quæ honeſta eſſe plus prodeſt quàm nocet Reipublicæ vniuerſæ*: vera quidem proprietas honeſti boni ponitur, proba honeſti definitio non ponitur.

5. Si dicatur; *honeſta eſſe opera illa, quæ laudibus ac præmijs affici, plus prodeſt vniuersè, quàm nocet*, verum quid, ac luculentum de honeſto enunciatur; prima atque intima honeſti differentia non enunciatur.

6. Laus & gloria in bonis ſunt, per ſe, & gratia ſua honeſtè optabilibus.

7. Honeſtum ritè ac dilucidè ſic definitur. *Quod placet Naturæ, vt agamus.* Eſſe in rebus communem quandam Naturam, notum eſt, ac ratum apud omnes philoſophantium familias.

8. Vt dignoſcamus, placeat-ne aliquid Naturæ nec-ne, tutiſſimum eſt diſcerniculum, examinare, vtile-ne an detrimentoſum ſit vniuerſitati hominum, id Naturæ placere.

9. In conſtituenda rerum honeſtate Natura minimi quidem, non tamen nihili fecit belluarum commodum.

10. Deus & Natura idem ſunt; itaq; Dei voluntas eſt prima honeſtatis regula. Non tamen hinc ritè conficitur, Integrum eſſe Deo, vt velit quæcunque nunc turpia ſunt, adeoq; vt illis honeſtatem indat.

Quæ-

Digitized by Google

11. Quælibet vel minima corporis obleᶜtatio modò permiſ-ſa, honeſtè amabilis eſt gratia ſua.

12. Operis difficultas eleuat in eo ſemper bonitatem, interdum quoque honeſtatem delet. At ſi opus vnà cum difficultate honeſtatem retinet, hæc ab illa fit maior.

13. Sola delectatio eſt poſſeſſio boni, at non ſola delectatio eſt bonum.

14. Deus ſe intuentium eſt bonum: at cætera plerumque non ſunt bona ſe cognoſcentium.

15. Cœleſtis beatitudinis poſſeſſio, quam *formalem beatitudinem* vocant, æquè his tribus, viſu, amore ac gaudio, continetur.

16. Quilibet amor amicitiæ, quo alios complectimur, continet aliquid gaudij: amor verò Cœlicolarum in Deum eſt cumulatiſſimum gaudium.

17. Cœlites inæqualiter beati ſunt, ſed æquè omnes contenti; quia eorum inæqualitas verſatur in beatitudine formali, non in obiectiua.

18. Beatitas quà Deus pollet, animorum quibus ea innoteſcit, amantium quidem Deum fœlicitas eſt, oſorum verò infœlicitas; itaq; acerrimum ipſa eſt inter Dæmonum cruciamenta.

19. Quicunque Deum ita videret, vt non ſimul amaret, hic ſanè ingenti bono affectus eſſet; beatus, affatimque contentus non eſſet.

20. Rei obiectæ pulchritudo non eſt bonum intuentis per ſe deſiderabile, ſed tantùm eſt bonum ei vtile ac deſiderabile gratia cognitionis iucundæ, quam parit.

DE

Digitized by Google

DE BONO
LIBER SECVNDVS.

AD ILLVST. & EXCELLENTISS. VIRGILIVM MARCHIONEM Maluetium.

CAPVT PRIMVM.

SI de ingenij tui laudibus fama tam ſubmiſſè loqueretur, Virgili Malueti Marchio Excellentiſſime, vt poſſet quiſpiam de te, quiſnam eſſes, noſſe, quid autem ſcires, ignorare; næ hic iure miraretur, quod ex hiſce quatuor Libellis meis hunc potiſſimùm tibi offerrem, quem præ cæteris quæſtionum difficultas aſperat implicatq́ue, & cui plus multò ferocitatis Mineruæ arma, quàm ſuauitatis muſarum Narthecia contulere: Iſthæc nobilitatis amplitudo, habitus iſte quem geris gladio ad bellum præcinctus, non togâ ad ſtudium compoſitus, eorum vtique inſignia ſunt ac notæ, qui nihil in ſapientiæ hortis vltra frondes ac flores attingere conſueuerunt; nempe laurorum fructus quaſi amariores auerſati. Verùm ex hoc ipſo reconditiorum litterarum faſtidio tuæ conditionis hominibus perfamiliari, admirabilior adeoq́ue præclarior in te fit, abſolutiſſima iſthæc humanæ diuinæq́ue ſapientiæ poſſeſſio: ita planè, vt ipſe in Palladia Republica priuatum litterati hominis titulum ſupergreſſus, dijudicandi docendiq́ue ius ac Magiſtratum ampliſſimum geras. 1.

2. *Equidem de te confidenter ſcribo, nihil veritus, ne quiſpiam ſuſpicetur in hiſce laudationibus meis plus amori, quam veritati, plus cognationi, quam cognitioni tributum. Nimirum ad te deamandum tot me cauſæ acriùs extimulant, quam cognatio, vt vel dum te flagrantiùs diligo, hæc vna identidem animo excidat, certè nunquam niſi vt poſtrema omnium occurrat. Siquidem non eâ te vulgari beneuolentiâ proſequor, qua auunculum decet, qualem te naturâ ſortitus fueram, ſed qua me alterum, qualem te ſponte mihi*

per

3. *per amicitiam adoptaui. Fretus igitur eâ confidentiâ, quam perſpectiſſima veritas facit; aio, dum ætatis noſtræ viros ſcientiâ inclytos circumſpicio, eosq; tecum compono, haud alium mihi apparere, qui aut doctrinæ ſublimitate atque amplitudine, aut ingenij vbertate ac robore, aut ſtyli viriditate ac neruis, Italicæ Nobilitatis nomen impenſiùs decoret. Neque verò temperare me poſſum hoc loco, quin memorem pulcherrimam ſanè laudem tuam, eamq; tui, penè dixerim, propriam inter ſanè complures, qui tradidere artem illam, artium dominam æquè ſuopte ingenio diuinam ac tradentium ſæpenumero peruerſitate ſacrilegam. Tuum hoc fuit, vt fœdus vtique humano generi ſaluberrimum necteres inter regnantem Prudentiam, Chriſtianamq; Probitatem. Plerique omnes Principum inſtitutores ita ſcribunt, vt vel ab aulicarum artium peritis irrideantur tanquam incallidi atque hebetes, vel à ſacrarum legum cuſtodibus damnentur tanquam irreligioſi ac noxij. Veruntamen nemo vnus eorum, qui humanæ potentiæ faſtigio bonum ac finem hominis planè concludunt, dominandi præcepta concinnauit firmiora atque interiora, quàm tu concinnaſti. Nemo vnus eorum, qui inter aſpera ac ſolitudines Crucem ſceptris anteferunt, ſanctitatis monita religioſiùs ad Euangelij normam præſcripſit, quàm tu idem præſcripſiſti. Adeoq; per te iam liquet, qui ſecùs de Politica ſcribunt, eos aut animi nequitiam pro acumine prudentiæ, aut ingenij tenuitatem pro innocentiæ ſtudio venditare.*

4. *Quem ergo tibi dicarem ex hiſce quatuor Libellis meis, hunc omnino delegi, quo nimirum difficillimæ omnium mihi tractandarum quæſtiones diſputantur; haud oblitus quid præſtantiſſimi Poëtarum conſueuerint; quos decori Magiſtros optimos Ariſtoteles vocat. Hi nempe duras vtique pugnaciumq; ferarum carnes Heroum menſis apponunt; nihil eâ gratiâ dubitantes ab hiſtoriâ diſcedere, vel in ingenio ſoli, dum Libyæ ceruos affingunt, vel in animantium proprietatibus, dum leonum oſſibus abundè medullas tribuunt. Quid enim? haud tibi minor ingenij, quàm animi vigor, nec proinde molliùs agendum nobis cum illo, quàm à Deo actum videamus cum iſto. Haud enim abſque Dei Numine factum interpretor, vt animi tui fortitudo planè regalis, infortunijs ipſis ceu olim Meroë iaculis coronaretur. Ita enim exemplum ex te ſumitur haud vulgare, falsò à miſeris expoſtulari fortunam: ſublimium animorum fœlicitatem gloriamq; in externis caſibus nequaquam poſitas: ambarum venas in noſtro eſſe nulli*

Virgilius. Statius. Arioſtus.

5. *ſortis libidini vectigales. Porrò munuſculum hoc acceptum fore auguror*

L tibi,

Digitized by Google

tibi, rato, quantulumcunque tandem id fuerit, certè ſummum eſſe inter ea quæ tibi largiri ſit meum. Hoc enim auarus, ac Magnanimus diſcrepant; apud illum ex datæ rei pretio, apud hunc ex dantis animi ſignificatione munus commendatur. Ideo alter quidem arithmetico, alter geometrico examine donum expendit. Accedit ad has cauſas, opuſculum hoc impenſiùs tibi gratum fore duobus vtique inſcriptis nominibus cariſſimorum tibi capitum. Vterque horum ex illis pauculis eſt, intra quos, Ariſtoteli ac Tullio obſecutus, dulciſſimam amicitiæ tuæ appellationem concluſiſti; quosq́; literæ ad me recens datæ, atque ea de re non ſuauiùs, quam grauiùs differentes, accenſent. Alter quidem duorum eſt Gerardus Saracenus nobis haud ita pridem fato ſurreptus; idemq́; in haſce paginas ad eiuſmodi reuocatus vitam, qualem poſthumæ caritatis meæ vis ac ſtudium repræſentare poteſt, qualisq́; per myſteria fabularum indicatur, vt ſuſpicor, in Orphei vocibus dilectum animum ex obliuionis domicilio retrahentibus in lucem. Alter deinceps eſt Fabius Chiſius Præſul ornatiſſimus ampliſſimusq́;, cui ſequentem protinus Libellum inſcriptum videbis. Etenim haud minùs chartæ quam tabulæ vtcunque rudes, gratiam apud poſſeſſores obtinent, ſi artis ineptiam obiectarum imaginum caritate compenſent.

CAPVT II. *Aduētus Andreæ Eudæmonioannes è Soc. Ieſu, eiuſdem Elogium. Vnà oēs rhedâ conuehūtur, vt inceptā diſputationem reſumant*

OBVIAM factus eſt Cardinali ædium ſcalas aſcendenti nouus hoſpes, 1.
idemque haud ignobile additamentum futurus indictæ in craſtinum collocutioni. Erat hic Andreas Eudemonioannes è Societate IESV, qui multis iam antè annis Patauij degens, Querengi pariter doctrinam nouerat, pariter æſtimationem conciliauerat ſibi. Vir ſanè, quem ingenij acumen, ſcientiæ celſitas, lectionis immenſitas affatim nobilitabant. Meditatione celer, linguâ promptus, diſputatione viuidus, tandem quidquid ageret, ſpiritum & ignem præſeferens. Quo tamen igne vehementiùs identidem efferueſcebat. Quanquam & pietatis ſtudium, & hauſti è religioſa vita ſenſus, ſi non ſemper æſtibus illis, ne inſurgerent, in tempore occurrebant, eos certè velut aquis opportunè irroratis momento temperabant. Cæterùm non minùs ad negotia ſolers, quàm ad ſtudia, neque contemplando, quàm agendo melior. Creta eum claris natalibus genuit. Turcici exin belli tumultus à patriæ ſinu auulſum Romam amandarunt, veram ſcilicet virtutis patriam. Eductus hic eſt in Romano ſeminario Gregorij XIII. munificentiâ, Principis, qui paternæ caritatis
complexu non alios minùs exteros habuit, quàm exteros. Deinceps præpol- 2.
lenti ingenio, aſſiduoq; ſtudio eò proceſſit in litteris, vt peræquè longum foret, quas ille comprehenderet diſciplinas ad vnam recenſere, atque arduum quam ignoraret adinuenire. Neque verò prælarga hæc ſuperficies pari carebat alti-

Digitized by Google

altitudine; licet plerumque accidat, vt multa multumq; ſcire, non eiuſdem ingenij ſit. Is enim quàm intimè peruaſerit arcaniorum penetralia diſciplinarum, vel ſi eius chartæ conticeſcerent, huius Romani Gymnaſij exedræ vociferarentur. Quod ſanè Gymnaſium inter præclariſſimos illos æui noſtri Theologos, ex quibus celebritatem habuit, Andream contemplandi ſubtilitate nulli ſecundum numerauit. Haud tamen inſitum philoſophandi ſtudium, & quæ cuiuſlibet ſtudij nutrix eſt, in eodem ſtudio fœlicitas, venuſtiorum litterarum illi vel pretium abiecit, vel tractationem ademit. Nec enim ex illo fuit faſtidioſorum philoſophantium numero, qui humaniorum artium culturam, ceu inanem aſpernantur, quaſi platanorum, ſpecie quidem atque vmbra mulcentium, ſed illius fructus, quo mens vnicè alitur, hoc eſt, adinuentæ veritatis, planè ſterilium. Quin ipſe dum ſcriberet, argumentorum pondere non contentus, ſed inſuper elegantiæ fauos eloquentiæ aculeis commodè aſperans, ſimul lectorum animos ſuauitate paſcebat, ſimul hæreticorum perfidiam ictibus tranſuerberabat. Quippe aduerſum hæreticos inprimis ille ſtudium ac ſtylum exacuit. Quos tamen ſæpe minutis vexauit prælijs, iuſto certamine adortus eſt nunquam. Id quidem præſtare agitabat animo, vniuerſam Caluini hæreſim concutere aggreſſus. At perinde in libris, atque in ædificijs contingit. Grandiora quædam & ſumptuoſiora cœpta ſic plerumque fabricatoris interitu præciduntur, vt muri neſcio qui rudes & craſſi tantùm extent, magnum Authoris animum teſtificantes, cætera inutiles. Cum primis ille carus fuit Vrbano, quem adoramus, Pontifici, nec non Franciſco Barberino Cardinali, Pontificis fratris filio, qui Andream ſibi Theologum in Gallica legatione aſciuit. Inde portò talis redijt, ſuos vt Sodales tantùm ſupremò ſalutaret, non quidem voce, ſed extremi ſpiritûs emiſſione. Eadem penè hora viam illi, vitamque concluſit. Ingenti profectò Societatis noſtræ iactura, niſi quod verius, non iactura, ſed ſumptus opportuniſſimus vocandus eſt, quoties illa Eccleſiæ ac Deo filios impendit. Vrſino Cardinali Andream commendabant cùm alia complura, tum præcipuè arcta & vetus neceſſitudo, quæ illorum vtrumque Bellarmino Cardinali obſtrinxerat. Hinc Vrſinus datis ad eum litteris peramanter Bracchianum inuitauerat; denuncians, viæ laborem Querengi conſuetudine redemptum iri.
3. Et ſanè accommodatiſſimè ad Cardinalis voluntatem accidit, vt in eo temporis articulo eiuſmodi offenderet hoſpitem: qui ſcilicet ſimul interuentu ſuo Querengum moneret, vt germanas tantùm atque exoticas gemmas, quippe tam ſolerti gemmario diſpiciendas, promeret, ſimul ipſe ſuas pariter conferens, mercatum illum opulentaret. Excepit eum Cardinalis comiter magis, quàm prolixè; feſtinans videlicet ſubducere ſe, vt matutinis canonicis precibus craſtinum, atque adeo cœnam de mo[illegible]ta uerteret. Andream interea honoris ac ſolatij ergo Saraceno attribuit. Tum id temporis totus ferè in eo Saracenus fuit, vt proximè habitam collocutionem carptim

ac ſummatim denarraret. Quod non referenti, quàm audienti gratius: alteri vt nuper diſputata altiùs inſculperet memoriæ; quæ non alio ſcalpro fideliùs cælatur, quàm ipſiuſmet linguâ commemorantis; alteri vt in arenam, quam ſibi præuidebat, non planè imparatus atque impromptus euocaretur.

Tum primo mane Cardinalis ritè iam de more procuratis in Deum officijs, Cœli ſerenitate clementiaq; inuitatus, ipſe pariter hoſpites inuitauit, vt ſecum rhedâ circumuecti amœna camporum ſpecie fruerentur: vbi ſanè aulæa illa Naturæ digitis picta gemmataq; eos cum primis delectant, qui ſplendidis ædibus innutriti faſtidiunt iam lectiſſimas picturarum atque gemmarum, quas Artis induſtria concinnauit ac fodit. Rhedam conſcendens Cardinalis, quippe ingenio, quàm corpore latiùs exſpatiari cupidus, iuſſit aurigæ denunciari vt lentiſſimè progrederetur, ne incitatioris motionis iactatio ac ſtrepitus quietem animorum colloquijs neceſſariam interturbarent. Præmiſerat tamen equitantes aulicorum ſuorum nonnullos, qui animos ipſos colloquentium ſeuerioribus cogitationibus feſſos identidem recrearent feſtiuo accipitrum volitantium ſpectaculo; quibus prædarum abundè erat in Bracchianenſi agro, venationum opulentiâ inter Latinos prænobili. Tum ipſe orſus eſt in hunc modum. 4.

CAPVT III. *Quãti ſit Bonum noſſe.*

Catull. in Nup. Pel. & Thet.

Cvrtus hic potiori titulo, quàm ille primus, qui leui flamine volitauit, Palladem ſibi opificem arrogaret, quando hunc diſſertationum ſuarum Peripatum viri tales ac tanti deligere non dedignantur. Tuæ iam ſunt partes, Querenge, id efficere, vt heſterna audentia nihil iam pœnitenda ſit mihi, vtpote quæſtuoſiſſima, vbi per eam doctrinis tuis me ditatum intellexero. 1.

At ille. Si, quod quæritamus, aſſequeremur, videlicet Bonum vniuerſum, næ ipſi ſpolijs longè pretioſioribus vehiculum noſtrum ditaremus, quàm Argonautæ illud ſuum, quod Græcus Pegaſus Cœlo inuexit. Quid verò? Aurum illud, cui ſtudemus in præſens, totidem Argonautis perquiritur, quot ſunt omninò res vniuerſæ. Quæcunque aut Deus agit, aut inferiores cauſæ; quæcunque Natura, Prudentia, Ars, Virtus, Vitium, vniuerſitas denique rerum omnium molitur, totidem iacula ſunt præcelſum hunc ſcopum appetentia, totidem plagæ ſunt opimam hanc prædam aucupantes.

Verùm haud fortaſſe procliuius eſt Boni notionem, quàm poſſeſſionem adipiſci. Alteram vniuerſi ſectantur, alteram plerique negligunt; Et tamen illa niſi per hanc haudquaquam parabilis eſt. Bonum quæritare, nec interim noſſe, an non eſt imitari vulgatam in Hetruſcis fabellis Calandrini ſtoliditatem, in helitropiæ indagatione ſolliciti, quem tamen ipſe lapidem ab alijs lapidibus nihil diſcerneret?

Paracelſus quidem, Paracelſiq; familia prædicant, auriferum illud ſemen tantopere ab ipſis magnificatum, cuius genitricem ferunt arborem prægrandem radicibus Tartara contingentem, ac tanquam in ramos, folia, flores, 2.

perna,

perna, in metallorum & gemmarum venas toto terrarum gremio diſpanſam; prædicant, inquam, ſemen illud in manibus identidem nobis verſari; atqui ſpretum, quia ignotum: quando nihilo illud ſimilius auro dicunt, quàm itidem pyrorum aut peponum ſemina pomis ſuis. Hoc ſanè chimicorum nugamentum non aptiùs, quàm veriùs cadet in nos; bonum, hoc eſt, non auri, ſed fœlicitatis ſemen, identidem à Natura nobis exhibitum repudiaturos, malum contra venenorum truculentiſſimum auidè conſectaturos; ſi boni maliq; ſcientiâ caruerimus: ſcientiâ quidem tam excelsâ, vt ipſam, quaſi diuinitatis portionem ſerpens ille vaferrimus obtenderit primis humanæ familiæ progenitoribus. At, eheu, dum ad illam comprehendendam, fallaciarum parentem adoptarunt ſibi doctorem; enimuero commeruere, vt ſibi atque adeo poſteris ſapientiæ Pater eandem ſcientiam occuleret; tantumq; illam vti diuinitatis teſſeram naſcituro Beatorum Primogenito affuturam prænunciaret. Ferenda iactura demum foret, ſi neſcij fœcundum auri ſemen contrectaremus. Id enim eiuſmodi eſt, vt agnitione ipſa vtilitatem cum raritate deponeret, veriùs quàm acciperet. Quippe auro non tam à natiuorum decorum copia, quàm ab exterioris auri raritate pretium obuenit. At ignoratio boni extremum illud calamitatis importat, quod ne verbis quidem valentioribus exponi poteſt, quàm iſtis, vt bono deſtituamur. Adeo vt Plato ſcitiſſimè demonſtret, quamlibet aliarum rerum ſcientiam ipſarum ignoratione deteriorem eſſe Bonum ignorantibus. *In Alcyb. 2. de Voto.*

CAPVT IV.

Ariſto. & Platonis cõparatio. Ille vti minùs in admiratione excitãdã intẽt⁹, ita minùs eã à principio aſſecutus. Sed pl⁹ veritatis habuit adeoq; pl⁹ fidei obtinuit.

1. PORRÒ in huiuſmodi ſcientiæ indagatione Ariſtoteles mihi dux melior habetur, quàm is, quem nuper laudaui, Plato: Quanquam huic de cætero vſque adeo ſim addictus, vt probè noſtis. Plato ſiquidem eum tenuit in philoſophando morem, vt auidiùs inuolaret in admiranda neſcio quæ, ac proinde à communi mortalium exiſtimatione plurimùm diſſita. Et id quidem Platoni ampliùs venerationis conciliauit apud populum, quippe qui tanto interuallo litteratorum aliquem ſibi ſapientiâ præfert, quanto eum à ſe opinionibus diſtare audit: illoſq; demum vti ſcientiſſimos reueretur, à quibus ipſe viciſſim vti rudiſſimus proculcatur. Acceſſit, quod etiam Poëtæ, vtpote qui geminum hunc colorem ſcriptis ſuis amiciendis proprium allegerunt; admirabilitatem ac veriſimilitudinem; veſtiariam tabernam frequentarunt non tam Ariſtotelis, quàm Platonis; qui nempe vnus mira non irriſa, ſed venerata, atque adeo credita venditabat. Sic Plato.

2. Sed Ariſtoteles oppoſitam planè ſemitam legit. Tantum abfuit, vt popularem ſtuporem cauponaretur, vt populum ipſum ſibi præceptorem impoſuerit: quin primas ac ſummè rudes quaſdam plebeculæ cogitationes & perſuaſiones reueritus eſt, tanquam baſes, quibus Philoſophiæ ſuæ machina prorſus incumberet. Quæ ſanè Philoſophia vti ſic minùs fuci, quàm Platonica

per adoleſcentiam aſciuit, ita plus pulchritudinis in ſenecta retinuit; pluresq́; tandem conſtantes amatores inuenit. Parq́; diſcrimen inter ambas interfuit, ac inter Poëſim atque Hiſtoriam eſt. Illa vt audentior, ita & mirabilior, adeoq́; blandior: hæc vt Vero mancipata, ita plus & auctoritatis præfert, & infert vtilitatis. Nimirum hoc de Ariſtotelica doctrina ſenſerunt dies poſteri, teſtes nunquam falſi, nunquam fallentes. Poſt diutinam ingeniorum indaginem patuit enimuero, Naturam errorum nugiuendam non eſſe animis noſtris; qui cùm ſuo nutu veritatem vnicè appetant, non eo improſpero fato naſcuntur, vt plerumque fallacibus ſpectris ludificentur; Ita in eaſdem exiſtimationes plerumque conuenire, vt & communiores ſint, & veriores; probæq́; Philoſophiæ id vnum eſſe munus, vt exertè hominibus explicet, & quaſi in bono lumine collocet, quæ per ſubobſcuram & obuolutam quandam Naturæ informationem nemo non prænoſcebat; vtq́; quaſi ſcholiaſtem & ſubdocentem agat eius doctrinæ ac prælectionis, quam vnicuique hominum Natura dictauit.

CAPVT V.

Quid Ariſtot. in Ethica enucleanda præcipui habeat ſupra cæteros: Quid perficiendum reliquerit poſterorum induſtriæ.

ATque vt de illa potiſſimùm diſciplina, quam verſamus, dicam. Apud alios vtique veteres ab Ariſtotele moralis Philoſophiæ documenta re- 1.
perimus, videlicet apud Xenophontem, Epictetum, Ciceronem, Senecam, Plutarchum. Sed inter hos illumq́; id fermè intereſt, quod inter Hippocratis libros, atque alium quempiam, qui medica præſcripta compluſculis morbis ſalutaria coaceruauerit. Alter enim plus docet, quàm dicit; primordia ſuppeditans etiam ad id quod ſibi indictum eſt ritè procurandum, & ad ſanandos morbos ſibi intractatos, ætatique ſuæ incompertos. Alter verò dum experimenta neſcio quæ peculiaria tantùm prodit, generales verò cauſas ſuper medicamentorum efficacitate non retegit, vaſculum ſanè, non fontem medicæ facultatis largitur; lectoréſq́; ſuos in magnum errandi periculum trahit. Errori enim perquam pronum eſt rem agere, cauſam cur ita ſit agendum, neſcire; nec proin dignoſcere ecquid in hac vel illa attributorum immutatione, agendi quoque modus ſit immutandus. Lectitantur ſanè paſſim apud Xenophontem, Epictetum, Tullium, Senecam, Plutarchum ſententiæ ingenio peracutæ, prudentiâ ponderoſæ; lectitantur affatim abdita documenta nulli mortalium ordini non accommodata; ſed hæc omnia haud vtique certa & conſtantia, imò verò compluſculis & exceptionibus caſtiganda, & explicationibus indigentia. Cuius rei cauſa eſt, quod nemo inter eiuſmodi ſcriptores moralem diſciplinam ad viuum reſecuit, primámq́; doctrinæ ſtirpem rimatus eſt. Credo quia, vt commodè Cicero (*in Orat.*): *omnium magnarum artium ſicut arborum altitudo nos delectat, radices ſtirpeſq́; non item.* At verò haberi (quod idem ſubijcit) *illa ſine his non poteſt.* Nemo iſtorum Philoſophorum homini hominem patefecit, nemo eum ſuæ naturæ, ſuæ ditionis admonuit; quis eſſet, quod incolat

Digitized by Google

colat domicilium; quodnam hominis emolumentum alijs atque alijs actionibus laudem & gratiam, atque adeo virtutis titulum conciliauerit apud mortales. Vnius Ariſtotelis beneficium illud fuit in Philoſophia, quod idem Tullius alio loco Varroni tribuit in Hiſtoria: Varronianæ ſcriptionis beneficium ipſe ait, vt non amplius iam Romani Romæ peregrinarentur; Ita pauculis commutatis Ariſtotelis beneficium iure dicetur fuiſſe, vt non amplius mundani peregrinemur in mundo. *Academ. quæſt. li. 1*

2. Quid tamen? Perfectionis culmen ita in excelſo eminet, vt vniuſcuiuſque mortalis brachia licet gigantea ſupergrediatur. Quippiam deſiderandum in Ethice Ariſtotelica ſagaciter deprehendit, ſcriptor merito maior, quàm famâ, Aduardus Gualunda. Examinat enim obſeruatè curioſéque Ariſtoteles appetitiones actionésq; noſtras; res autem externas, quæ ipſis actionibus atque appetitionibus obijciuntur, attingit veriùs, quàm examinat. Exemplum ſit. Docet ipſe, liberalitatem medio nauigare velut inter duas Syrtes, inter prodigentiam atque auaritiam; eam virtutem porrò eſſe, quæ ſumptus ad prudentiæ menſuram exigit. At verò quænam ſit iſthæc prudentiæ menſura circa ſumptus, quave de cauſa ita omnino ſit conſtituta, vix quærit; Quod tamen vt à Philoſopho præſcriberetur, ſupra quodcunque aliud in ea re præceptum recta hominis inſtitutio flagitaſſet. Satis-ne erudiret Romæ hoſpites aliquos Diui Petri Ædem appetentes, quiſquis illos ita inſtitueret, *viam tenento breuiſſimam & commodiſſimam illuc pertingentem: nullis diuerticulis auocantor:* & nihil vltra? Haud ſanè, quin peropus foret, definitè indicare quænam ſit huiuſmodi via, & quibus vtique in locis aliàs dextrorſum, aliàs ſiniſtrorſum greſſus foret dirigendus. Idcirco Ethice Ariſtotelica, ſi rectè puto, humani moris contemplatrix, melior eſt, quàm moderatrix. Sanè illud primum exequitur obſeruationibus humano ingenio ſubtilioribus: de hoc altero (vt leuiter dicam) ieiuniùs ediſſerit.

Prælargus igitur incognitarum orarum tractus huic philoſophicæ nauigationi adhuc expanditur, quando Scholaſticorum, qui poſt Ariſtotelem ſcripſerunt, bona pars, toti ſunt in digladiando ſuper vi vnius voculæ Ariſtotelicæ, aut ſuper quapiam diuiſione retinenda vel exturbanda; dum inter hæc intentatas prætereunt quæſtiones, quæſtionum omnium, quæ poſſunt mentibus obuerſari, ſummè neceſſarias pariter, ſumméq; præclaras.

In his quæſtionibus proculdubio eſt, ac principem occupat locum ea, ſuper qua tu me hodie proloqui iubes, Cardinalis ampliſſime.

Age

CAPVT VI.

Recẽſẽtur ac refellũtur opiniones Capreoli ac Durãdi ſuper Boni ratione.

AGe igitur. Ariſtoteles *a* initio Ethices bonum ait eſſe, *quod omnia appetunt*; primo autem Rhetorices libro *b* ſic Bonum explicuit: *Quod* 1.
omnia appetunt, quæcunque ſenſum mentemve habent, aut quod appeterent ſi haberent. Capreolus *c* ergo hanc ipſam expoſitionem arripuit quaſi legitimam Boni definitionem, eo vel maximè, quod in hoc ſibi concinentem credidit Diuum Thomam, cui diſſonum ſe vſpiam exhibere, magna ei religio fuit.

Aduerſus talem definitionem pugnarunt inter veteres quidem Plotinus *d* & Seneca *e*, eo nomine, quòd hæc definitio ſuper rerum bonitate pronunciandi ius tribuat cæco vtique iudici, hoc eſt, appetitui; cui ſæpe optatiſſima quæ deterrima. Inter recentiores verò hanc ipſam definitionem non quaſi falſam, ſed quaſi vitioſam agitat Caietanus *f*. Eatenus, inquit, quippiam expetendum ſe præbet, quatenus, antequam expetatur, præ ſe bonitatem fert cogitanti. Prima igitur notio ac ſubſtantia bonitatis aliud quid eſt & præuium facultati appetitionem prouocandi.

Alij alias adeoq; innumeras Boni definitiones meditati ſunt, de quarum 2.
pleriſque conſultò ſilentium eſt mihi, tum Ariſtotelica præceptione *g* monito, vt ſententiarum p[illegible]biliores tantùm ac celebriores in examen vocentur; tum quia, vt idem ait, abſtruſa quædam ſubtiliùs exquirere, alterius cuiuſdam eſt Philoſophiæ.

a cap. 1.
b cap. 6.
c in 2. diſt 34. art. 2. concl. 2.
d Enneade 6. c. 19.
e Ep. 118. & 119.
f 1. p. q. 5. ar. 1. & 4
g 1. Eth.

Aliquæ tamen opinationes, quæ ita hiſpidæ ſunt ac tenebricoſæ, vt incommodiùs, certè inſuauiùs, ad propulſandum, ne dum ad amplexandum tractarentur, ſatis ſuperque ſuamet ſponte propulſantur. Tetrâ enim neſcio qua oris triſtitiâ deterrent ab ſe hominum ingenia, nedum in amplexum trahant: quæ ſanè ingenia lucem vbique non tenebras amant, ſed ſcilicet eam ſuo iure in definitionibus requirunt, natis quippe ad res illuſtrandas. Aliquas ergo 3.
Boni definitiones omittam, aut explicatu perobſcuras, qualis Plotiniana illa, Bonum eſſe participationem aliquam ſummi boni; qualiſq; alia eſt ab Aquinate indicata, *Bonum* atque *Actum* idem eſſe: aut non vniuersè bonum omne complexas, ſed in peculiaria quædam boni genera vnicè conuenientes, ceu Stoicam illam, quæ habetur apud Tullium 3. de finib. & quæ probatur Senecæ nuper laudato; hoc eſt, Bonum eſſe, *quod ſecundùm Naturam cuiuslibet eſt, cum perfectione pollet*, aut illa Platonis; Bonum eſſe, *quod per ſe ſufficit.* His præteritis.

loc. citato
1. p. q. 5. a. 1. in corp. ad 1.
in Lyſide.

In Durandi rationem intendo. Putauit hic, primam boni notionem eſſe quid nexum, atque aliud ad aliud referens (conceptum relatiuum aiunt) boni videlicet eſſentiam, opportunitatem eſſe voluit, per quam vna res alteri prodeſt. Quædam, inquit Durandus, ſuopte ingenio rem aliam interiùs perficiunt; vtpote manus, quæ homini tributæ ſunt, quaſi omnium opificiorum artifices; item firma valetudo eò nobis collata, vt per illam commodè ac iucundè mu-

in 2. diſt. 3 q. 1. ar. 22

Digitized by Google

dè muneribus vitæ fungamur. Aliqua è contrario non ita ſunt bona, vt aliud quippiam interiùs perficiant, ſed vt bonorum rem aliam interiùs perficientium ſint cauſæ. Veluti pharmacum nulla eſt interior perfectio animalis. Efficit tamen, ac ponit in animali interiorem perfectionem, hoc eſt, bonam corporis habitudinem. Hac poſteriori ratione, bonum eſſe, conuenit Deo, quippe qui nulla eſt proprietas interior cæterarum rerum; ſed principium ac fons cuiuſlibet boni interioris reliqua omnia perficientis.

Iam verò nulla vtique rerum eſt, quæ alterutro ex iſtis modo alijs rebus non proficiat. Ideo rerum latè omnium, ſeu *entium* proprietas bonitas ipſa iure à Metaphyſicis appellatur. Alia verò ex parte cùm res ipſas ſeu *entia* noſſe liceat, quin hanc in eis opportunitatem alia iuuandi cognoſcamus, hinc eſt, notionem *boni* aliam ac poſteriorem eſſe in animis noſtris, ac notionem *Entis*, itáque (quod pariter Metaphyſicæ placitum eſt) non entis eſſentiam, ſed eſſentiæ ſobolem proprietatem.

4. Nuſquam non acutus Durandus eſt; ſiquidem vbique aut verum docet, aut certè à præualida quapiam coniectatione veritatémque callidè ſimulante in falſum pellicitur. Eius tamen ſententiæ ſuper natura boni haud planè acquieſco. An aſſerendum eſt, ſi vnum Deum, ac nihil præterea eſſe poſſe comminiſcamur (obliti etiam, ſi vultis, in Deo perſonarum multitudinem) confeſtim ex Deo boni rationem auolaturam? Confeſſa res eſt apud omnes, amabilitatem inter vnius boni proprietates eſſe. Atqui Deus in eo quem finximus, caſu, amaret haud dubiè ſe ipſum. Igitur bonitatis ſubſtantiam retineret. Et tamen nullam tunc opportunitatem erga res alias conſeruaret. Quid ni ergo *boni*, & *alijs opportuni* rationes notioneſq; differant inter ſe.

Præterquam quod in eiuſmodi expoſitione Durandus mihi videtur mutare potius nomina, quàm declarare. Quid enim plus habet claritatis *opportunum* aut *conueniens*, quàm *bonum*?

CAPVT VII.

Bonũ defi niri neq̃t: quia eius notio ſua ſponte liquet. Quanã patefactiones eiuſcemodi notionũ afferri poſſint.

1. EQuidem reor ita planè cum Philoſophis agi, dum Boni definitionem inueſtigant, ſicut actum eſt cum Zeuxi, vbi de pingendi excellentia cum Parrhaſio contendit. Nempe Zeuxis Parrhaſium rogauit vt velamen reduceret ex tabula, quam Parrhaſius in medium proponebat tanquam argumentum ſuæ in arte illa peritiæ *a*. Verùm, quod Zeuxi velamen tabulæ viſum eſt, id ipſum reuelata tabula erat, hoc eſt, colores velamen aſſimulantes. Ita pluribus Philoſophorum perſuaſum eſt, Boni appellationem ceu velamen eſſe, quo notio aliqua manifeſtior obtegeretur; quam notionem, vt aperirent, Boni definitionem ſcrutati ſunt; ſed incaſſum: ſcilicet appellatio iſthæc ſatis per ſe reuelata eſt, neque notionem aliam ſeipſa clariorem inuoluit.

2. Rem ipſam luculentiùs exponam. Definitio vtique eſt patefactio rei per vocabula magis dilucida, quàm ſit proprium rei definitæ nomen. Iam non quod-

a Plin. li. 31. c. 10.

Digitized by Google

quodlibet nomen eſt eiuſmodi; vt per aliud magis dilucidum pateſieri queat: Si enim hoc eſſet, in infinitum progrederemur.

Eodem pacto non omnia vera ſui probationem admittunt. Quid enim eſt probari, niſi abditius quoddam verum ab luculentiore alio ſecum nexo nobis erumpere? Atqui, non quodlibet verum alteri vero luculentiori nectitur. Haud ergo in probationibus infinitè procurritur, ſed neceſſe eſt in quibuſdam pronunciatis ſiſtere, quæ ſint quaſi fontes humanæ ratiocinationis, vnde nos diſciplinis, artibus, denique omnibus mentis noſtræ commentationibus, ceu fluminibus, irrigamur.

Sanè poſitiones ſua vi ſtantes, nec probationis adminiculo innixæ, illæ ſunt, quæ tantùm enunciatæ, quadam naturæ conuenientiâ rapiunt mentis aſſenſionem, & quam intus gerunt veritatem, palam ore ipſo præſeferunt. 3.

Ita etiam voces, ſeu rationes, quæ nulla poſſunt definitione clareſcere, ſunt illæ, quæ deſignant rem aliquam ſub ſenſus vel animi experimento ſubiectam: Verbi cauſa, *calor, dulcedo,* apertioribus verbis declarari nequeunt: quando his nominibus notantur res quædam ſenſu nobis expertæ. Quare nulla concinnari poteſt definitio, quæ audientem planiùs edoceat de re, quam ea verba demonſtrant. Tantùm indicari præterea nobis poterunt eiuſce rei cauſæ, effecta, cæteraq; attributa. Idq; ſolerter Ariſtoteles vidit, qui vbi res eiuſmodi ſenſiles veluti calorem, ac frigus, aut affectiones animæ noſtræ nobis itidem interiore experimento perſpicuas, ceu iram, ac dolorem, definire viſus eſt, illarum cauſas vel effecta ſemper expoſuit; nil moratus quod interdum definitio vocibus conſtaret obſcurioribus, quàm res definita. Nec enim id moliebatur, vt rem ipſam patefaceret, ſed vt de illius natura quid ampliùs enuclearet.

Ergo in iſtiuſmodi vocabulis per ſe patentibus quatuor alia genera explicationum, vel ſi minùs preſsè loquamur, definitionum, præſtò ſunt. 4.

Alia quidem earum fit per voces idem valentes omnino. Hæc tamen explicatio prodeſt modò rudibus linguæ, atque illorum vſui à Nomenclatoribus recepta eſt; Contingit quippe interdum eiuſmodi hominibus notius eſſe, exempli cauſa; hoc nomen *Pariſij*, quàm *Lutetia*: quamobrem penes ipſos hoc per illud opportunè declaratur.

Altera fit per voces vtique ſonantes diuerſum quippiam, at non quippiam ſuopte ingenio planius. Sic Ariſtoteles *vnum* deſcripſit, *quod non eſt diuiduum*. Non quia *diuiſio, vnitate* ſit manifeſtior ſponte ſua; ſed quia nonnunquam caſu accidet, vt alicui mortalium manifeſtior ſit.

Tertia erit (quam præfabar) quæ proprietates quaſdam rei ediſſerat. Exemplum eſto. Quiſque nouit, quid ſibi velit hoc nomen *ſimilitudo*. Si tamen enunciauero, ſimilitudinem eſſe id, quo interdum decipimur, aliud pro alio indiſcriminatim accipientes; profectò ſimilitudinis attributū proprium eloquar, non confeſtim omnibus obſeruatum. Po-

Digitized by Google

5. Poſtrema eiuſmodi expoſitionum eſt partitio generis in ſpecies ſuas. Quo enim ratio quæpiam magis vniuerſim atque infinitè cognoſcitur, obſcuriùs cognoſcitur; eadem quo magis diſcreta in animo eſt, explicatiùs tenetur. Ita commodè Ariſtoteles expoſiturus alteram mentis operationem, quæ *iudicium* dicitur, experimento ſummè perſpectam; *Ea eſt*, inquit, *per quam affirmamus, vel negamus:* partiens hoc modo in duplicem ſpeciem genus illud cognitionis vniuerſum. Ens item non aliter explicauit, quàm eo in decem ſumma genera diſtributo, itáq; accitâ eâ notitiâ vulgatiſſimâ, qua nemini *ens* ignoratur. Sicuti quamuis *Roma* nomen mihi planiſſimum ſit, aliquid tamen ignotum addiſcerem, ſi quis mihi ſingula Romæ compita, vicóſq; capitulatim memoraret.

6. Inter ejuſmodi rationes naturâ manifeſtas habetur ipſum *Bonum*; quod proinde ex claritatis non quidem vacuitate, ſed copiâ inexplicabile eſt. Nec iure forſitan Socrates apud Platonem Sophiſtas illos perſtringebat, qui peculiaribus tantùm exemplis, & non communi quadam notione ad percunctationem, quid bonum eſſet, reſpondebant. Quis vnus eſt vnquam, qui *Boni* vocabulo audito ſuper eius poteſtate ambigat, & interpretationem expoſcat? Si *Bonum* omnes appetunt, omnes itidem norunt. Neque enim ignoti appetitio eſt vlla.

CAPVT VIII.

Duo poſteriora explanationũ genera ſup notionib. per ſe apertiſsũt ſciẽtijs opportuna, & hic adhibentur ad notionẽ Boni.

CONueniunt igitur in *bonum* aliæ tantùm quas recenſuimus, exponendi formæ, ac præſertim tertia & poſtrema; quæ ſua ſponte ſunt vtiles, & non
1. modò ex peculiari ac fortuita audientis affectione, ceu ſuperiores. Diuiſionem & proprietatum enucleationem loquor.

Illam Ariſtoteles ſuper *bono* adhibuit 1. Rhetorices lib. capite 5. mihíque
2. ſuper ea ſermo erit inſtituendus in loco. Alteram aſciuit in principio Ethices, vbi ait, *Bonum eſt quod omnia appetunt.* Per hæc ſanè verba proprietatem *Boni* deſignauit, cunctarum communiſſimam, nobiliſſimam, apertiſſimam, primam.

Communiſſimam porrò; quoniam bona vniuerſa, quæ extant, vel facta ſunt, vel infecta. Et quidem quod ita bonum eſt, infectum vt ſit, ſolus eſt Deus; cui adhærere, quatenus licet, vtique appetunt omnia; quando ipſe naturâ ſupremus eſt rerum omnium finis, optabiliúmq; bonorum fons atque initium.

Tum verò bonum illud, quod eſt factum, neceſſe eſt vt ſponte fiat, atque adeo expetatur, à rerum omnium Auctore Deo; ni enim expeteret, quid eſſet cur faceret?

Neque verò illa ratio, quam retuli è Seneca & Plotino, euincit non conuenire in ſolum Bonum vt appetatur. Quando appeti quidem aliquando poteſt id duorum inter ſe pugnantium quod melius nequaquam ſit, id verò quod bonum non ſit, appeti prorſus non poteſt. Appetit voluptatem in comeſſationibus

nibus Apicius; appetit hanc ipſam in Capuanis delicijs Annibal; appetit ſe ignominiæ ſuæ ſubducere per necem Lucretia. Hæc autem omnia, quæ appetuntur, ſunt bona, & ni plus mali mixtum haberent, honeſtè amabilia. Sed mixtura illa efficit, vt in eiuſmodi circumſtantijs melius vtique ſit ab eiuſmodi inſynceris bonis abſtinere. Manet ergo bona ſemper appeti, meliora non ſemper.

Item ea, quam dixi, inter boni proprietates nobiliſſima eſt. Etenim præclariſſimum eſt excellentiæ teſtimonium, exoptari.

Eſt etiam apertiſſima. Nihil enim perſpectius nobis, quàm operationes noſtræ; in ijs verò perſpectiſſima eſt appetitio, vtpote quàm ſatis ſuperq; frequenter vſurpamus.

Demum eſt omnium prima. Nam *Bonum* quà bonum eſt, non aliam potentiæ ſuæ baſilicam habet, quàm appetentes facultates. Ab his verò prima, quæ naſcitur operatio, eſt appetentia ipſa, quaſi vectigal illud primum, quod ab eiuſmodi facultatibus penditur bono, vtpote Regi, cui ancillantur. Poſt appetentiam verò ſequitur electio mediorum, tum ſpes, deinceps gaudium, ſi bonum adſit, mœror, ſi deſit; cæteræq; affectiones.

Et hæc ipſa *boni* expoſitio placuiſſe videtur primis auctoribus Latini ſermonis: his enim res cui plus ineſt boni, *melior* quaſi *manelior* dicta eſt; illud nimirum, quod magis volumus, quódq; impenſiùs appetimus: ſuper hæc quod ſummè bonum id *optimum* nominarunt, vel ab *optione* ipſa (ita Terentianus Scaurus) vel quaſi *optatiſſimum*, vt alij ſuſpicantur.

Voſſius li. 9. de Arte Gramm. 2. de Analogia c. 24.

CAPVT IX.

Quinã ſit aptiſſim⁹ modus tũ ſcriptores collaudãdi tũ philoſophãdi.

Hic ita Cardinalis. Tu quidem in perobſcura philoſophiæ ſemitâ duo præfulgida nobis funalia ſuſcitaſti.

Alterum fuit, cùm oſtenderes quid cauſæ ſit, cur Ariſtotelem, quàm alios Philoſophos præſtet ductorem ſequi. Perplacuit verò, quòd ornatiſſimæ Ariſtotelis laudationi accuſatiunculæ cuiuſpiam aſpergine auctoritatẽ quæſiuiſti; quæ tamen accuſatiuncula non tam ipſum verè quàm humanam conditionem accuſabilem oſtendebat. Quicunque omnia peræquè dicta atque attributa ſcriptoris alicuius effusè magnificat, is profectò indicat ſe non ſcriptores ex operibus, ſed ex ſcriptoribus opera æſtimantem. Præiudicium eiuſmodi congruit vtique libris illis, qui Deum, hoc eſt, Sapientiam ipſam auctorem habent. Sed quiſquis hoc eodem præiudicio dignatur fœtus mentis humanæ, parentis videlicet abortiuæ ſæpiùs, quàm puerperæ; hic enimuerò ſibi ſugillationem non ſcriptori æſtimationem vindicat. Quantò rectiùs qui præclaris auctoribus ita plaudit, vt plura, quæ nitent, à paucis labeculis interſtinguat? Hic nempe oſtendit ſeſe in obſeruando ſolertem, in iudicando ſyncerum, liberum in pronunciando.

De cætero enim, quiſquis in marmore aliquo, quantumuis accuratiſſimè

me læuigato, quantulamcunque minuſculam ſcabritiem neget, quiſquis ita vnionis cuiuſpiam nitorem effert, vt ei ne atomum quidem ſubfuſcam ineſſe pugnet; is porrò non tam eiuſmodi rerum præſtantiam, quàm ſenſuum ſuorum hebetudinem peritis auditoribus perſuadet. Quapropter ea ipſa de cauſa, quæ Phauorino apud Gellium perſuaſit, grauiùs nocere laudatorem frigidum, quàm obtrectatorem peracerbum, vtilior item credendus erit modicus cenſor, quàm laudator immodicus. *Li.19.c.3*

2. Porrò alterum quaſi lumen quod extulit addiſcentibus oratio tua, fuit ars agnoſcendi præſcriptos humanæ ſapientiæ terminos. Noſtra nimirum ſapientia tota eſt, quemadmodum docuiſti, partim in definienda re aliqua ſubobſcura per aliam clariorem, partim in obſcura quadam poſitione per aliam clariorem demonſtranda. At verò quoniam claritas humanæ menti permiſſa dubiæ cœptæque lucis eſt ſemper, non liquidiſſima & meridiana; idcirco vbi peruenerimus ad eas notiones aut poſitiones, quæ aliunde ampliùs illuſtrari non poſſunt, inſanum eſt inuitâ naturâ luctari, vt ſuper illis aliam apertiſſimam euidentiam, Dei videlicet ac Cœlitum propriam, expugnemus; Quin par eſt, vt mortalium ſorte contenti meditationem vtiliùs conuertamus ad aliud quodpiam eorum innumerabilium, ſuper quibus ab eiuſmodi cancellis humanæ ſcientiæ circumdatis adhuc longè diſtamus. Quomodo enim, ſi lapis, vbi terræ centrum tenuit, porrò vltra contenderet, non modò non deſiliret, ſed malo ſuo reſiliret, ita poſtquam deuenimus in centrum illud, quod mentis noſtræ motionibus natura præfiniuit, ſi adhuc irrequieti certemus vltra peruadere, enimuerò non ad interiorem ſapientiam penetrabimus, ſed nuper comprehenſam, aberrantes relinquemus.

CAPVT X.

Obijcitur aptiùs explicando Bono videri gaudiũ, quã appetitũ.

1. VNus mihi ſcrupulus eſt ſuper boni explanatione, quam ab appetitu deduxiſti. Videlicet, ſuſpicor, ex voluptate ſeu gaudio (quæ duo hîc indiſcreta ſumo, & ſignifico vniuersè quamlibet lætitiam ex præſenti bono potientibus affuſam) commodiùs explanationem Boni deduci poſſe. Vides me hodie iterum voluptatis patronum.

Hæc ſanè controuerſia quamuis per ſe leuior fortaſſe videretur, ad eam tamen curiosè tractandam illiciunt animum pulchra quædam & inexplorata, quibus dependet.

2. Quatuor omnino capitibus pugnaſti, appetitionem inter boni proprietates accommodatiſſimam eſſe ad illud exponendum. Sed vereor, ne non hæc ipſa quatuor in gaudium veriùs ad lineam & perpendiculum cadant.

Libet exordiamur à primo. Aio, gaudium communius effectum eſſe bonorum omnium, quàm appetentiam. Id ita conficio. Magis ad naturam eſt vt res perfectione ſua fruantur, quàm vt careant. Ergo illud primum crebriùs contingit. Siquidem Natura plerumque finem obtinet ſuum, vt Ariſtoteles

Digitized by Google

non ſemel probat. Perge; Bonum ipſum fruenti gaudia, carenti appetitiones
inducit. Gaudia igitur frequentiùs in bonum conueniunt, quàm appetitiones.
Accedit appetentiam ſubinde verſari vel in ijs, quæ fieri nequeunt; quin etiam
in malis bonitatem ſimulantibus: itáq; appetentia non vnius boni proprietas
eſt. Ità ægrotus rabie correptus expetit quaſi leuamen aridiſſimæ ſitis aquam
illam, quam illicò noxiam & lethiferam experitur. Ita Nembrotus in votis
habuit, vt ex hac terra molem ſtrueret ſydera contingentem: quod vtique fieri
nequit. Vt enim tam præaltum ædificium ſtaret, neceſſaria eſſet baſis adeo la-
ta, vt quantum habemus telluris, non eſſet ſatis ad baſim pariter atque ædifi-
cium conficiendum. Cùm ergo bonitas ſit proprietas rerum, quæ ſolidam ac
poſſibilem naturam habent, non caſſam ac commentitiam; id porrò quod
Nembrotus expetebat, vti non erat in rebus poſſibilitas, ita nec erat in bonis.
At voluptas ſeu gaudium, vtpote quod ad res præſentes atque expertas tan-
tummodò pertinet, nonniſi ex veris bonis hauritur.

Ad alterum caput pergo, atque ita rem paucis conficio. Recreare ali- 3.
quem gaudio, præſtabilius quid eſt, quàm vrere appetitione. Quis hoc inficie-
tur? An non gaudium finis, & veluti ſignum eſt cuicunque affectioni propoſi-
tum? Sit igitur ipſum gaudium neceſſe eſt quid in eo genere præſtabiliſſimum
cæterorum.

Quantum ſpectat ad tertium, reor, notius videri gaudium quàm appe-
titum. Summè ſcilicet innoteſcere, proprium eſt finis, quippe primulum ex-
optati, atque adeo primulum cogniti. Exemplo ſit. Si Architecturæ finis eſt
ædificium, oportuit, homines primùm cogitationes direxiſſe in ædificium i-
pſum, eiusq; notionem animo conſignaſſe, deinceps verò cogitaſſe de medijs;
hoc eſt, de inueniendis inſtrumentis, quæ adhibet in eum finem Architectura.
At in confeſſo eſt, gaudium appetentiæ finem eſſe. Ideo namque bonum ap-
petimus, vt eo gaudeamus. Gaudium igitur notius appetitione.

Ad poſtremum tuæ probationis caput propero: Atque aſſeuero, gau-
dium eſſe primogenitum inter bonitatis effecta, tum inſpecto ordine, quo
Natura in res ipſas efficiendas animo intendit (*intentionis ordinem* vocant)
tum eò inſpecto ordine, quo eadem Natura res ſibi antea ſtatutas opere exe-
quitur (quem dicunt *ordinem executionis.*) Primùm quidem per ſe apparet.
Non enim eò Natura res bonitate dotauit, quò per ſui appetitionem torque-
rent, ſed quò per gaudium oblectarent; Deinceps verò effinxit appetitionem
vti medium ad gaudium conducens, dum appetitio ipſa nos ad boni gaudium
allaturi poſſeſſionem quærendam adurget.

Interloquutus hic Saracenus: hoc, inquit, extra controuerſiam reor.
Sed altera mihi pars enunciationis tuæ præter opinionem audita eſt; videli-
cet, etiam in ordine executionis gaudium appetitioni præcurrere. At enim
quando appetitio medium eſt, vt aiebas, qui poteſt illa non eſſe natu grandior

fine,

Digitized by Google

ſine, vtpote mediorum fœtu? Primùm ſanè bona appetimus, deinceps acquirimus, tandem gaudemus.

4. At Cardinalis: Ratio, quam obiectas, prima ſpecie videtur inenodabilis: atqui earum picturarum inſtar eſt, quas, hinc ſi conſpexeris, vnum quoddam referunt, ſin autem illinc, oppoſitum prorſus: aut quorundam carminum eâ induſtriâ concinnatorum, vt ex contrarijs capitibus lecta, contrarium ſonent. Tuam ipſam rationem arripio ad id, quod per eam reuincere cogitas, euincendum. Da mihi operam, quæſo.

Gaudium eſt animantium finis. Igitur ante omnia per eas expetitum & cognitum. At protrita eſt Philoſophorum vox; nihil cognoſci, quin ſenſu iam atque experientiâ prodiderit ſeſe. Ergo primum omnium gaudium ſentimus atque experimur. At enim, dices, humanus animus per expertas antea res gradum ſibi facit ad inexpertas, veluti ad Angelos, atque ad ipſum Deum. Sit vt velis. Horum enim ſubtiliorem inueſtigationem ijs relinquo, qui hæc de induſtria diſquirunt. Certè non hæc peragit animus, niſi poſt operoſum ac benè longum ratiocinationis negotium; interim gaudium, quippe finis appetitionum planè omnium, atque adeo primarum, in quas erumpimus, neceſſe eſt, vt nobis vixdum genitis innoteſcat. Ne multa. Belluæ ipſæ nihil argumentoſæ, nihilq; inexpertum odorantes naturâ feruntur in gaudium voluptatemque, tanquam in appetitionum ſuarum finem, vt Ariſtoteles auctor eſt. *1Rhet.c.5*
Quid autem ex his emergit, niſi huius affectionis experientiam reliquis omnibus anteire? Cuius rei aliud neceſſarium argumentum in promptu eſt. Tum homo, tum cæteræ animantes, cognitionum ſuarum, quaſi militiam à ſenſibus atque ab experimentis auſpicantur. Quo fit, vt confeſtim in aliqua occurrant voluptate blandientia, tum in alia moleſtiam infligentia. Has igitur geminas animæ commotiones omnium primas quiſque cognoſcimus. Poſtea verò ad res aliquas conſimilem voluptatem pollicentes appetitione propendemus, ab alijs verò moleſtiam conſimilem minitantibus auerſatione recedimus.

CAPVT XI.

Defénditur Ariſtot. q per appetitionẽ potiꝰ q̃ per gaudiũ definiuerit bonũ. Proponitur primũ eâ gratiâ diſcrimen Boni & Pulcri; ſed reÿcitur.

1. MIror equidem, Querengus ait; Virum id ætatis totq; publicarum procurationum potuiſſe tam accuratis meditationibus ſe accommodare. Sed nimirum intelligo, ſcientiam ingenij potiùs, quàm temporis filiam eſſe. Quin, vt commodè Ariſtoteles *a*; per ſe tempori non potiùs debetur ſapientiſſimi cognomentum, quo vulgo exornatur, quaſi diſciplinarum inuentor, quàm rudiſſimi, quo notatur à Parone, tanquam obliuionis nutritius.

Reor nihilominus iuſtam Ariſtotelis vindicationem non deeſſe, quod bonum appetitione potiùs, quàm gaudio declarauerit.

Obuiam ſanè mihi declinationem argumentorum tuorum præberet diſcri-

a 4. Phyſ. text. 128.

Digitized by Google

a 13. met. c. 3. b 1 p. q. 5. ar. 5. ad 1.

diſcrimen illud; quod tum ipſe Ariſtoteles *a*, tum S. Thomas *b* agnoſcunt inter *Bonum* ac *Pulcrum*. Bonum, inquiunt, totum in permouendo eſt. Pulcrum verò etiam omni detracta motione, dicitur quidquid oculis aut mente conſpectum placet. Hoc admiſſo, cùm appetitus motio animi ſit, gaudium quies, conſequens videtur, notionem boni, quà Bonum differt à Pulcro, non ex gaudio, ſed ex appetitu deſumendam.

Haud tamen in hunc me portum recipio. Quid enim? Conſtat Deum exempli gratia bonum iuxta ſibi ac pulcrum eſſe, nec tamen in ſe poteſt Deus appetitione commoueri, ſed tantùm gaudio conquieſcere. Fabor ingenuè. Arbitror Pulcrum re nihil aliud eſſe niſi quoddam genus boni, quod perſpicientiam ſui oculo aut menti iucundam exhibet. Ita vt penes videntem pulcritudo ipſa medij partes gerat, tum eius perſpicientia, ſeu contemplatio ſit *finis qui*, denique voluptas quam ea contemplatio perfundit *finis quo*, vt heſterno ſermone Saracenus demonſtrauit. Hinc ipſum *belli* nomen (quod tantundem valet ac *pulcrum*) apud Latinos benuli compendium fuit; *bono* enim primæuo *bonum* vicarium recentiores Latini ſubſtituêre. Nec aliter *bellè* ex *benulè* contractio formauit.

CAPVT XII.

Ex 4. enumeratis capitibus appetitio p̄ gaudio idonea eſt ad Boni definitionē.

Hoc igitur effugio repudiato diluere conabor rationes tuas relegens ex ordine quatuor eas præſtabilitates, ſuper quibus argutè mihi litem intentaſti. 1.

Appetitio haud dubiè effectum bonorum eſt communius, quàm gaudium. Quod ſi minùs ita ſe haberet in rebus vniuerſis ex ratione, quam opponebas, certè fatendum id eſt in hominibus, & ad horum intelligentiam Ariſtoteles loqui debuit ac definire. Aſſumptionem ita oſtendo. Apertum nempe eſt, homines, vel quod cupidinem ſuam inſatiabiliter proferant vltra patrimonium à parente Natura ſibi legatum, vel alia quæcunque ſit cauſa, multò pluribus inhiare, quàm frui. Mirum quàm pauci ſtipendia faciant in caſtris *nil cupientium*, quæ Horatius petebat.

Sed præterea fidenter affirmo, res procreatas vniuerſas quantumuis perfectione redundent, perpetuò in appetitione verſari.

Quî hoc? Saracenus admirabundus percunctatur.

Palam id facio, Querengus ait; Putas-ne, nautæ illo temporis articulo, quo ventus propitius adſpirat, nihil appetendum ſupereſſe ad nauigationem conducens? Haud ita profectò eſt. Quippe nouit, pelagus inconſtantiæ Theatrum eſſe; atque adeo fieri poſſe, vt aura illa nunc obſecundans degeneret vel in turbinem, quo mergatur, vel in malaciam, qua vinciatur. Expetit ergo iugem tam benigni Cœli tenorem, donec appellat ad portum. Putas-ne, pauperi ſtipem emendicanti, vbi hodiernum victum quæſiuit, illico nil amplius expetendum? Quin, craſtinæ alimoniæ incertus, expetit parem hodiernæ craſtinam 2.

quæ-

Digitized by Google

quærendi fortunam. Ita prorſus videre licet ſingula perluſtranti. Quippe nulla rerum procreatarum poſſidet ſimul plus vno temporis puncto. Eo igitur tantum gaudet; per infinitum verò ſpatium, quod ſequitur, poſſunt eam continenter bonis omnibus depauperare, quà naturales cauſæ, quà Naturæ arbiter Deus. Igitur quælibet procreata res anxiè ſemper appetit ſui, ſuorumq; bonorum ad poſterum tempus propagationem.

3. In Deum ſolitariè cadit, vt per ſingula momenta vniuerſam æternitatem ſuam in manibus habeat, quod nobilis illa Boëtij definitio eleganter expreſſit. Itaque vni Deo nullum bonum interius abeſt, in quod poſſit appetitiones extendere.

Neque itidem iure ſumpſiſti, in id quod verè bonum non eſt, appetentiam ferri poſſe, gaudium ferri non poſſe. Nego id confidenter, meæq; partis eſſe fateor id pernegare, ni cauſa cadere velim, dum Ariſtotelicam Boni definitionem propugno. Haud me fallit, plures Interpretum ita diſſerere, vt in bonum apparens iuxta ac in verum illa conueniat. Sed hoc citra ipſius definitionis vitium non eueniret. Antea neceſſe eſt innoteſcere mihi verum aurum, vt poſtea nouerim adulterinum; hoc eſt, mixturas neſcio quas verum aurum aſſimulantes. Antea neceſſe eſt (Ariſtotelis exemplo vtor) dignoſci Verum, quàm Vero ſimile, hoc eſt, id quod verum apparet. Sic planè, antea ſtatuatur oportet, quidnam re vera ſit bonum; Poſtea verò, cùm aliquid huic rei perſimile reperiemus, ac tale, vt pro illa ſumi ſe ipſum obtineat, enimuero id *Bonum apparens* nominabimus. Nego igitur diſcrimen illud tuum inter appetitionem & gaudium: meæq; negationis veritatem ita confirmo. Vel ponimus, quæcunque alia rei attributa præter vnam bonitatem ſine errore cognoſci, vel cum errore. Siquidem horum primum eueniat, haud quaquam ab animo expeti poterunt, quæ verè in bonis non ſint. Illa quippe ne videri quidem bona (quod appetentiæ fundamentum eſt, atque illicium vnicum) eo euentu continget. Semper enim boni perſuaſionem aliud quodpiam attributum ſuſtentat, quod attributum, ſi obiectæ rei conueniret, pariter bonitas conueniret; cuiuſmodi attributa ſunt; *ſalubre, glorioſum, commodum*, alia. *in Poëtica*

At ſi ponimus illud alterum, gaudium quoque tum falſa bona poterit amplexari. Ceu amens ille, cuius meminit Athenæus, cùm ſe dominum crederet quotquot nauium in Piræum concederent, gaudebat nauigiorum aduentu verè ſibi nil proficiente, nil bono. Frequentiùs quidem decipimur circa res abſentes, ad quas effunditur appetitio, quàm circa præſentes & acquiſitas, inter quas concluditur gaudium. Sed, errore ſemoto, (ſic enim Ariſtotelem explicandum interpretor) appetitio iuxta & gaudium vnicè collimant in bonum. *Lib. 12.*

4. Iam de nobilitate. Præuaricantes fortaſſe, nobilius quid iudicamus eſſe in re nobis obiecta, vt nos gaudio deliniat, quàm vt appetitione incendat;

N pro-

Digitized by Google

proprietatum ſcilicet nobilitatem in rebus vna vtilitate noſtra metientes. Ve-
rum quis nouit, an contrà præſtabilius attributum ſit in rebus, vt animum ſibi
præſeruientem regaliter appetitione deducant, quàm vt eidem gaudij vectiga-
lia famulariter pendant? Vtcunque ſe res habeat, non id Ariſtoteles egit, quip-
pe in ſolam declarationem intentus, vt proprietatem nobiliſſimam, ſed vt fre-
quentiſſimam ac notiſſimam exhiberet. De frequentia ſatis dixi; ſequitur vt
de notitia videamus.

Notitia vtique maior eſt nobis appetentiæ, quàm gaudij. Notitiam lo-
quor paulò explicatiorem ac neruoſiorem. Aliqua enim informatio vniuersè
ambarum huiuſmodi affectionum nobis perfamiliarium, quis dubitet quin per
omnes mortales peruagetur? Aſſumptionem igitur ſic expoſitam ita euinco.
Id quod in præſentia experimur, notius eſt, quàm id, cuius tantùm reminiſci-
mur. Atqui nullo temporis articulo non aliquo appetitus ardore nos vri ſen-
timus: non item quolibet articulo temporis gaudiorum rore aliquo ſaltem ve-
hementi & notabili refrigeramur. Rarior ergo notitia plerumque inſidet no-
bis gaudij, quàm appetitionis vniuerſim; Et hoc ſatis eſt in rem propoſitam;
quamuis, vbi cognoſcimus gaudium aliquod peculiare oriturum, exempli gra-
tia ex Dei viſu, tanquam finem, & conſideramus appetitionem eiuſmodi gau-
dij tanquam medium vtile, vt hic finis comparetur, tum quidem illud pecu-
liare gaudium poſſibile luculentiùs innoteſcit, quàm illa peculiaris appetitio
poſſibilis; vt egregiè diſſerebas.

Ad extremum, adeo inficior, quod tu quarto loco ſumebas, vt è contra-
rio ſic ſtatuam: appetitio princeps eſt proprietatum boni; Id incunctanter
oſtendo. Et ſanè quantum ſpectat ad ordinem intentionis in mente Naturæ,
ſatis fuerit, ſi obtinuero, non ideo Naturam in quolibet bono vim appetitio-
nis rapacem ingenuiſſe, vt ex eo ipſo bono gaudium exprimatur. Hinc enim
conſtabit, non præſtitui à Natura hunc finem ſingulis peculiaribus bonis ap-
petitum illicientibus; quod nimirum gaudio afficiant. Tum verò conabor
euincere, etiam in ordine executionis, appetitiones, ſi minus omnes, certè
maximam earum partem, maximæ item gaudiorum parti præire.

Atque vt primum aggrediar: Dum Natura quodcunque bonum fecit 5.
expetendum, non id conſilij habuit, vt appetentes planè omnes expetiti boni
adeptio & ſolatium exſaturaret. Porrò grauia omnia centrum appetunt, cu-
ius tamen poſſeſſionem non modò non omnia, ſed vix vnum indiuiduum eo-
rum punctum aſſequi poteſt. Hic tamen centri appetitus, quamuis non fiat
petiti compos, nihilominus plurium bonorum effector eſt rebus grauibus.
Sed, inanima relinquamus: eorum namque appetitiones interpretari haud
fortaſſe minus audaciæ habet, quàm belluarum voces exponere cum Thianęo.
Idem ergo luculentiùs in ipſis appetentijs noſtris demonſtrabo. Natura cupi-
dinem dominandi cunctis hominibus indidit, non quidem ea de cauſa, quod
ſeu

Digitized by Google

ſeu velit illa, ſeu poſſe intelligat cupidinem hanc in ſingulis hominibus expleri: quin potiùs neceſſe eſt perpaucos regnare, parére quamplurimos; ſed quia libido iſthæc dominandi inſpirat vnicuique alacritatem & aliena procurandi, & promouendi vel in priuata conditione rempublicam, vt eam priuatus ille, ſi magiſtratum ſuſciperet, vtiliter adminiſtraturus exiſtimetur. Manet ergo, Naturæ propoſitum eſſe, vt bonis cuncti appetitione inhient, non cuncti poſſeſſione gaudeant. Quod ſanè illa noſtri emolumenti ſtudio ita conſtituit, adeoq; vti mater, non vti nouerca.

Venio ad ordinem executionis, fateorq; in ſingulis animantibus appetitiones omnes gaudio aliquo præuerti; ſed in quota gaudiorum portione hoc accidit, in quota oppoſitum? Si dixero, hac illam millies centenis partium millibus ſuperari, parum dixero. Aliquod igitur gaudium in ſingulis mortalibus antiquius eſt quocunque appetitu, ſed maxima pars appetituum, maximam gaudiorum partem antecedit. Sanè in immenſa qualibet bonorum caterua ægrè vnum reperias, quod pro gaudio è ſui poſſeſſione manaturo non exigat præuium cariſſimumq; pretium diutinæ appetitionis; quodque Rachelis inſtar connubia non moretur, donec grauiſſimi famulatus præceperit dotem. Quocirca iure veteres illi myſteriorum per blandas fabulas inuentores commenti ſunt, ipſius Veneris (hoc eſt, bonitatis, bonitatem quippe non tantùm pulchritudinem in Venere adumbratam aliqui Platonicorum agnoſcunt) filium eſſe Cupidinem, hoc eſt, appetitionem: Porrò Veneris Neptem, & Cupidinis è Pſyche filiam extitiſſe voluptatem, quæ idem ſonat ac gaudium acceptum in ea ſignificatione, quam præſtituimus.

CAPVT XIII.

Definitio Boni cōponitur ex gaudio & appetitione. Definitur primò Bonū finis oſtenditurq; ab eius notione pēdere definitionē tū boni vtilis, tū moralis.

1\. AT, ſi videtur, eiuſmodi pacem concilіemus inter vtramque ſententiam, qualem inter Romanos olim & Sabinos; quorum pacificatio conſociauit vires illas, quæ ſe inuicem oppugnauerant. Per nos itidem gaudium, vnà & appetitio in fœdus coëant ad eam abſoluendam definitionem, cui laboramus. Atque vt via & ordo ſeruetur nobis, qualem dialecticæ definiendi leges præſcribunt, contendamus gradatim à notionibus paulò occultioribus ad patentiores hoc pacto: Notio boni honeſti ac moralis latet magis in receſſu, quàm cæteræ, vtpote indigens prænotione boni phyſici ac naturalis. Honeſta enim ſunt illa, vt iam poſuimus, *quæ, ſi natura probentur ac placeant, hoc ipſum plus boni, quàm mali phyſici confert.* Quapropter *Honeſti* ratio rationem *boni phyſici maioris* ante ſe notam quærit, quod tu, ampliſſime Cardinalis, præclarè docuiſti. Hoc autem poſito, liquet porrò, id verum eſſe vniuerſè, vt in omni rerum ordine priùs innoteſcat aliqua ratio ſimpliciter accepta, quàm comparatè. Nonne enim (vt hoc vno exemplo vtar in re apertiſſima) nonne, inquam, vnguentario prænoſcenda eſt opobalſami ratio, vt dijudicare valeat in quonam ex duobus vnguentis plus opobalſami commixtum ſit?

ſit? Ergo rationem *boni phyſici* animo præceptam eſſe oportet ante rationem *boni phyſici maioris*, ac proinde *boni moralis*, quippe quod in exuperantia boni phyſici continetur.

Rurſus, cùm ex phyſicis bonis alia media ſint, alia extrema, ſeu fines, *medij notio finis* notionem ante ſe flagitat. Id *medium* namque definitur *quod ad finem parandum valet*.

Ex his concluditur, in boni conſideratione notionem omnium primam ſtatuendam eſſe boni phyſici eiuſmodi, quod extremum ac finis ſit. Iam in huius notione ſtruenda coagmentemus, quæ in contrarias partes diſceptauimus, ita omnino: *Quidquid ſine errore cognitum, abſens appetitum ciet, præſens gaudium tribuit*. 2.

Alteram tenemus ex duplici philoſophica patefactione, qua vel rationes ſuopte ingenio perſpicuas rurſus aperiri poſſe docuimus; quæ patefactio fit declarando quid eiuſmodi res in nobis efficiant. Alteram porrò, diuiſionem videlicet, ineamus; diſtributeq; ſcrutemur quænam ex rebus, quæ noſtris cogitationibus obuerſantur, ſint bona phyſica atque extrema: quando hæc præ alijs bonorum claſſibus inquirenda propoſui.

CAPVT XIV.

Recēſitur tres illæ p. celebres de vi humanæ ratiocinationis ſentētiæ: Dogmaticorū, Academicorum, Scepticorū.

INterpellauit hîc Saracenus, inquiens; Alius quidam locus inter hæc intercurrere videtur mihi; ſcilicet, vtrum inſigne aliquod tutum ſuppetat bonorum ac malorum cernendorum. Nempe paucis hiſce diebus vſu venit, vt Sexti Empirici Pyrrhonias dubitationes percurrerim. Sanè, quæ hic affert, vt humanæ ratiocinationis baſes, & ſcilicet illius partis, quæ bona vel mala ſe diſpicere profitetur, nutantes oſtendat, meum certè animum identidem nutare cogebant. Et tamen percuperem cernere aliquando extra tetrorum quorundam velamenta verborum, non diſſoluentium quæſtiones, ſed vincientium linguas, vtpote refellere neſcias, quod animus non percepit; Percuperem, inquam, cernere, quibuſnam pennis humana mens in ignotæ veritatis ditionem aduolet; quanam inaudita œconomices induſtriâ, cùm in nihilo rei familiaris enaſcatur, ex hoc ipſo nihilo aliquod primùm viui excitet; tum exile illud viuum exercens, tam infinitas diuitias in tanta vitæ breuitate conquirat. Neque percunctatio hæc propoſito videatur aliena. Meminiſti ſiquidem, Dialecticam, id eſt, hanc humanæ mentis negotialem artem, organum, inſtrumentumque diſciplinarum omnium ab Ariſtotele nominari; eiuſque problemata, moralibus iuxta ac ſpectatiuis problematis adminiculantia. Quin etiam Philoſophi illi, qui ſimilitudinem totius humanæ ſapientiæ in ouo repererunt, in albumine quidem, quo pullus gignitur, neceſſitatem Ethices agnoſcebant, in vitello deinceps, quo nutritur, alimoniam, quam capit animus ex contemplatrice philoſophia; tum verò in cortice, qua liquor vterque continetur, ne diffluat, fulcimentum, quod vtrique ſcientiæ Dialectica præſtat. Idcirco 1.

Dia-

Digitized by Google

Dialectices inſtitutio Ethicen quoque præire debet; Non vtique Dialectices neſcio cuius, quæ circumquaque Metaphyſicis ſquamis aſpera, germanæ Dialecticæ meram retinet appellationem: ſed illius Dialecticæ, quæ ex perceptis rebus ad id quod non percipiebatur, adducit, quæq; artem tradit, qua ſiſtatur Mercurius ille ſemper agitatus, hoc eſt, pugnaturę ſemper, nunquam profligatæ quæſtiones.

2. Quod flagitas, Querengus ſubiecit, extra id eſt, quod mihi demandauit Illuſtriſſimus Cardinalis, cui ſi videatur, vt mihi ſanè videtur, hic antea locus enucleandus, vtique tale munus Andream reſpicit, quippe in eiuſmodi ſubtilitatibus animo euoluendis, ac linguâ verſandis peritiorem.

Ita prorſus fiat, Cardinalis comprobauit; Quandoquidem ipſe quoque mihi videor noctem offendere hoc in loco; ex quo tamen opus eſſet, vt cæteris quæſtionibus illuceſceret dies. Tum verò haud par eſt, Andream, talem ac tantum Roſcium, ſpectatorem tantummodo non actorem in Theatrum conueniſſe.

At Andreas ſummiſſo reuerenter vultu ſine cunctatione reſpondit, demiſſiùs me acturum interpretor, ſi properem obtemperare, vel in ijs quæ meam imbecillitatem prætergrediuntur, quàm ſi per imperati muneris detrectationem huius me imbecillitatis meæ conſcium teſtari velim. Sed innumera planè ſunt, quæ Sextus vel vniuerſim, vel capitulatim torquet ad humanæ rationis neruos concidendos: eaq; ſingula repelli, nec tempus, nec opportunitas patitur. Accedit, quòd hæc ipſa Sexti argumenta ſubobſcurè mihi ſunt in memoria, quippe quæ iam pridem à Scholis exulant; Exponat ergo Saracenus, quæ potiſſimum ſibi negotium faceſſere, ac pugnam demereri videantur.

3. Annuente ad hæc Cardinali, ita Saracenus orſus eſt.

Tres extitêre, vt noſtis, veterum Philoſophorum de noſtræ ratiocinationis efficacitate ſententiæ.

Prima quidem appellata eſt *Dogmaticorum*, quaſi *decernentium*, qui menti noſtræ poteſtatem aſſerebant decernendi ratum quid ac ſtabile ſuper rerum veritate. In hanc confluxêre non modò Ariſtoteles cum Peripateticis ſuis, Zeno cum Stoicis ſuis, Epicurus cum ſuis; ſed plerique veterum Phyſicorum. Et verò quid mirum, Philoſophiæ ſtudioſos, reliquorum artificum more, eximium quid arti ſuæ liberaliter tribuiſſe?

4. Altera ſententia fuit *Academicorum*, qui hanc aſciuêre nuncupationem à Semideo neſcio quo, cui nomen Academus; quiq; in eo colebatur nemore, quo ipſi ad philoſophandum ſecedebant. Hæc familia Platonem Principem refert. Is enim in dialogis ſuis frequenter inducit Socratem præceptorem ſuum ludificantem prætumidos illius æui Sophiſtas, qui ad nullam quæſtionem propoſitam non incunctanter ac fidenter edictabant; *nihil tam verentes*, quod ille ait, *quàm ne dubitare aliqua de viderentur*; atque id agit, vt Socrates quod-

Diog. in vita Plat.

Cic. 1. de Nat. Deo.

quodlibet eorum dictum, quantumuis prima facie perſpectiſſimum, in ambiguo verſari conuincat. Hinc fluxit perſuaſio, cuncta Platoni fuiſſe dubia ſecundùm celebre illud eiuſdem Platonici Præceptoris verbum; qui ſe inſcientiæ ſuæ ſcientem vnicè gloriabatur. Creditur tamen cùm in Timæo, tum alibi Plato indubitatè quædam aſſeueraſſe. At Arceſylas certè, auctor Medianæ Academiæ, (hoc nomine illam & ab antiqua Platonis, & à recenti Carneadis Academiâ diſtinguunt) cuncta in dubium reuocabat; & ne probabilitatis quidem exuperantiam alij præ alia poſitione concedebat. In hac autem poſtrema parte ab Arceſyla receſſit recens Academia, quam memoraui, Carneadis alumna.

5. Tertia denique memorabilium ſententiarum *Scepticos* habuit, quaſi dixeris *quæritantes*. Huius repertor fuit Pyrrho Elienſis, qui ex pictorculo præclari Philoſophorum agminis ductor emerſit. Inficiatus hic eſt vel perſpicuitatem, vel probabilitatem cuiuſlibet aſſenſionis, exceptis ijs, quorum præſentem experientiam tenemus: veluti, *nunc doleo*, ſeu *nunc delector*, ſeu *nunc tale viſum patior in animo*. Quæcunque præter hæc negabat apparere ſibi veriora, quàm falſiora: in eo diſcrepans à Mediana Academia, vt ne illud quidem pronunciatum Arceſylæ: *omnia peræquè incerta ſunt*, Pyrrhoni liqueret. Sed prædicabat, quemadmodum catharticæ potiones expellunt è ſtomacho vnà cum alijs humoribus etiam ſe ipſas, ſimiliter argumenta Pyrrhonis expellere ex animo non aliarum modò rationum, ſed ſui etiam perſuaſionem. Hinc eius alumni *Scepticorum*, ſeu *inquirentium* cognomentum adoptarunt; quippe non ſibi prorſus diffiſi ſcientiæ reperiendæ, ſicut Mediani Academici, ſed adhuc ſcientiam, aut probabilitatem indagantes: &, eſſent nec ne illæ, pendentes animi, ac neutram in partem propenſi. Ita quamcunque rationem ſuam ea denunciatione proferebant; id viſum quoddam eſſe animis eorum obuerſans, quod non magis verum, quàm falſum arbitrarentur, ſed tantummodo validum ad aſſenſionem aliquam cohibendam, in quam aliud quoddam aduerſum viſum propelleret mentem.

CAPVT XV.

Sceptici negatâ quacunq; verũ euidentiâ & probabilitate gloriabãtur repertam ſibi tranquillitatẽ illã ab alijs philoſophantiũ ſectis fruſtra exquiſitam.

1. HAnc omnino denunciationem in quolibet effato ſuo repetitam cenſendam eſſe paciſcebantur. Porrò ſubdebant, per hanc *epochen* ſuam, hoc eſt, *aſſenſionis cohibitionem*, ſe reperiſſe imperturbatam illam ſecuritatem, tam ſedulò, tam fruſtra ab alijs diſciplinis perueſtigatam. Qua in re non aliter ſibi, atque Apelli ſucceſſiſſe, qui diu incaſſum luctatus, vt equi ſpumam penicillo ad viuum effingeret, moræ demum ac fruſtrationis intolerans, iratus proiecit in tabulam colores ſuos, quaſi contumaces ac refractarios; cùm temeritas, arte ipſa artifex melior, imaginem penicillo negatam inſperanti belliſſimè conformauit. Non ſecùs, inquiunt, diu ſe ad verorum bonorum & malorum notitiam anhelaſſe, ſi poſtea illa ſequentes, hæc declinantes perturbationum ango-

Digitized by Google

angore ſe liberarent: ſed irrito planè ſtudio ex duplici cauſa: Alteram dicebant, quia eiuſmodi ſcientia nunquam ſic inueniri potuit, vt fluctus dubiæ mentis componeret; quemadmodum intelligere licet ex pugnantibus de vniuſcuiuſque rei probitate, vel vitioſitate ſententijs tum aliorum atque aliorum hominum, tum verò eiuſdem met alio atque alio tempore cogitantis; ex quo decima illa præclariſſima Iuuenalis ſatyra nacta eſt argumentum. Alteram afferebant cauſam, quia, ſi maximè ſcientia iſthæc acquireretur, haud illicò nobis arbitrarium eſſet, rebus illis potiri, vel exſolui, quas bonas malasve dignouerimus.

2. Denique, ſubdebant, cùm æquè anceps in vtramque partem ignoratio ſuper bonitate vel malitia rerum omnium eos occuparet, enimuero ab hac ſe ignoratione impetraſſe, quod tamdiu à conquiſita ſcientia nequidquam ſperauerant. Siquidem eiuſmodi ignorationis beneficio, nihil eſſe iam, in quod cupiditate inhiarent, nullius rei amittendæ ſollicitudine ſe ampliùs vexari, nullo timore palleſcere: Quando has omnes commotiones infert ea perſuaſio; fore hoc vel illud nobis pernicioſum, vel ſalutare. Quin etiam illis malis, quæ inſtanti experientia patent, veluti ſunt præſentia ſenſus tormenta, maximum leuamentum à Sceptica diſciplina parari; abſtergi namque illius beneficio ex eiuſmodi iaculis toxicum ijs illitum ab opinione vlterioris malitiæ aut præſentis quidem ſed in eis inexpertæ, aut inpoſterum ex eiſdem erupturæ. Cæterum præſens dolor, leuis eſt ſemper. Quis neget? Nimirum, ſi cogitationem aduertimus ad aliquem ex ærumnoſis illis in Agrigentino tauro præſepultis, & humana voce mugientibus, actutum horrore rigeſcimus. At verò ſi commiſcimur, huic homini conſtare, pœnam illam eo ipſo temporis puncto circumſcribi, nulla in eo relicta labeculâ aut corporis, aut animi, aut famæ, extemplo reſidebit in nobis animi perturbatio, neque illum iam inter ærumnoſos annumerabimus. Futurus dolor animi anticipatione præſumptus, qui diutinus, adeoq; ſempiternus eſſe poteſt, non autem inſtans ſenſu perceptus, quippe tum definens, animi tortor eſt immaniſſimus. Reum equuleo impoſitum cerne, qui doloris impatiens, vitam famamq; in flagitij confeſſione deſperanter proijcit. An ideo eum putas in tantam deſperationem adigi, quòd præſentem dolorem ferre non valeat? Falleris vtique, ſi hoc exiſtimas: nihil enim prodeſt flagitij confeſſio ad præſentis doloris medelam: nempe dolor ille dum re ipſa eſt, infectus iam fieri non poteſt. Quin, ſi reo compertum foret, perueniſſe tum ſe ad poſtremum trucis clepſydræ articulum, iam ſecurus exultaret, ne dum deſperans fateretur. Ergo poſteri temporis horror is demum eſt, qui intoleranter in eum irruit, ac fermè conſtantis negationis arbitrium proripit. Iam ex hac truculenta futurorum malorum lanienâ Scepticorum ratio in libertatem educit.

Sce-

Digitized by Google

CAPVT XVI.

Scepticorũ clariſſimus Sextꝰ Empiricꝰ. Cur is argumenta vſurpet virib. inæqualia.

SCepticæ diſciplinæ Laërtius adnumerat celeberrimos Poëtarum ac Philo- 1.
ſophorum, qui heroicis temporibus floruêre: Hos tamen prætereo, qui ſcilicet an verè illam amplexi, non ſatis liquet, certè nihil pro ea literis conſignatum nobis tradiderunt. Nobilis fautor eiuſdem diſciplinæ extitit Sextus cognomento *Empiricus*, quippe qui ad Pyrrhonias leges aſſenſionis obſequium vni exhibebat experimento. Huius rationes partim ad ſententiam ſuam inſinuandam, partim ad oppoſitas conuellendas, partim ad omnia negotioſarum & contemplatricum artium præcipua capita ſingillatim decutienda, numero innumeræ ſunt, ſed momento longè inæquales. Quas tamen cauſatur à ſe ita propoſitas eo planè conſilio, quo medici ægros omnes, licèt vniuſmodi laborantes morbo, non vnis pariter pharmacis curant, ſed leuiùs eo morbo pertentatos lenioribus alleuant, grauiùs conflictatis per acriora opitulantur. Similiter, inquit, non omnes mentes ſciendi perſuaſione labefactatæ vno ritu curandæ ſunt. Morbo quidem pertinaciori, quali obſidentur perinſignes Philoſophi, quos ingenij vis & ſtudiorum diuturnitas opinationibus ſuis tenaciùs implicuit, paranda ſunt antidota præſentiora. Tenuis febricula, vulgarium ſcilicet hominum & facilè flexilium, roſaceas tantùm potiunculas petit. Quod ſi ita eſt, næ ipſe nec falſus ero, nec iniurius, ſi me cum auditoribus iſtis geſſero tanquam cum ijs, qui ſummopere contabeſcant eo, quem Sceptici morbum appellant, vix vllâ ne vehementiſſima quidem medicina ſanabiles. Horum voces (ait Querengus, vt ſeria ludis commodè tem- 2.
peraret) in memoriam referunt mihi id, quod actum eſt cum quibuſdam amicis meis, dum iter tenerent per montanas neſcio quas gentes in vltima Italiæ ora. Ibi quidem humidioris Cœli vitio gutturoſa deformitas popularibus innaſcitur. Ergo quidam pueri, qui peregrinos antea nullos aſpexerant, non aliter viatores illos ob tumidi gutturis vacuitatem irridere, ac à nobis pumilio, vel luſcus, irrideretur. At matres quippe ad miſerationem propenſiores, illico obiurgare filiorum procacitatem, clamantes: *faceſſat iſthæc tam importuna ærumnoſorum irriſio: quin potiùs gratias agitis Deo, qui nullo vos membro carentes fecit?* Non abſimilis mihi videtur Scepticorum miſeratio, dum ſapientiam quaſi morbum diluere à Philoſophorum animis moliuntur. Sanè duo iſti qui te audiunt, & ſcilicet tu, grauiſſimè laboratis hoc morbo. Valentiſſimas igitur medicinarum prome, quæ in Pyrrhonis officina reconduntur.

Id omnino mihi conſilium eſt, Saracenus ait. Quare paucis exponam perarduas modò Scepticorum rationes. Non quòd illas ipſas captioſas eſſe non intelligam; ſed vt cauſam, cur captioſæ ſint, à vobis intelligam.

Digitized by Google

CAPVT XVII.

Duo veluti cardines, quib. ſciētia humana fulcitur, sūt ſenſuum renunciatio, & mētis ratiocinatio: plura Scepticorū argumenta ad fidē priorū labefactandam.

1. DVo ſunt humanæ ſcientiæ fundamenta. Alterum eſt cognitio illa, quæ ab renunciatione ſenſuum capitur. Alterum notitia, quam eiuſmodi cognitionibus tanquam ſeminibus imbuta rationis feracitas gignit. Aduerſus vtrumque Sceptici pugnant, adeoq; contendunt nullum eſſe in nobis *Criterium*, ſeu *iudicium*, cui liceat ex actis ac tabulis omni ſuſpicione maioribus de quapiam veritate pronunciare.

Fidem vtique ſenſibus adimere ſtudent, tanquam repugnantiæ mendaciorumq; manifeſtis. Fallat ſenſus, inquiunt, neceſſe eſt: primùm, quia cùm animantes ſenſu præditæ, adeo inter ſe naturâ, habitu, inſtrumentis differant, fieri non poteſt vt res obiectæ ſimiliter vniuerſis appareant. An non experimur in nobis ipſis ex tenui mutatione præ morbis, alijsve caſibus ortâ in oculis noſtris, confeſtim pallida, vel incenſa nobis videri, quæ cæteris videntur alba: tum verò ex parua quà compreſſione, quà elatione pupulæ longè aliam in rebus magnitudinem, figuram, numerum apparere? Neque verò cæteri ſenſus in iudicando conſtantiores: leues aurium contractiunculæ, paucæ humorum in eas defluentium guttulæ perceptam ſonorum imaginem vehementer immutant. Differens cerebri temperamentum in duobus hominibus id efficit, vt vni & eidem rei apud hunc fœtoris, apud illum fragrantiæ nomen obtineat. Febri correptus amarum vocat vinum illud, quod erat ſibi valenti prædulce. Aquam eandem ſi feruente manu tetigeris, frigidam, ſi algente, calidam exiſtimaueris: Cùm tamen habitu, figurâ, duritie, alijsq; proprietatibus longè plus diſcrepare comperiamus inſtrumenta ſentiendi inter alias atque alias animantes ingenio atque ortu diuerſas, aquatiles, terreſtres, pennigeras, exiguas, ingentes, glaciei vel ignis indigenas, nulla re non diſſidentes, quàm vnquam diſcrepare inter ſe homines inueniantur. Atque id ipſum nonnullo quod videmus belluarum experimento veroſimilius fit. Anne quiſpiam inficietur, ab equis quibuſdam vmbras & inania pauitantibus non perinde res aſpectabiles videri ſicut ab alijs? Iam quod experimento in aliquibus belluarum confirmatur, id ipſum ratio, quam tetigi, probat in vniuerſis. Credibile eſt igitur, ab eiſdem omnino rebus diſſimillimas planè viſiones varijs animantibus exhiberi propter magnam ſentientium membrorum diſſimilitudinem, quemadmodum eædem herbæ in diſſimilibus plurium animantium ſtomachis receptæ induunt artuum tam infinitè diſcrepantium formas, quales viſuntur verbi gratia in homine, in lupo, in auicula eodem tritico paſtis.

2. Hoc autem admiſſo; poſſunt quidem fortaſſe cunctorum animalium ſenſus decipi; nullorum decipi non poſſunt. Quin in myriadum myriade ſenſuum inter ſe diſcrepantium, vno (ſi tamen eo ipſo vno) excepto, cæteras hallucinari neceſſe eſt. Quanta igitur hominem dementia occupat, qui hunc vnum fortaſſe veriloquum ſenſum vni ſibi temerè aſſignauerit, & hac ſuper

Digitized by Google

nube per arrogantiæ auram, & ſtoliditatis nebulam conflata immenſas argumentationum ſuarum arces extruxerit? At ne opus quidem eſt belluarum teſtimonia in hoc iudicium aduocare. Nonne videmus, quantum in picturis vmbræ, atque eminentiæ nos fallant? quantum diſtantia, quantum aliorum atque aliorum corporum inter obiectas res atque oculos interiectorum diſpar ingenium? quantum luminis additamentum, vel detractio? Ex quibus liquet, in vnoquoque noſtrûm variari per ſingula momenta à ſingulis rebus ſpeciem & magnitudinis, & figuræ, atq; adeo coloris; dum videlicet per ſingula momenta, vel ſolaris motus, vel parua denſatio aëris, vel porrectio aut contractio pupulæ efficiunt rem magis minusve illuminatam, magis minusve propinquam, eiusq; imagini oculis allabenti varium iter ſternunt. Et quanquam plerumq; tales diſſimilitudines exiguæ ſunt, atque adeo nobis inobſeruatæ; tamen eas reapſe accidere, ratio cogit. Si enim, exempli gratia, quod lato capillo recederet, nihil propterea res obiecta ſpeciem immutaret, nec itidem eam immutaret ex alterius tanti ſpacij receſſu, atque adeo nec tertio, nec quarto, nec innumeris, ex quibus tandem immanis quæcunque diſtantia compacta eſt. Ergo fateri cogimur, humanos etiam oculos ludi ab infinitis propemodum varijsq; rei eiuſdem imaginibus, quarum omnium imaginum non amplius vnam fas eſt à mendacio vindicare. Quod cùm ita ſit, quis, rogo, non ſurdos, ac ſenſu carentes eorum animos dixerit, qui ſenſum vti veridicum creduli audiunt?

3. Plures ex iſtiuſmodi viſorum diſcrepantijs exiles vtique ſunt, vt dicebam; ſed quantumuis exiles, aliquem ſenſus errorem omnino concludunt; Cùm tamen contrà de illius veritate nullo vnquam caſu ratum argumentum habeatur. Adde, ſæpe etiam diuerſitatem huiuſmodi magnam eſſe ac luculentam. Quamobrem callidus pictor fingens vniuſmodi vel niuis congeriem, vel argenteum textile, non tamen æquè per omnes partes tabulam candore perfundit; ſed parti, quam exprimere vult, quaſi in loco opaciore ſitam, paululum nigroris illinit; haud ignarus ab illa re, quam ipſe imitatur, ea ſi verè in opaco maneat, colorem medianum inter nigritiem atque albitudinem præſeferre. Contrà ſi menſam ex hebeno, aut ſi nigrum holoſericum imitari velit, partem, quæ vti collucens à Sole fingenda eſt, vtique albeſcentem fingit. Hic idem pictor figuras longè inter ſe differentes obijcit, ſi vnam atque eandem rem in alio atque alio ſitu, hinc vel illinc inſpiciendam, repræſentat. Quid multa? caprinum cornu ſuis partibus perpetuò compactum vtique ſe nigrum exhibet, hoc idem minutatim conciſum ſe album profert. Argentum contrà vti integrum candore nitet, ſic in ramenta dilaceratum nigritiem oſtendit. Perge porrò. Quidnam eſt, cur potior fides debeatur aëri rectam remi ſpeciem deferenti, quàm aquæ eundem inflexum renuncianti? At enim, inquiunt, viſus ab alio ſenſu corrigitur: itaque Tactus teſtatur vel in aqua rectam remi figuram, adeoq; Viſus peruerſitatem. Ita-ne verò? Quin potius dici-

Digitized by Google

dicimus, quando alius alium corrigit ſenſum, ab oculis tum emendari tactionis erratum, eamq; ab eis falſam detegi, quippe flexa pro rectis iudicantem? Imò potiùs quin fatemur ex hac teſtium inter ſe repugnantiâ ſingulorum fidem ſuſpicioſam atque infirmam.

4. Age verò, expendamus ea ſenſilia, quæ ſub vnum tantummodo ſenſum cadunt, de quibus proinde nihil ex aliorum ſenſuum notationibus reſcire licet. Exploratior-ne ſit nobis ab oculo cæruleus color in viola, quàm in Cœlo? Nemo, arbitror, id affirmauerit. Iam ſi Phyſici alterum inficiari nihil verentur, cur, quæſo, alterum, pari non ampliùs teſtimonio confirmatum, religio erit nobis in dubium vertere. Perge. Libet-ne, vt conueniamus in hanc legem æquiſſimam ſanè; ſcilicet, ne deferatur pronunciandi ius in hac lite ipſimet aduerſariæ, hoc eſt, peruulgatæ ac temerè præiudicatæ mortalium opinationi, quam ipſam agitant Sceptici. Enimuerò ſi hæc inter nos conuentio ſeruetur, quid vetat inficiari, ne duobus quidem hominibus eiuſdem rei ſpeciem vniuſmodi vnquam apparere. Quî hoc, repugnabis, quando niuem albam dictitant vniuerſi? Fateor, at requiro, quomodo licuerit mortalibus indicare inuicem ſibi quid *album* quiſque intelligant, quando alter in alterius animum immigrare non potuit? Non aliter, opinor, id obtinent, niſi mutuò vnam & eandem rem ſibi digito monſtrantes, profeſsiq; pro ſe quiſque, id nimirum à ſe album appellari. At ſi fortè (quod nobis profectò inexploratum eſt) quæcunque Titio alba, hæc eadem Sempronio atra comparerent, ac ſimiliter in alijs ſenſilibus vſu veniret, omnes tunc quidem in albi appellatione tribuendâ conuenientes, inuicem indicarent eandem niuem, idem lac, & cætera id genus; licet viſiones hoc vocabulo ab eis expreſſæ inter ſe vehementer aduerſarentur; Neque id ab eis vnquam agnoſci poſſet.

CAPVT XVIII.

Exagitatur deinceps vis ratiocinationis humanæ, atque inductionis inprimis.

1. RErum porrò nobis exquirendarum amplitudo, & me audientium perſpicacitas facultatem iuxta atque vtilitatem adimunt eadem pluribus vrgendi. Quocirca feſtinemus iam inueſtigare an humana ratio altero itidem pede claudicet, quo tam fidenter diſcurrit. Loquor vim connexi (formam ſyllogiſticam vocant) quæ nimirum ex rebus ſenſu comprehenſis exprimit notitiam aliarum rerum, quæ nulli ſenſuum patuêre. Excutiamus vnum aliquod ex argumentis illis, quæ maximè oculis expoſita videntur ac liquida. Quod ſi Cimmerias in eo tenebras comperiamus, nihil vltra opus erit pertentare alia, vel ipſis Dogmaticorum fatentibus oculis, caliginoſa.

Exemplo ſit. Tactus vtique ſemper deprehendit, ignes calefacere. At ignis quidam proſpicitur nunc à me, qui nominatim ſingularis ignis inexpertus tactioni eſt. Tum ratio ita concludit. *Omnes ignes calefaciunt. Ille, quem video, ignis eſt. Igitur ille calefacit.* An non hæc concluſio, ſi aliarum vlla, conſectaria & perſpicua eſt? & tamen quam vereor, ne hic ipſe ignis plus fumi, quàm fulgoris offundat!

Digitized by Google

Hîc enimuerò ſciſcitor; an ignis nomine ſignificetur à te ipſamet calefaciendi vis, an ſola ſpecies eminus in viſum incurrens. Si illud ſuperius, næ tu palmari vitio aſſumis in altera poſitione, quod conſequutionis erat euincere: dum aſſeueras, illam rem ignem eſſe, quam ne tetigiſti quidem, nedum calefacientem expertus es. Sin autem ignis nomine ſignificas hoc inferius, cedo mihi, quomodo tibi conſtitit, vniuerſa, quę ſpeciem eiuſmodi oculis exhibent, calefacere?

Dices: Præterita id tactionis experimenta condocent. Tetigiſti ne ſingula ad vnum, quæ hanc ſpeciem viſui afferunt, adeoq; etiam id, de quo diſputamus: an non? Haud porrò affirmabis; quod ſi affirmares, actutum conuincereris, nihil à te antehac ignotum erui ex vi connexi. Sin verò negas, quo iure quaſi indubitatum aſſumis quæcunque ſic oculis aſpectabilia ſint, calorem mouere. Sicut enim ex vnius particulæ defectu totum generale pronunciatum falſitate contaminatur, ita ſi vna ex partibus ſuſpicioſa eſt atque obſcura, ex ea pariter obſcuritas ac ſuſpicio in totum pronunciatum offunditur. Exempli gratia; donec mihi ſuſpicio ſit, fontem in Epyro manare, cuius aquâ illitæ extinctæ faces redardeſcant, vt rumor eſt, ſuſpicioſa pariter mihi fuerit hæc generalis enunciatio: *Nullius aqua eſt, vt per eam extinctus ignis redardeſcat.*

Reſiſtes tamen, ac dices: cætera omnia conſimilia huic rei, quam video, 1.
mihiq; experta, calefaciebant; nec vlla peculiaris coniectura ſuadet in iſta re ſecus accidere. Bene eſt: at conclude, ſi potes, argumentum, ſicut philoſophica euidentia requirit. *Cætera omnia iſti rei ſimilia calefaciebant, Nulla peculiaris coniectura de iſta re contrarium ſuadet. Ergo & res iſta calefacit.* Egregiam verò concluſionem; nempe quinque (vt aiunt) terminis membriſq; monſtroſam, & vel puero in Dialecticis elementario pudendam.

Hæc porrò Scepticorum diſputatio inſtar Gorgonei capitis eſt, cuius obiectu lapideſcent quotquot concluſa argumenta ſenſuum experimentis innixa in aciem educantur.

CAPVT XIX.

Ne pbabilitatis q. dē. nedū euidentia parens inductio eſſe poteſt.

INterim, reor, aduerſarij à ſcientiæ ſplendidis ædibus, quò aſpirabant, pro- 1.
hibiti, obſcuram probabilitatis domum attentabunt; in hunc modum diſſerentes. Certè probabiliſſimum eſt, perinde vſuvenire in hac re, quam video, ſicut in alijs cunctis ſimilibus expertus ſum. Sed in ijs cunctis vim caloris effectricem expertus ſum. Quid ni ergo & hæc res calorem efficiat?

Iam transfertur pugna à Dogmaticis ad eos Academicorum, qui omni ablegata ſcientia probabilitatem retinebant, vt enarraui. Pergamus.

Dic, precor. Quis Deus teſtatus eſt tibi maximam illam, quam aſſeueras, prioris aſſumptionis tuæ probabilitatem? Quid ni videas, perſuaſionem iſtam vtique meram, eſſe humani animi ſibimet aſſentantis arrogantiam? quaſi verò ea lege obligaretur Natura, vt res illæ, quæ tuis fortè ſenſibus perceptæ ſunt,

cæte-

Digitized by Google

cæteris omnibus rebus modum præſcriberent; nec vlli rerum generi Vniuerſitatis incolendæ ius foret, quin res illa cognitioni tuæ ſe ſiſteret vectigalem. Quid frequentiùs, quàm, vel dum per te ipſum res experiris, vel dum alios audis aut lectitas, incurrere te in aliqua noua, tibiq; priùs incomperta? Hæc verò noua, quæ offendis, habent-ne alicuius attributi ſimilitudinem cum ijs, quæ antea noſcebas? Sanè quidem. Et tamen vnà cum attributis illis, in quibus vtraque conueniunt, nunquam inueniſti hæc alia attributa, quæ nunc reperis cum illis prioribus attributis conſociata: ſi enim hanc ipſam conſociationem anteà vidiſſes, nulla tibi nunc nouitas appareret. Quotidianum ergo eſt, vt in rebus, cæterà ſimilibus, expertarum à te antè, diſſimilitudinem quampiam ab illis ipſis deprehendas.

2. Nec hilum proficies, ſi clames, aliquam ſemper diuerſitatis rationem inter res illas antehac tibi expertas, & haſce nouas inuentum iri. Siquidem hæc ipſa qualiſcunque diuerſitatis ratio adinuenta nuper à te in rebus cæteroqui ſimilibus diſſimilitudo quædam eſt ab omnibus alijs rebus experientià tibi antè compertis.

Nimirum ingens illa, quam prædicabas, tuæ aſſumptionis probabilitas vacillat ſemper ac ruit.

Promptum eſt exemplis dicta confirmare. Quicunque pſittacos, picas aliáſque perpaucas auiculas humanam loquelam imitantes exaudiſſet aut nouiſſet nunquam, is profectò certiſſimum argumentum Naturæ humanæ putaret articulatas voces: & tamen falsò putaret. Reliquæ animantes omnes inferiorem maxillam cient: quis ergo contrarium de crocodilo ignorauerit, æquo iure id omnium animalium proprium interpretabitur, ac tu ignium omnium, vt calefaciant: Et tamen decipietur. Ad ſummum ſingulorum generum ſingulares ſunt proprietates ab alijs generibus diſcretæ, itáq; ignoratæ cuicunque qui illud nominatim genus ignorat.

CAPVT XX.

Nemini iure indubium eſt, ſe obliuione ſomno, demẽtiáve non teneri.

1. PRæterquam quod; verè-ne vſque adeo certum habes, rem tibi nullam huius rei quam vides, aſpectu perſimilem, nec tamen calefacientem occurriſſe? Quis ſcit an occurrerit, ſed poſtea per obliuionem exciderit. Minimè, inquis, memorià quippe fideliſſimà ſum inſtructus. Quæro fidelitas iſthæc memoriæ nonne in eo tota verſatur, ne ſemel cognita poſthac obliuiſcare? Verùm, ſi maximè innumera oblitus eſſes, tuam vtique obliuionem nihil ſentires: alioqui non tam obliuio tibi eſſet, quàm recordatio. Quare tum quidem idipſum quod afferis, etiam aſſereres; nimirum fideliſſimam tibi memoriam eſſe: hallucinareris tamen. Quid ſi nunc idem tibi eueniret? Quid ſi inſanires? Quid ſi ſomniares? Inſanus vtique, aut ſomnians, nihil minus ſuſpicatur, quàm inſaniam, aut ſomnium ſuum, quin audacter nonnunquam oppoſitum aſſeuerat. Item igitur tu id faceres. Atque in eo ſtatu infinita, quæ

Digitized by Google

re ipſa tibi contigerunt, oblitus, nec pauciora per deprauatum interiorem ſenſum commentus, quot, rogo, ex his erroribus abſurda concluderes?

CAPVT XXI.
Nullã eſſe certã bonorum ac malorum notam: in qua re nec plurium ꝑſuaſioni fidendum nec ſapientiorum.
a De vita beata c. 2.

AD extremum, vt in eo conſiſtam, quod proprium noſtri colloquij eſt, 1.
aio, ſi veritas in reliquis obſcura eſt, in ijs porrò, quę morali philoſophię obuerſantur, planè cæcam eſſe. Cuius, rogo, magnetis indicium vera bona vnquam interſtinguet ab adulterinis ac falſis?

Credo plurimorum approbatio. Vel Dogmatici hoc bonitatis inſigne tanquam fallax aſpernantur. *Cùm de vita agitur*, vulgatum Senecæ *a* locum recito, *non eſt quod mihi illud diſceſſionum more reſpondeas; Hac pars maior eſſe videtur. Non tam bene cum rebus agitur; vt meliora pluribus placeant: argumentum peſſimi turba eſt.* Plurimi quidem vitia præferunt honeſtati. Plurimi barbaram vitam agunt: an hæc idcirco germana dixeris bona?

Credo ſapientiorum ſententia. Sed qui tandem ſapientiores? Hic titulus ad eos pertinet, qui præ cæteris vera dignoſcunt. Priùs igitur alio quopiam ſigno vera & falſa internoſcere oportet, & hinc porrò ſapientem à temerario ſtultoq; diſcernere. Eoſdem auctores alia ſuſpexit ætas, alia contempſit. Anaxagoras illos, Melliſſoſq; vetuſtioris Græciæ oracula Platonis attriuit Philoſophia. Platonis exinde regnarunt ſpecies illæ memoratiſſimæ, quas illa ætas vſque adeo complexa eſt, vt eiſdem abigendis bonam Scriptorum ſuorum partem dicare Ariſtoteles operæpretium duxerit: Quid tamen? illæ eædem ſpecies nunc in Poëtarum ſomnijs habentur apud Philoſophos. Quid verò eſt cur (ad ipſorum aduerſariorum normam) præteritum non debeat nobis futura portendere, adeóq; probabiliter vaticinari, alios olim Philoſophos inſurrecturos, qui coronas auellant magnis hiſce Capitibus nunc in famæ proſcęnio Regem agentibus? Sanè poſtremis hiſce Mundi ſæculis repertæ ſunt aliquæ noui Orbis gentes, quæ iactabant & ipſæ Platones atque Ariſtoteles ſuos. Noua illuc hominum Natio traiecit, quæ per ſublimiora meditamenta inibi popularium Scriptorum gloriam oppreſſit, quæque extemplo indigenam, dominantémque ſapientiam in amentiæ faciem conuertit apud ingentem illam humani generis partem. Latet adhuc nos terrarum immenſitas, vnde non ex vano expectetur noſtris regionibus gens aliqua tantundem pariter nobis ingenio præcellens, cuius operâ irrideantur à poſteris, vt delira, grandia illa nomina, quæ nos tanquam Numina demiramur.

CAPVT XXII.
Etiamſi à pluriũ vel à doctiorũ iudicio prouocari non poſſet in bonis dijudicandis; Certè inter eos ita variatur, vt nõ liqueat.
Iuu. ſat. x.

SEd age. Habeatur in bonorum diſceptatione tanquam Areopagus qua- 1.
cunque prouocatione maior, vniuerſitas populorum & Philoſophorum, quos in præſentia nouimus. Nihilo ſeciùs ex repugnantia ſuffragiorum vetus illud *non liquet* pronunciandum fuerit. Et quidem licet vnum eundémque hominem, ſed per varia tempora meditemur. Nemo eſt enim, quem (vt ille ait)

Propoſiti non pœniteat, votíq; peracti.

Ei-

Eidem, puero, adulto, vetulo, ſano, ægrotanti res contrariæ penitus inter ſe, vel ad eundem vitæ ſtatum relatæ probantur vt bonæ. Neque verò ſatis appareat, cur plus fidei debeatur ſano dum prædicat, bonum eſſe ſi ægrotus conualeſcendi gratiâ ſitim perferat, quàm huic ipſi ægrotanti, qui dum ſitim experitur, adeóq; illam penitiùs nouit, ſententiâ vertitur.

2. Quid verò ſi alias atque alias gentes, alios atque alios legum conditores animo perluſtremus? Diſcrepantes illæ, quæ viguerunt, cùm ſententiæ, tum conſuetudines ſuper generis propagatione ne audiri quidem hic volunt. Sextus vtique lib. 3. fusè illas perſequitur. Alia loquamur, à quibus loquutio ipſa non exſordeſcat. Humanis carnibus veſci, quod nobis, adeóque Ariſtoteli, ferinum videtur, non vni populo eſt in more; quin & à Porticu illa tam ſancta planè conceditur, ex qua Porticu nominatim Chryſippus ineptum ducit proijcere membrum quodpiam viuo homini exciſum, & non potiùs illud comedere, itáque in priſtinam vitam reſtituere. Scythæ ſexagenarios parentes illicò mactabant; à nonnullis Scriptoribus vindicati per adorata Græcis immania exempla in genitores, videlicet Saturni in Cœlum, Iouis in Saturnum. Solon liberorum necem genitoribus permiſit. Lacones, ſi qui alij Græcorum germanæ virtutis cultores, furto indulgebant, tantúmque in furibus manifeſtarijs non furtum, ſed ſocordia plectebatur. Neque ſuis hæc omnia defenſionibus deſtituerentur. Quarum ego defenſionum aliquas legi perquàm ſubtiliter excogitatas à Ioanne Ciampolo in ſacra Politice, quam adornat. Is enimuero mihi numeratur inter illa ingeniorum prodigia, quibus non ſingula ſæcula annumerant ſuum. Ingenium profectò tantâ grandium meditamentorum vbertate diues, tantâ elocutionis celſitate, tantiſq; neruis prævalidum, vt ad hunc ſcilicet virum transferri poſſet præconium illud in Platonem Auguſtini: *Ita loquutus eſt, vt quacunque diceret, magna fierent, & ea loquutus eſt, vt quomodocunque diceret, parua non fierent.*

c. 24 & 25.

Li. 3. con. Aca. c. 17

3. Sed, vt eò remigrem, vnde diuerteram, hinc Sceptici probant, bona ac mala quæcunque obſcura & ambigua: Tantùm ſuadent vnicuique, vt ſequatur communis vitæ conſuetudines; nihil tamen aſſeuerans illarum probitatem vel peruerſitatem; Sed quæcunque acciderint excipiens neutro animo, & cuiuſlibet opinionis puro: atque ita ſe ſe omnibus fortunæ telis imperuium reddat.

CAPVT XXIII.

refutatur pced. diſp. & 1. oſtēditur Scepticorū ſibiipſis repugnātia eosq; conuinci ex ijs, quæ docēt, vt euidētiam ac pbabilitatē amplectātur

1. POſt hæc dicta Saraceni ſilentium claſſicum fuit Andream laceſſens, vt in certamen deſcenderet. Ille verò ſic fari cœpit. Næ ipſe percallidus fuiſti in militum ſelectione. Ignauâ ſcilicet, infirmâque turbâ in caſtris relictâ, quæ aut cadens aut fugiens, id vnum agit, vt ſtrenuorum commilitonum audentiam vel pudorem extinguat; paruas copias, multas vires in prælium induxiſti; Ne vno quidem vſurpato leuiculorum quorundam ſophiſmatum, quæ in Sexti Em-

Empirici libris affatim congeruntur. Talia nempe fruſtrari fortaſſe valeant rudem neſcio quem; ſed viris doctis non ſine ſtomacho deſpecta, in eamdem deſpicientiam trahunt apud ipſos cauſam vniuerſam, vtpote pro ſe tam futilia prætexentem: illoſq; mouent, vt inter tot leues quiſquilias proijciant imprudentes quaſi purgamenta, quidquid ponderoſi auri permixtum latet. Porrò validis illis Pyrrhoniorum rationibus à te ſolerter delectis multas adiecisti de marte tuo, multis quoque iaculis in Sexti pharetra obtuſis, adeoq; inertibus, cuſpidem exacuiſti. Nec immemor noſtrum hoc eſſe Philoſophorum certamen, non Sophiſtarum ludum, nihil tibi fuit curæ, vt equitum ſinguli in campo ſe ſe iactantiùs oſtentarent; ſed in cuneum coactos præualidè in pugnam compuliſti: eo tantùm palæſtræ admiſſo, quod non ad ſpeciem faceret, ſed ad victoriam. Probè nimirum intellexiſti, perinde ac vnum eloquentiæ finem, ita & vnam eloquentiæ laudem eſſe, vt perſuadeat. Quicumque, vbi res auditoreſq; nil tale poſtulant, ſingula quæ dicunt, antithetis pingunt, ſchematiſq; prolatant, itaque non dociles reddunt aliorum aures, ſed fatigatas; perinde faciunt, ac ſi architriclinus vt dapes ornaret, cinnabarim allineret, guſtu iniucundam, nutrimento pernicioſam.

Eò tamen alacriùs tibi refragari audeam, quò tu ipſe me accerſiſti non adſtipulatorem, ſed refragatorem aduerſus ea, quæ lingua non animo comprobaſti.

Ante alia conabor Scepticorum pertinaciam profligare per ea, quæ ipſimet ponunt. Nempe, id ſi obtineam, par erit continuò fauere Scepticos quaſi ſubſidijs, non obſiſtere quaſi aggreſſionibus, dictis meis eorum rationes retundentibus: quarum ipſi rationum cuſpide figi ſe perinde ac hoſtes intellexerint.

Vt igitur eos conuincam, ſumo quod profitentur, hoc eſt, in actione obſequendum eſſe moribus communis vitæ. Id autem etſi ore diffiterentur, certè vel factis profiteri deberent, vel citò vecordis pertinaciæ pœnas darent. Scilicet, ni pararent & caperent cibos; ni vitarent impulſionem ferocientium belluarum, ni ſuas indigentias aperirent, alienamq; opem inuocarent; confeſtim eos deſereret vita, vtpote, ne in belluis quidem niſi per aſſiduam induſtriam cautionemque ſeruabilis. Qua ſuper re perfaceto cauillo elegans quidam Medicus luſit Diodorum Dialecticum, pugnantem nihil prorſus loco moueri; ad quod efficiendum huiuſmodi captioſam interrogationem concinnauerat: *Aut res mouetur vbi eſt, aut vbi non eſt: Non quidem vbi eſt, ſi enim ibi iam eſt, haud mouetur, ſed manet: Neque vbi non eſt; vbi enim res non eſt, ibi agere nihil poteſt. Ergo fieri nequit moueri quidquam.* At cùm fortè argutus iſte Dialecticus cecidiſſet, luxatoq; humero ad Medicum feſtinaſſet, caſumque denarraſſet; extemplo vrbanus Medicus narrationi repugnans, *Apage*, inquit, *falſa memoras; Vel enim cecidiſti vbi eras, vel vbi non eras:* 2.

totámq; illam celebrem Diodori interrogationem repoſuit. Enimuerò miſellus Dialecticus medicum obſecrauit, vt eiuſmodi inanitatibus prætermiſſis curationem aggrederetur.

Bonum ergo eſt, ipſis ſuffragantibus Scepticis, ad communis vitæ vſum ſe conformare; Hoc poſito quæro iam de Pyrrhone ac Sexto, vnde reſcierint id bonum eſſe: quo criterio, verum iſthuc comprehenderint; quî norint, in hac exiſtimatione arripienda ſe non ſomniare, vel inſanire. Ad hoc, quo inſtrumento dignoſcant, quænam ſit vita iſta communis: ſi per ſenſum, repugno, aióq; frequenter à ſenſu falſa nunciari; ſi per rationem, obijcio, haud conſtare, quî poſſit ratio quippiam ex ignoto notum efficere. Nempe Sceptica illa contorta Sophiſmata omnia ad vnum retorquentur in hanc enunciationem, quam ab eis licet inuitiſſimis vitæ neceſſitas exprimit.

Hinc autem concludo haudquaquam perſtare iſtos in ea aſſenſionis retentione, quam aſſeuerantiùs efferunt, ambitioſè detrahentes ſibi, & ex noua ignorationis oſtentatione ſingularem ſapientiæ gloriam cauponantes. Porrò niſi in animum inducerent; hoc panem eſſe, illud verò eſſe anguem, haud manum porrigerent, vt alterum in os inferrent; nec pedem retraherent, vt alterius morſum euitarent. Si nihil in bonis aut malis ducerent præter præſentem voluptatem aut moleſtiam; quid eſſet cur in præſentia plures vtique voluptates præterirent, multúmque moleſtiæ ſuſciperent, vt conſequenti tempeſtati conſulerent? quid eſſet cur Aquilonis per brumam, Solis ſub Canicula inclementiam ambulando tolerarent, vt cibaria, veſtes, pecuniam, cæteráque in poſterum opportuna conquirerent? At ſi hæc Pyrrhonijs aſſenſa ſunt, & quidem adeo firmiter, vt eos ad tot aſpera exhaurienda indubitanter impellant, ſanè ex eorum animis, haud quaquam robore dolatis, pariter aſſenſionem exprimunt alia, quæ ab his nihil perſpicuitate vincuntur. Imò verò, quid perſpicuitatem dixi? ne probabilitati quidem iſti homines immoto animo reſiſtebant. Curabant-ne agrorum ſuorum culturam? Cur verò niſi propter futuræ ſegetis probabilitatem? Noctesne ducebant inſomnes in paginis exarandis, ſuíq; animi ſenſa famæ peruulgabant? Cur verò niſi propter placendi perſuadendíque probabilitatem?

CAPVT XXIV.

Quid ſit euidẽtia: ea pcipuè ineſt quibuſdã poſitionibus quas cunctis credũt nemo probat. Dogmaticorũ eſt illas non vtiq; cõprobare ſed tueri aduerſus cõtraria.

1. SEd rei caput aggrediamur; Cùm tu euidentem ſcientiam pernegas, aut intelligis quod pernegas, aut non intelligis. Si hoc alterum, næ ipſe perinde fruſtrarer tecum contendens, ac bonus quidem homo, qui per viam ambulans, fœdas audijt contumelias in ſe euomi è feneſtra neſcio qua; adeóq; ira furens contentis vocibus ad certamen laceſſiuit, quicumque ſe tam indignè compellaſſet. Sed illico ridentes vicini demonſtrarunt, voces ab eiuſmodi garriente editas, qui earum poteſtatem neſciret; nimirum à pſittaco, quem herus ludi gratia illis dictitandis conſueſecerat. Sin autem, quod negas, probè

Digitized by Google

probè intelligis, conueniat inter nos primùm de ſignificatione, ſuper qua poſtmodum concertabimus. Euidentia quidem eſt rei obiectæ ſpecies ita in animo ſignata, vt de veritate ſua dubitare numquam ſinat. Neque verò quid rationis habeat animus ad nihil dubitandum exquirere ſemper oportet. Nec enim in rationibus ipſis infinitè proceditur, vt nuper Querengus diſſerebat. Sed quomodo in rebus, quæ viſu tenentur, quædam pars cubiculi, exempli gratiâ, videtur propter lumen, quod alia pars in eam reflectit; &ſic deinceps; ſed tandem peruenitur ad aliqua corpora natiuo fulgore conſpicua; cuius fulgoris effuſione alijs etiam præbent, vt conſpiciantur: ſimiliter in ijs rebus, quæ mente cernuntur, aliæ ex alijs rebus longo ordine euidentiam mutuantur; ſed tandem deuenitur ad aliqua pronunciata ſuomet nutu euidentia, ac tamquam faces à Natura ſic accenſas, vt cætera ſuo ſplendore detegerent. Sicut ergo 2.
Sceptici, euidens dicunt eſſe *doleo nunc*, vel *tali viſo afficior*, cuius tamen euidentiæ vlteriorem rationem non habent, niſi quod experiuntur ſe cogi ad ſic exiſtimandum; haud ſecus contingit in cæteris omnibus coniunctionibus ſua ſponte manifeſtis. Cur exiſtimo, quodlibet vel eſſe, vel non eſſe? Cur exiſtimo, quodcumque totum ſua parte maius? Si *cur* poſtulas tanquam rationem, quæ cognita ad haſce me perſuaſiones trahit (motiuum dicunt) *cur* profectò adeſt nullum: Hæc enim pronunciata ſe ipſis pateſcunt. Sin tuum iſtud *cur* petit ſolùm cuiuſcuiuſmodi cauſam, ex qua pendeant eiuſmodi operationes animi mei; Enimuerò earum cauſa eſt, quia Natura ita mentem noſtram conformauit, vt prædictis coniunctionibus fidenter aſſentiremus. At enim fortaſſe nos in hoc ipſo Natura fruſtratur. Hæc eadem effecit, nihil vt fruſtrationem huiuſmodi ſuſpicemur; Quemadmodum effecit, ne tu fruſtrationem ſuſpicarere, dum perputas te nunc dolere, vel oblectari. Quare ſapienter Galenus Scepticos vnà & Academicos reprehendit, quòd euidentiam vniuersè ab humanis cognitionibus ablegantes, Naturæ contenderent repugnare.

De optimo genere docẽdi.

Nullo igitur iure à te cogi poſſum, vt rationibus euincam enunciationes eiuſcemodi, adeoq; alias vniuerſas, quæ, perpenſis attentè vocabulis, Naturæ inſtinctu vnicuique probantur. Id modò adigi poſſum, vt ea depellam; per quæ tu earum falſitatem coneris obtendere; ad quam ſanè depulſionem breui properabo.

CAPVT XXV.

multa diſparis euidentia genera. Qũo nobis conſtet nec ſomniare nos, nec inſanire.

Iam ſicut Naturâ perpellimur ad aliquorum aſſenſionem nullâ ſuſpicionis 1.
vmbrâ pallentem, quæ dici ſolet *euidentia metaphyſica*, quoniam ne inſpectâ quidem Dei ſupra Naturæ leges poteſtate ſubueremur ne falli nos in eiuſmodi aſſenſionibus vnquam poſſimus; ita etiam pertrahimur ad alia quædam exiſtimanda inumbrante vix animum pertenui dubitationis velo, quodque lynceis dumtaxat oculis teneatur. Hanc porrò *euidentiam phyſicam* vocant; nam liquet aſſenſiones eiuſmodi citrà diuinum miraculum haud poſſe veritate frau-

Digitized by Google

ſraudari. Quis noſtrûm vereatur (occurrere aggredior interrogationibus à te contortis) ne in præſentia non vigilet? Non quidem ita exploratò id nouimus, *vti, quodlibet aut eſſe aut non eſſe*; Tamen nihil naturâ mouemur, vel ad vigiliam noſtram in præſentiâ diffitendam, vel ad aſſenſum ſuper eâ retinendum. Nec proba concluſio eſt: *Si ſomniarem, ne id non perſentiſcerem; quin æquè audacter me ſomniare negarem; igitur nec-ne id ſit in præſentiâ, meritò ambigam.* Nam re vera ſentio nunc ita perſpicuam explicatámque cognitionem rerum inter ſe aptè nexarum, qualem perceptionem in quiete mihi vnquam fuiſſe non memini. Quocirca ſomniorum, quæ me deceperunt, recordatio nihil ſuſpicionis ingenerat, ne fortè nunc quoque ſomnio decipiar. Semotâ verò qualibet erroris probabili coniecturâ, Natura ipſa hanc mihi mentem immittit (quam vtique mentem vnuſquiſque ſentiet in ſe ſe) vt viſiones, quas habeo, notitias vigilantis, non ſpectra ſomniantis exiſtimem.

2. Similiter, inſaniæ dubitatio depellitur. Viſionibus enim afficior eiuſmodi, quæ vetant me de hoc addubitare. Neque interim hunc mihi ſcrupulum inijcere poſſunt in memoriam recurrentia vel mea ipſius ægrotantis deliramenta, vel aliena mihi conſpecta. Nulla enim mihi eſt memoria vel me, vel alios per inſaniam ſic apta inter ſe & conſentanea geſſiſſe, ſic ordinatim diſputaſſe, tam ſeriò, tam dilucidè, tanta animi approbatione; quantam mihi eſſe nunc ſentio. Imò potiùs reuoluens nunc qualia mihi viſa vel quies, vel furor obiecerit, enimuerò intelligendi rationem in illis longè aliam agnoſco atque eam, qua in præſentia vtor. Quod profectò diſcrimen inter ſua vigilantis aut ſomniantis viſa notabit, quicumque vtraque inter ſe attentè componat. Nec, ſi diſſimiles iſtæ intelligendi rationes ſuis carent nominibus, quibus in mutuo ſermone diſtinguantur apud colloquentes, minùs illæ propterea cuique noſtrûm ſuimet experientiâ dignoſcuntur. Veluti, quamuis caloris & frigoris qualitates diſcretis nominibus non diuideret ſermo; vel quamuis ego ignarus eſſem linguæ, aut etiam elinguis, nihil tamen illarum qualitatum diſcrimen mihi eſſet obſcurius.

CAPVT XXVI.

Cōſtitutâ euidentiâ enūciationū per ſe patentiū, examinatur euidētia cōcluſionū. Demonſtraturq́; ſæpe ex concordia ſuper aliqua infinita coniunctione oriri philoſophicarū familiarū diuortia ſup definitis cōſecutionibus.

1. HActenus dictum ſit de perſpicuitate illarum enunciationum, quæ ſeipſis pateſcunt. Iam de argumentatione. Huius procreandæ, vti docebas, ſemen eſt renunciatio ſenſuum, genitrix porrò mentis vbertas.

Quantùm ſpectat ad primum, notatione dignum videtur, ex conſenſu in aliqua coniunctione non ſemel diuortia ſententiarum erupiſſe inter philoſophicas familias in vtroque coniunctionis membro probando, vel improbando. Quod ſi coniunctio illa falſa fuerit, ſæpe omnibus illis diſcrepantibus inuicem opinionibus falſitatem afflauit. Ceu, Zenoni iuxtà, ac Tullio placuit: ſi Deus omnium eſt præſcius, hominem libertate deſtitui. Huic coniunctioni hanc Zeno aſſumptionem copulauit; *At Deus omnium eſt præſcius*: Concluſitque.

De Diuinat. ſitque. *Homo igitur libertate non vtitur.* Contrà Cicero : *At homo libertatẽ vtitur. Deus ergo praſcius non eſt*: Falsò vterque. Haud pauca huius rei exempla ſuppeterent , ſed nihil attinet illa extrinſecus accerſere , quandoquidem in re noſtra ſunt obuia.

Epicuro, Protagoræ, Arceſylæ, Pyrrhoni, conuenit in huiuſmodi coniunctione : *Si ſenſus mentiri ſemel poteſt , qualibet humana ratio in incerto nutat.* Subdidit Epicurus : *Humana ratio identidem certa eſt : ſenſus igitur mentitur nunquam.* Eoq; gradatim rem demiſit, vt cùm ſenſus teſtificetur, Solem ferè pedalem; re vera pedali, paulò maior aut minor, Sol ipſe ſit.

His omnibus concinuit Protagoras; ſed cùm videret, aliter alijs hominibus , adeóque vni alio atque alio tempore , rem eamdem apparere , ratus eſt proinde formas illas multiplices ac ſæpe contrarias, quæ comparent vel comparere vnquam poſſent, reapſe in materia ſocialiter commorari ; ſed pro varia ſensûs conſtitutione modò hanc , modò illam à nobis comprehendi : Itáque hominem veri menſuram dictitabat ; opinatus , quidquid homini videtur , id omnino verum eſſe.

Contrà Pyrrho atque Arceſylas, illam eamdem ſuperiorem coniunctionem attexentes inferiori cuidam capiti Epicureorum , ac Protagoræ concluſioni aduerſo, aduersè prorſus, ac hi alterum ſyllogiſmi caput addiderant, concluſerunt : ponentes : *At ſenſus aliquando mentitur : Ergo nihil certò cognoſcitur.* Et quoniam Epicurei obiectabant Arceſylæ, cæteriſq; Academicis. 2.

Laër. li. 4 *Denique nil ſciri ſi quis putet; id quoque neſcit,*
An ſciri poſſit; quò ſe nil ſcire fatetur.

Id vtique neſciri per Pyrrhonem licuit, hoc ipſo vno diſcrepantem ab Arceſyla, vt ne id quidem certò ſibi conſtare diceret: nihil certò conſtare.

CAPVT XXVII. *Sēſus nō. q errant: itaq; Augustino viſum.*

Mihi ſanè cum prioribus conuenit , vt mendacium à ſenſu prorſus remoueam. Quæ ſententia placere videtur Auguſtino in Dialogis contra Academicos *a* : Non quidem eò Auguſtinus præcipitat, quò Epicurus & Lucretius proruerunt , egregij ſcilicet Geometriæ contemptores , qui ne fortè mendacij damnarent oculos , citiùs Solem fermè pedalem aſſerebant : ſed aliam ſenſus defenſionem ſubtiliter Auguſtinus vſurpat , quam vel ipſi Epicurei balbutientes cauſabantur, vt apud Lucretium videre licet. 1.

a Lib. 3. c. 10 & 11
b Lib. cit.

Enumeratis enim à Lucretio *b* viſis ſanè compluribus , quæ ſenſui fidem adimere videntur, ita propemodum ipſe occurrit.

Catera de genere hoc mirando multa videmus,
Qua violare fidem quaſi ſenſibus omnia quarunt,
Nequidquam ; quoniam pars horum maxima fallit
Propter opinatus animi, quos addimus ipſi;
Pro viſis vt ſint, qua non ſunt ſenſibus viſa.

At

Digitized by Google

At Auguſtinus, pugil nempe longè ſolertior, valde ſcientiùs eodem ſe clypeo tutatus eſt. Locum eius nitar proferre, quem aliàs memoriæ conſignaui. *Age ſi dicat Epicuræus quiſpiam. Nihil habeo quod de ſenſibus conquerar. Iniuſtum eſt enim ab eis exigere pluſquam poſſunt: quidquid autem videre poſſunt oculi, verum vident. Ergone verum eſt, quod de remo in aqua videtur? prorſus verum. Nam cauſa accedente quare ita videretur, ſi demerſus vndâ remus rectus appareret, magis oculos meos falſæ renunciationis arguerem; Non enim viderent, quòd talibus exiſtentibus cauſis videndum fuit. Quid multis opus eſt? hoc de turrium motu, hoc de pennulis auium, hoc de cæteris innumerabilibus dici poteſt. Ego tamen fallor ſi aſſentior, ait quiſpiam. Noli plùs aſſentiri, quàm vt ita tibi apparere perſuadeas, & nulla deceptio eſt. Non enim video quomodo refellat Academicus eum, qui dicit, hoc mihi candidum videri ſcio, hoc auditum meum delectari ſcio, hoc mihi iucundè olere ſcio, hoc mihi ſapere dulciter ſcio, hoc mihi eſſe frigidum ſcio:* Et quæ conſequuntur. Nimirum aſſerit Auguſtinus, frangi nobiles illas ſenſuum reprehenſiones, ſi dicamus, nihil aliud referri à ſenſu extra hoc: rem quampiam exiſtere, à qua ipſe tali modo afficiatur: id autem vero verius eſt ſemper. At identidem animus, præiudicata quapiam opinione hiſce veris aſſenſionibus falsò adiecta, abſurdas ideo concluſiones enititur. Qui tamen animus (vti dominorum mos eſt, nihil ſui tribuere famulis præter lapſus) temeritatem ſuam, ſenſus fraudem appellat. Loco cit.

2. Curæ pretium eſt, penitus hunc articulum introſpicere, vulgò inobſeruatum iuxta, & ad ſcientiam omnem de anima perneceſſarium. Ais, oculum hypoſphagmate laborantem mentiri, dum nunciat, omnia cruento colore ſuffuſa. At verò qualem notionem habes in animo, dum *cruentum colorem* dicis? Non aliam, reor, niſi quam tibi ſenſus impreſſit. Nec enim, vt Angelis, ita & humanis animis rerum ſimulacra ingenita ſunt; ſed hi quaſi pura tabula procreantur; in qua tabula ſenſus porrò intus expingit quæcumque ipſe foris experitur. Non aliud ergo *cruentus color* ſibi vult apud te, niſi idipſum, quod ſenſus tuus de illo cognouit. At de colore illo ſenſus hoc vnum cognoſcit, ſe à re quapiam id genus viſionem pati. Non aliam ergo cruenti coloris notionem habet humanus animus, niſi vt color cruentus ille ſit, qui eiuſcemodi viſionem in oculis mouet.

CAPVT XXVIII

Quo animus ex veris ſenſuum renunciationib. in errorem trahitur.

1. HAud tamen ipſe animus vniuerſè hoc nomen attribuit cunctis, quæ ita oculum ſemel mouent ex fortuitis quibuſdam atque inſolitis rerum circumſtantijs, ſed illis modò rebus, quæ viſionem eiuſmodi afferunt, plerumque ac ſuopte ingenio & in circumſtantijs communiter conſuetis. Hinc enimuero ipſi animo (aut interiori ſenſui, quem ab animo diſtinguere nihil attinet in præſentia) errandi primordium exiſtit. Oculus namque teſtificatur, ſe nunc tale viſum accipere. At meus animus ea conſuetudine imbutus eſt, vt plerumque, quid-

quidquid ſemel tale viſum intulit mihi, eiuſmodi viſionem inferat quoque aliorum oculis, ſuopte ingenio, & in circumſtantijs paſſim contingentibus? Quocirca per hanc fallacis probabilitatis prauam acceſſionem, ex veridica ſenſus teſtificatione falsò concludit id, quod ſenſus nunquam enunciat. Hoc nimirum vſu-venit, dum vulgares tantulum Solem arbitrantur. Tunc enim oculus nihil fallitur. Quin Geometra, vtpote purus mente ab omni præiudicato errore ſuper ſolari diſtantia, & ſuper eiuſmodi ſpecie, qualem exhibere debet tanta moles, ſic longè diſtans, elicit ex hac vera oculorum perceptione conſecutionem æquè veram de magnitudine Solis; Imò potiùs traduceretur ille tunc à viſione, ſi oculus alia quacumque Solis imagine depingeretur. At imperitus quiſpiam, vtpote ignarus huiuſmodi circumſtantiarum Geometris pateſcentium, quique plurimùm expertus eſt, res ita ſemel aſpectas quomodo in præſentia Sol aſpicitur, ſimiliter in circumſtantijs conſuetis, conſuetaq; propinquitate oculo ac tactui ſe poſtmodum indicaſſe; ex hoc viſo idipſum de Sole perperam colligit. Quocirca vitium omne non in oculo, ſed in animo eſt, transferente in Solem & in alia perpauca, in quibus hallucinatur, id quod in reliquis verum frequenter deprehendit: hoc eſt, eiuſmodi ſpectabilia, qualia ſemel apparent, talia fermè, alias item apparere in ea diſtantia, in qua communiter cæteri ea ſpeculamur. Quæcumque autem errata, quibus per hanc improbam concludendi rationem irretimur, ſenſus errata vocitantur (& quidem vel ab ipſomet Ariſtotele, quippe communium orationum retinentiſſimo) vtpote educta ab ſenſuum experimento, licet coniuncto cum ea vſitata aſſumptione, quam addit animus, vt concludat.

Et quamquam in minima quauis tum diſtantiæ, tum poſitus variatione 2. variatur aſpectus, quemadmodum tu, Saracene, argutè animaduertiſti, & qua polles picturæ ſcientiâ demonſtraſti, non tamen viſa hæc parùm diſſidentia inter ſe vulgariter *ſenſuum errata* nominantur. Per ea quippe viſa nihil animus in errorem inducitur. Qui nempe animus ex vulgatis experimentis non eam hauſit opinionem, vt res quæcumque ſemel quodammodo apparens, eiuſdemmodi ſemper appareat abſque differentiâ ne minima quidem: ſed abſque magna tantùm differentiâ. Ideo non quamlibet minimam differentiam, ſed magnam tantummodo per ſuas ratiocinationes excludere conſueuit.

Cæterùm lapſus animi præteritæ experientiæ coniecturâ decepti ipſe a- 3. nimus ſuæ dignitatis ergo vocare aſſolet, ſenſuum aut corporum exteriorum dolos. Edocuit id me primùm perantiqua hiſtoria, quam in vetuſta quadam Bibliothecâ lectitaui. Quemadmodum enim nos aſſueti excipiendis imaginibus rerum ab aëre, dictitamus aquâ nos decipi remum infractum pro recto nobis obijciente: ita, memorabat hiſtoria illa, dum olim Dij mortalibus familiariter vtebantur, Tritones ac Syrenes primùm Iunonis inuitatu in aëriam eius ditionem digreſſos, queſtos apud illam eſſe, quòd tam crebras oculis fraudes

des innecti ſuo in Regno pateretur. Sumebant enim vt certum,(quippe ad id tempus demerſi aquis, & per eas imaginibus rerum perculſi) eiuſmodi vtique imagines veraces eſſe; diuerſas autem, quas repererunt in aëre, doloſas. Neque ſubtilioribus illis Phyſicorum diſtinctionibus eruditi ſuper opticarum linearum fracturâ, id quaſi exploratum aſſumebant, quæ remi pars æquori infunditur, fidelem oculis viſionem immittere, ſed eoſdem ab alia parte per aërem extante ludificari.

CAPVT XXIX.

Excurritur ad repellẽdam criminationẽ quãdã Platonis aduerſus picturam.

1. ID veri, quod hac fabulâ conuelatur, pulchrè perſpicitis.

Spero equidem, te diſputationi meæ impenſiùs arriſurum, vbi intellexeris per hanc vindicari ab accuſatione quadam Socratis apud Platonem artem illam tibi, atque adeo Pyrrhoni tuo, acceptiſſimam, quæ nuper laudata eſt à me: Picturam loquor. Reprehendit Plato *a* (quod meminiſſe te arbitror) in ſuis de Republica Libris generatim artes omnes imitatrices, duasque inprimis, Picturam, & Poëſim, Lyricâ tamen exceptâ. Hæ nimirum artes, ait ille, nihil norunt ex ijs rebus, quas imitantur. Si enim eas noſſent, veris vtique non aſſimulatis conficiendis operam darent. Ergo neque pictori explorata eſt tot naturalium atque artificioſorum Natura corporum, quæ ab eo delineantur, nec Poëta, vbi Medicos, Duces, Legum-latores, Viros populo acceptos introducit, reipſa intelligit quid tandem ſolertiæ contineant eiuſmodi ar-
2. tes. Id vtique patére ait Homeri exemplo, qui ad viuum eiuſmodi perſonas expreſſit, neque tamen àut ſuos in medicina diſcipulos reliquit vllos, quemadmodum Æſculapius; neque per Homerum victi vmquam fuſiq; ſunt hoſtes; neque is vrbibus leges poſuit, ceu Charondas & Lycurgus; neque tantum gratiæ apud populum ſibi parauit, vt mendicato per cantiunculas victu non indigeret indies. Addit Plato, eiuſmodi artium imitationem ſenſuum erroribus adulari, veriſque Rationis aſſenſionibus refragari. Ideo ſi Pictor lectulum fingit, haud ex vero illum exprimit correctis oculorum fallacijs; ſed talem depingit lectulum, qualis cernenti falsò videtur. Sic etiam Poëta non ita res proponit, quomodo illæ ſunt, ad veram rationis regulam, qua, exempli gratia, docemur, neque mortem, neque adeo vllum infortunium eſſe in magnis malis; mœrore fletuq; lugendis; ſed ita mendosè res exprimit, quemadmodum brutæ hominis parti falsò videntur. Adeóq; inducit Achillem fœmineis lacrymis mœſtitiáq; infractum ex Patrocli morte, quam ille pro Patria fortiter obijt; hoc eſt, ex euentu gratulationem ac plauſum, non miſerationem ac luctum vindicante.

3. Verùm hæc omnis accuſatio, quantum admirabilitate fulget, tantumdem veritate caret. Quò eam refellam, neceſſe habeo de via non nihil deflectere, itáq; mihi gradum facere ad eam picturæ vindicationem, ad quam contendo: Nam de Poëſi nunc diſputare, & alienum nimis eſſet, & longum.

a Lib. 10.

Aio

Digitized by Google

Aio igitur, imitationis ſubſtantiam non id flagitare, vt noua res cudatur eiuſdem naturæ prorſus ac illa eſt, quam imitamur. Imago enim atque exemplum latiſſimo genere plerumque diſſentiunt. Imitari ergo, idem eſt atque per artem efficere ſenſiles quaſdam proprietates (atque inprimis earum luculentiores, quales ſunt quæ ſub oculos cadunt) rem quam imitamur dumtaxat comitari aſſuetas. Ita vt ſi perrarò contingat, eaſdem proprietates in alia re nobis occurrere, continuò memoriam excitent illius rei, in qua fermè ſola eas antehac experiri conſueuimus. Veluti color illius roſæ, quam proſpicimus, reuocat nobis memoriam odoris, quem in præſentia quidem non experimur, ſed aliàs experti ſumus, vbi rem quampiam ita planè aſpectabilem naribus admouimus.

His vniuerſim de imitatione conſtitutis, iam de Pictura nominatim. 4. Picturam nego idcirco aſpernabilem, quòd ſingulas aſſimulatæ rei proprietates neſcit imitari, ceu delineare pomi odorem, ſaporem, mollitudinem, aliáſq; dotes eiuſcemodi. Alioqui aſpernabilis item erit in Platone ars loquendi; Ea, inquam, ars, cuius nomine Platonem Dijs ipſis, atque adeo Deorum ſummo æquauit antiquitas. Nempe loquendi ars, imitationis denique genus eſt aliquod; neque aliam porrò in opificio ſuo aſſequitur rei, quam ipſa imitatur, dotem, extra hanc vnam, vt loquutio imaginem eius rei excitet in animo, ſicut excitat res ipſa, dum adeſt. An quia diſciplina quæpiam non omnes ad vnam nouit proprietates rei, circa quam verſatur, continuò, aut reprehendenda eſt tamquam rudis, aut repudianda tamquam inanis? Geometria quidem ecquas nouit, ecquas docet rei, quam contemplatur, proprietates, præter dimenſiones? Quid Aſtronomia? exponit-ne illa de ſyderibus aliquid ſupra dimenſionem ac motionem? Subſtantiam vtique, aliáque ſexcenta materiæ ſuæ attributa, neque ſciunt ambæ, nec inueſtigant. Et tamen eiuſmodi diſciplinæ impensè ibi collaudantur ab ipſo Platone.

Denique, illuc deſcendo, quod facit ad rem noſtram. Falſum eſt, Pictoris 5. imitationem aſſentari vulgaribus ſenſuum erroribus, atque illudere veritati, quam Ratio tenet: Pictor enim imitatur quamdam proprietatem lecti (ſupradictum Platonis exemplum retineo) non quidem lecti vniuersè, ſed ipſius lecti quodammodo ſiti, & quodammodo inſpecti: Iam in talibus circumſtantijs nulla verior lecti proprietas eſt, quàm hæc ipſa vt lectus eiuſmodi viſum efficiat in oculo, qualem efficit imago illa ſolerter expicta. Quidni ergo pictor germaniſſimam aſſimilatæ rei proprietatem imitari dicatur? Iam verò quia ſenſus numquam errat, ſed quilibet in aſſentiendo error Rationis eſt mendosè concludentis, vt nuper oſtendere ſum conatus, longè cautiùs errorem declinat pictor, dum in re, quam imitatur, exprimit proprietates certo ſenſuum experimento comprehenſas, quàm ſi eas exprimeret, quas Ratio per incertas, fallentéſq; coniecturas odoratur.

Iam

CAPVT XXX.

Qua vi atque induſtria animus exprimat aliqđ veri nouũ ac ſuũ ex renunciatione ſenſuũ: ad id ꝓſtandum nõ ſufficere initiũ illud, quodlibet, vel eſt, vel non eſt: quaq; tãdẽ ſit vtilitas eius initij.

1. IAm in viam redeo. Hæc explicatio ab omni mendaciorum accuſatione ſenſus abſoluit. Difficilior tamen cauſa mihi dicenda iam ſupereſt, hoc eſt, Pro eo veræ cognitionis auctario, vt ita dicam, quod ſupra ſenſuum notitiam animus per induſtriam ratiocinationis apponit de ſuo in extructione diſciplinarum. Qua de re fateor ea fuiſſe à te obiecta, quæ euertunt, non quidem omnem ſcientiæ perſpicuitatem, vt contendebas, ſed vulgatam rationem, qua hæc perſpicuitas enarratur in ſcholis. Multis perſuaſum eſt, omnia diſciplinarum initia in illa ſuprema capita reuocari; *Quodlibet vel eſt, vel non eſt*; & (quod me iudice tantumdem valet) *fieri non poteſt, idem ſimul eſſe, & non eſſe*: ita vt gemina hæc principia tamquam Protei gemini ſint; at non præſtigiatores, ſed in omnem veritatis faciem commutabiles; & veluti creta fictori animo parata ad verum quodlibet exprimendum. Sed vereor ne potiùs vt aër ob nimis cedentem mollitudinem nullas in figuras effingi poteſt, ita pronunciata iſthæc ob ſummam facilitatem atque euidentiam ſuam nihil ſint tractabilia & figillaria philoſophantibus. Accipio iſtud primum. *Quodlibet vel eſt, vel non eſt:* Cui annecto hoc alterum dictum experientiâ compertum: *Iulius Cæſar hic in præſentia non eſt*; itaq; remoueo priorem ſuperioris diſiuncti partem. Reliquum erit, vt ex ratione diſiuncti, poſterior eius pars aſciſcatur in conſecutione, ita conficiendo. *Ergo Iulius Cæſar in præſentia non eſt*. Conſecutionem vtique inanem ac nullam, quippe ipſiſſimam, quod inferius argumenti caput, atque adeo nihil negotiantem, nihil vſuræ (quod probæ conſecutionis officium eſt) inferentem. Periculum faciamus in illo alio pronuncia-

2. to: *Fieri nequit, idem ſimul eſſe, & non eſſe*. Subijciatur hæc altera enunciatio, cuius veritatem experientiâ ſentimus; *At Cœlum nunc eſt*. Concludemus porrò ex vi negatæ ſuperioris coniunctionis, vt quando in inferiore capite ſyllogiſmi alterum diſiuncti membrum amplectimur, alterum porrò in conſecutione repudiemus: dicamusque, *ergo Cœlum non non eſt*. At geminata negatio affirmationem ſonat. Ergo hic rurſus conſecutio nihil erit præter inferius caput argumentationis; quando ambæ illæ ennunciationes demum ponent Cœlum eſſe, nihil plus, nihil minus. Quocirca ſupremum illud pronunciatorum par (niſi vnum verius pronunciatum cenſendum eſt) non eam habent fœcunditatem, vt pronunciata illa in argumentationibus aſſumpta infinitam concluſionum progeniem edant, quod plures credidere: ſed aliam, & quidem duplicem omninò, efficacitatem continent.

Altera eſt, vt pronunciata illa tam fideliter ſibi addictum habeant hominis animum, nullâ vt hic violentæ rationis impreſſione adigi poſſit in aſſenſum quempiam, ex quo intelligat ea pronunciata labefactari. Ideoq; mens noſtra concluſionem dialecticè conſtructam inficiari non poteſt, quoniam dialectica vis connexi his ipſis pronunciatis incumbit.

Altera eſt, vt ne per duas quidem diſcretas aſſenſiones liceat humanæ menti

deficere ab his pronunciatis. Ita, poſſum ego vtique præſumere craſtinam ſerenitatem; poſſum pluuiam; cùm veri ſimilitudines forſitan vtraque parte diuidantur; At opinationem vtramque vno tempore complecti, quarum altera ſerenitatem, altera pluuiam diei craſtinæ ominetur, haudquaquam poſſum.

CAPVT XXXI.

Cuiuſmodi eſſe oportet ea principia, quibus nitatur omnis ratiocinatio demonſtrãs rem aliq̃ extra re, eò q alia extet.

ALia quædam proinde eſt vera primæuaq; nobis inſita ſcientia; & ſi fas eſt dicere, pecunia, numero quidem permodica, ſed pretio inæſtimabilis, quam Natura noſtris animis primùm naſcentibus promit; & ex quo viuo reditum ipſi exprimunt tam infinitum, vt fermè cum ſecretis corpore mentibus opulentiâ contendant. Id quantumcumque eſt, ſex omnino initijs atque elementis coactum eſt, ex quibus tota componitur hæc tam multiformis vniuerſitas humanæ ratiocinationis quà phyſicæ, quà moralis, aliud ex alio re diſtincto colligentis. Porrò in quolibet ex hiſce initijs meum erit quatuor demonſtrare. 1.

Primum, cunctis hominibus adeoq; fortaſſe vel belluis initium illud exploratum eſſe; ita vt in eo conſentire, non ſit proprium vnius cuiuſpiam diſciplinæ, aut gentis; Si enim hoc eſſet, vtique dubitari poſſet, ne fortè illud effatum perſeuerantiùs repetitum à viris opinione inclytis cæterorum ingenia captauerit: quæ ingenia deinde (vt accidit) quod conſuetudinis deprauatio eſt, Naturæ informationem arbitrentur; Itaq; demonſtrandum erit mihi omnes indiſcriminatim homines, cœlo, iure, religione, moribus inuicem diſſidentes, quin & mutuò antea incognitos, vnanimes tamen reperiri tum in eo dogmate affirmatè pronunciando, tum in eius ductu fidenter per omnem actionem perſequendo. Id enim ſi obtinuero, patebit, Naturam, communem parentem ac præceptricem, adieciſſe animos ad eiuſmodi aſſenſum, non ſecus ac ſtomachos adiecit ad appetitionem pabuli, atque oculos ad perceptionem lucis.

Alterum in ſingulis hiſce principijs mihi demonſtrandum, erit, ratiocinationes, quas dixi omnes, vtique ſine illorum luce caligaturas: ideoq; proinde factum, vt de ijs nominatim cuncti edocerentur à Natura; quæ non deficit in neceſſarijs.

Tertium, in quo pariter initiorum definitio continetur, erit, non poſſe illa ſex vllo experimento perdiſci; quamobrem, vt ijs erudiremur, peropus fuiſſe nobis, dogmata hæc ex tacitis Naturæ vocibus intus animo canentibus inaudiri. 2.

Poſtremum omnibus iunctim conſideratis oſtendendum hoc omnino eſt: ſatis virium ipſis ineſſe, quibus ratiocinationes vniuerſæ eius generis quas memoraui, certò atque conſtanter innitantur.

In-

1 INcipe. Initium primum eſto. Quælibet noua res non ex ſe erumpit, ſed ab alia cauſa progignitur. Veluti ſi Mundus aliquo tempore incepit, oportet eum ab aliqua cauſa prodijſſe; item ſi Petrus ante quinquaginta annos nullus erat, fatendum eſt, cumprimùm eſt ortus, ab aliqua alia re accepiſſe vt oriretur. CAPVT XXXII. *Quinque prædictorũ ſex principiorũ exponũtur; quatuor quidẽ certa phyſicè, quintum verò certũ moraliter.*

Alterum initium eſto: Ab vna & eadem cauſa (niſi appetitiones voluntatesve fuerint) nouum genus effectorum prodire non poteſt. *Cauſam* hic appello non eam modò, à qua res efficitur, ſed vel eam ſine qua res non efficitur, & cui conditionis nomen fecit recentior Schola: In ſumma eiuſmodi initium eſt, *idem manens idem, ſemper facit idem*; & cauſæ (præterquam aliquæ appetentes) non libertate, ſed neceſſitate producunt.

Iam in vtroque prædictorum principiorum demonſtrabo proprietates illas, quas nuper ſpopondi.

De his vtique principijs neminem addubitantem videmus. Quin potius innata cuique huiuſmodi principiorum euidentia primus eſt tamquam ictus ad philoſophandum. Ita planè. Cùm quotidie noua rerum viſa in ſenſus irrumpant, doceaturq; à Natura mortalium quiſque per duo illa initia iam enarrata, viſum nouum quod ille ſentit prodire ab aliqua noua cauſa, vtique intelligit eam cauſam non eſſe ipſum dumtaxat videntem, aut quid aliud ſemper vniuſmodi; quando viſum illud, & recens ac nouum occurrit, & à voluntatibus appetitionibusq; genere diſtinctum cernitur. Conficit proinde, talem cauſam eſſe aliquid diſtinctum non modò à ſe ipſo, ſed etiam à cauſis diſſimilium viſorum præcedentium. Protinus tum curioſitas excitatur eiuſmodi cauſæ adinueniendæ: id enim curioſitatis nomen ipſum exprimit, vtpote deductum à particula, *cur*, cauſam ſciſcitante.

Accedo ad alteram proprietatem ex illis quatuor, quas mihi demonſtrandas impoſui. Atque aio, neutrum ex duobus memoratis principijs tradi nobis à ſenſu vtpote, cui ipſa efficientiæ ratio vniuerſim incomprehenſa planè eſt, quod egregiè Ariſtoteles vidit. Quamobrem, niſi Natura anticipationes haſce mentibus inſculpſiſſet, per ea quæ ſenſus oſtendit, dubium eſſet credere, vtrum fortè viſa hæc noua ſponte ſua emergerent, vel ſaltem vtrum emanarent inſtar fluuiorum ex nobis ipſis, aut ex alia cauſa numquam immutata: quocirca nè primus quidem gradus hinc porrigi poſſet, vt ad multiplicium exteriorum rerum notitiam procederemus. En quomodo tria priora ex illis quatuor attributis quæ ſpoponderam, in hæc dogmata conueniunt. Nam de poſtremo tum loqui par erit, cùm omnia hæc initia iam explicauero. Inhibuit hìc Saracenus Andream porrò contendentem, illumque ſic prorſus rogauit. Quid eſt cur ex iſto ſecundo pronunciato voluntates excepiſti? *1 poſt. c. 24*

2.

Quoniam, inquit Andreas, naturâ monemur, volendi facultatem liberè agere. Alioquin fatalis quædam neceſſitas premeret vniuerſa; ac proinde

Q 2 quid-

quidquid reipſa non eſt, nec erit, id omnino ne inter poſſibilia quidem eſſet: ſed ita planè ſe haberet vti nunc Centaurus aut Hircoceruus. Ex qua poſitione illico emergeret, conſultationes vniuerſas, quas vtique Naturâ ſuadente vſurpamus, perinde ſuperuacaneas & futiles eſſe, ac ſi nunc fieret conſultatio, num expediat agrum hunc Centauris frequentari. Cùm ergo anticipatio hæc humanis mentibus innaſcatur; multa quæ non ſunt, eſſe poſſe, multa quæ nolumus, in nobis eſſe vt velimus, liquet proinde poſſe nos, dum voluntatem quampiam edimus, aduerſam edere voluntatem, adeoq; liquet volendi facultatem in nobis ea poteſtate vigere, vt varios effectus citra varietatem cauſæ procreare valeat. Quod ſi repugnes, contendaſq; citra mutationem cauſæ, mutari effecta numquam poſſe, ſed volentis facultatis libertatem in eo verſari, vt immutet pro arbitratu ſuo cauſam ipſam; adeoque ex illa nouum effectum eliciat; ſi, inquam, hoc dicas, nihil proficis; ſemper enim recurrit illa mea interrogatio, an iſthæc mutatio cauſæ, dum re ipſa non accidit, poſſibilis tamen ſit. Si neges, igitur negandum erit mutationem illam cauſæ tunc arbitrariam fuiſſe facultati volenti. Sin autem affirmes, continuò ſequitur mutationem ipſam eiuſmodi effectum eſſe, quod prodire potuiſſet ijs planè poſitis, & conſtantibus cauſis, à quibus re ipſa non prodijt.

Hæc ſanè oſtendunt ſuper hoc loco, quid poſſit volendi facultas, ea ſaltem, quæ viget in Deo. Quid autem non tantùm fieri poſſit, ſed re ipſa contingat in ea volendi facultate, quæ ineſt creatis animis, & num hæc aliquando nihil mutata à ſupremo rerum omnium effectore, voluntates tamen ſuas refigat atque immutet; quæſtio eſt inter Theologos ardua; ſuper qua differere non eſt noſtrum. Id planiſſimè conſtat, in omnibus cauſis præter volentes certum eſſe apud omnes mortales initium illud, quod ſecundo loco propoſui.

Tertium verò initium eſto. Si, poſtquam certa res aliqua poſita eſt, cer- 3.
tam aliam rem extitiſſe ſemper experti ſumus, illa huius cauſa fuit. Ita, quoniam tali re aſpectabili (quales viſuntur ignes) tactui admota, ſemper nos comburi ſenſimus; Naturâ certum eſt nobis arbitrari; rem illam aſpectabilem loco propinquam in cauſa eſſe combuſtionis. Neque hominibus modò, ſed etiam belluis initium hoc naturaliter innoteſcit: quocirca manum illam lambunt, qua ſibi admota voluptatis aliquid perceperunt, aliam contra mordent, qua ſibi admota dolore ſunt ictæ. Quippe id eis experimento liquet eiuſdemmodi voluptate aut dolore numquam ſe affectas, niſi aliquo ſibi corpore admoto: adeoque concludunt, quod ſibi corpus poſtremo admotum eſt, id omnino in cauſa fuiſſe voluptatis aut doloris, quem experiuntur. Et porrò ſuper cauſis inueſtigandis multa ſubtiliùs diſtinguenda forent, hoc ſi in loco tamquam incolæ, vt ita dicam, non tamquam viatores verſaremur; ſique audientium perſpicacitas plura depoſceret. Imò verò cùm à Saraceno acceperim, obſeruatum heri à Querengo, non aliam nobis notionem eſſe prioris & po-

Digitized by Google

ſterioris temporis, niſi quòd *prius* cauſa poſterioris eſſe poteſt, effectum eſſe non poteſt; iure interpretor, quidquid ediſſeram hac in re, affatim ab ipſo conſideratione præceptum eſſe.

Hoc item tertium initium ſenſibus latet, vt iudicare licet ex ijs, quæ hoc attributum in ſuperioribus initijs demonſtrarunt. Hoc item neceſſarium eſt ad philoſophandum. Nihil enim habemus extra hoc ad cauſas odorandas. Hoc item à cunctis mortalibus receptum eſt; videmus namque omnes, vel nullo doctore inſtitutos, huic indicio in cauſis aſſignandis indubitanter adhærere. En vobis quomodo ex quatuor attributis, ſuprà memoratis, tria illa, quæ in ſuperioribus initijs comperta ſint, in hoc etiam planè conueniunt.

4. Quartum initium produco. Cauſæ proximæ (volentem facultatem ſemper excipio) ex quibus antea per aſſiduam & maximè conſentientem notationem vidimus, cuiuſdammodi effecta prodire, eiuſdemmodi effecta dabunt etiam in poſterum, vbi non alia diſſimilitudo interueniat, quàm varij temporis aut varij loci. Haud minùs phyſicæ firmitatis atque euidentiæ verſatur in hoc pronunciato, quàm in ſuperioribus, quippe quòd intra Naturæ ordinem fallere numquam poteſt. Exempli gratia fieri nequit, quin hodie in hoc loco flammâ & glacie conſtitutis, alteram quidem calorificam, alteram frigorificam experiamur, vti antea ſemper, & vbique ſumus experti.

Proprietates quidem ſupradictas patefacere ſuperſedeo in hoc quarto pronunciato. Mox enim vbi quintum attulero, eas compendio palam faciam in ambobus vtpote inter ſe arctiſſimè cognatis.

5. Quintum ergo ſic ſtatuo. Effectorum cumulus, quem ſemper antehac procreari vidimus à quopiam vno proximarum cauſarum genere, poſthac etiam ab eiuſdem generis proximis cauſis tantùm procreabitur. Hoc effatum ea duntaxat firmitate viget, quam *moralem* vocant. Vt enim Saracenus Pyrrhoniam cauſam propugnans argutè monſtrauit; nihil prohibet proprietatem aliquam inuentam nobis hucuſque in vnâ modò rerum claſſe, poſtmodum diuerſis quoque rebus communem reperiri. Nihilo tamen minùs ſi effectorum vel proprietatum aceruum aliquem conſideremus, quem aceruum frequens experientia omnium gentium nobis cognitarum ex vniuſmodi tantùm cauſis profectum nouit, numquam poſtea contigerit, vt ex differentibus cauſis eumdem aceruum naſci comperiamus.

Iam præſtat aperire in hiſce duobus initijs, quas prædixi proprietates. Et ſanè quod ſpectat ad priores duas illarum, ſcilicet initia illa & apud omnes indubia eſſe, & ad viuendum neceſſaria. Conſtat eiuſmodi præiudicijs vel ipſas belluas inſtructas eſſe, idq; peropus fuiſſe vt ipſæ ex confectis experimentis conijcerent conſociata in ſingulis caſibus ſenſilia illa alium atque alium ſenſum cientia, quorum ſenſilium antea ſocietatem ſemper deprehenderunt. Per hanc enim vnam informationem greſſus ac motiones cæteras vtiliter moderantur;

Digitized by Google

rantur; per hanc eamdem ex moleſtia vel voluptate, quas certis belluarum motibus homo frequenter ſubijciat, eoſdem illæ motus factitare vel prætermittere, atque adeo nobis obſequi condoceſiunt; ſimilem ſcilicet quà voluptatem, quà moleſtiam ex eiuſmodi motibus in poſterum præſumentes. Hæc nimirum ars ea eſt, quæ

Perſ. in Proëm.

Expediuit pſittaco ſuum Χαῖρε,
Picaſq; docuit noſtra verba conari.

Ea, inquam, ars Florentiæ pedes equorum muſicis legibus morigeros fecit; eademq; ab exhibito pabulo continere iuſſit famelicum canem Arlotto relictum ab amico, vt in Italicis fabellis lectitatur. Ipſæ tamen belluæ, (quæ brutæ cognitionis infirmitas eſt) crebro hallucinantur in vſu innati huius præiudicij; quippe nec diſparitatem circumſtantiarum callidè diſpicientes, nec adeo vel liberas cauſas, vel neceſſarias. Quare, ſi quidem aliqua ratiocinatione vtuntur, ea certè nec firmiſſima eſt, nec extra diſcrimen erroris; quemadmodum homini datur.

De hoc pariter initio (tertiam in eo proprietatem euinco) nihil exterior ſenſus tradere poterat. Senſui quidem incomperta planè ſunt, quæcumque inexperta; qualia ſunt alia res, aliud tempus, alius locus. Niſi ergo naturâ nobis declaratum eſſet, eaſdem cauſas, vel alias præteritarum planè ſimiles, alio etiam tempore aut loco, ſimilium pariter effectorum feraces fore, necnon eos quos intuemur nunc effectorum aceruos, quorum planè conſimiles antehac à certis cauſis oriri conſpeximus, ex conſimilibus cauſis nunc etiam originem ducere; Niſi, inquam, hac anticipatione Natura nos imbuiſſet, euaneſceret vtique tota inductio; quæ nimirum præteritæ ſolùm experientiæ progenies eſt: & illa naſceretur Saraceni concluſio: à me ignem aliquem intactum proſpiciente affirmari temerè eum eſſe calorificum.

CAPVT XXXIII *Sextum Dogma euidens moraliter atque vniuerſæ actionis lumē*

Enique poſtremum initium quod proferam, haud certiùs conſtat, quàm præcedens. Poteſt enim, vel ſeruatis Naturæ legibus, credentem fruſtrari. Moraliter tamen (quod aiunt) firmum eſt; vitæque noſtræ gubernandæ neceſſarium, non modò proficiens. Id vèrò eſt. *Ab ijſdem cauſis, vel ab alijs, quæ præ cæteris rebus earum cauſarum ſimiles ſunt, efficietur poſthac, adeoq; in præſentia efficitur id ipſum, quod plerumque ab ipſis, vel ab earum ſimillimis effici ad hoc tempus experti ſumus.* Non eſt id, ne intra Naturæ quidem ordinem, ſummè certum, vt prædixi. Siquidem cauſæ, quæ antehac non fuerunt in efficiendo conſtantes (in quas hoc pronunciatum valet) aut liberæ ſunt, ac proinde factitare poterunt crebrò poſthac, quod perrarò antea vſurpauerant; vel neceſſitate ducuntur; & quando conſtantiam non retinuere, argumentum eſt, eas fuiſſe copulatas cum alijs alijſq; circumſtantijs noſtram aciem ſubterfugientibus; ex quibus eam diuerſitatem in efficiendo ſortitæ ſint. Quam-

Quamobrem ſuſpicari licet, eiuſmodi circumſtantias nobis ignotas pendere ex aliqua cauſa libertatis compote, quæ fortaſſe poſtero tempore circumſtantias illas crebriùs copulatura ſit, quàm præterito.

Tamen præiudicium iſthuc reapſe verum inuenitur; quando ipſe Deus in ſacris Litteris denunciauit, id ipſum futurum quod fuit. Hoc autem præiudicio vita quantacumque eſt mortalium dirigitur: Huius præiudicij ſagacitate coniectat Magiſtratuum perſpicacia quid plurimùm facturi ſint populi, aut pauperie preſſi, aut diuitijs circumfluentes, aut iuuentâ feruidi, aut ſenio confecti, itáque in alia atque alia vitæ conditione. Huic præiudicio inhæret quidquid ſuper communibus hominum moribus Philoſophi ſcribunt, quidquid ſuper legum ſanctione Principes conſultant, quidquid Iuriſperiti expendunt in deſignando Magiſtratibus probationum pondere, vt iudicent ea fuiſſe admiſſa, quæ nullâ Iudicibus perceptione, nullo conſectario argumento patuerunt; Denique quidquid Medici, Nautæ, Imperatores, omnes denique opinoſarum artium periti ſibi proponunt, vt facultatum ſuarum decreta conſtituant. Vnus eorum conſiliarius *præteritum* eſt, callidiſſimus futurorum hariolus, qualem heri à vobis eleganter nominatum reſciui.

Ex his, quæ diſſerui, agnoſcere licet in hoc ſexto dogmata duo priora ex attributis antea propoſitis, hoc eſt, tum communem approbationem, tum neceſſitatem. Tertium vtique attributum, videlicet non poſſe id præcedenti experimento probari, per ſe pateſcit. Quandò hoc ipſum dogma id potius adminiculum eſt, quo præterita experientia fulcitur, vt illa quidpiam à ſe diſtinctum retegat nobis.

CAPVT XXXIV

Peculiaris quædã enũciatio ꝓbabilis, quæ ſexto huic Dogmati annexa vniuerſæ vitæ actiones moderatur.

1. HVic deinceps generali pronunciato, quod re numquam fallit, ſubtexunt mortales in ſingulis caſibus, Naturæ pariter inſtinctu, aſſumptionem quamdam lubricam vtique fallacémque, ſed tamen, vt in hac vitæ conditione, percommodam. Ea eſt. *In hoc euentu contingit*, ſeu *continget, quod frequentiùs, non quod rariùs fit.* Ratio autem ſic ominandi hæc omnino eſt. Quoties conſtat, rem aliquam contineri in altero ex duobus aceruis numero inter ſe diſparibus, inſita quadam coniectura rem illam aceruo maiori aſſignamus. Atque ad hanc normam iudicantur à Magiſtratibus omnes inæqualitates, atque adeo iniquitates, quæ in ludis cæteríſque ſponſionibus incertis admitti ſolent. Ne multa; hoc vnum eſt vniuerſæ probabilitatis fundamentum. Nempe ipſum probabile ſæpiùs definitur ab Ariſtotele: *Quod plerumque contingit.*

Lubricum eſt, vt dixi, genus hoc arbitrandi. Quod enim plerumque fit, aliquando etiam non fit; quare tunc quidem falſus erit, qui ad eam coniecturam fuerit interpretatus. Adeóq; de ſingulis euentis non patentibus aliunde ſuſpicioſum eſt, euentus-ne ille ex frequentioribus, an ex rarioribus fuerit.

Ni-

Nihilo ſeciùs, quoniam negatur mortalibus certior aliqua futurorum prænotio, perpulit eos Natura ad hanc doctrinam non aſpernandæ diuinationis, ex qua doctrina præuidebat, veritatis plus quàm fallaciæ in coniectando, vtilitatis plus quàm incommodi in agendo nobis emerſurum. Ita ſe res habet. Prudens ille tandem in prædicendo cenſetur, qui examinatis omnibus circumſtantijs talem ſucceſſum vaticinatur, qualem eiuſmodi circumſtantiæ plurimùm afferunt. Nec ſecus ille demum prudens in agendo vocatur, qui ex deliberationibus ſibi arbitrarijs eas deligere conſueuit, vnde crebriùs exoptatum ab ſe bonum elici ſolet.

Caput XXXV. *Defenduntur ſuperiora dogmata aduerſus argumenta Scepticorum.*

Ecce vobis vniuerſa Dialectice, ſeu etiam Topice inſeruiens tum euidentibus, tum coniecturalibus diſciplinis. Pro cuius Dialectices abſoluta explicatione relinquitur, vt oſtendam, quod poſtremo loco me oſtenſurum promiſi, ea ſex initia totidem eſſe tamquam rotas, per quas ratio noſtra tutò quacumque diſcurrit: ſcilicet hiſce initijs contineri quaſcumque communes argumentorum ſedes ac locos à Natura nobis præmonſtratos, quorum ope rem aliam ex alia diſtincta rite concludamus. Sed antequam id facio, expedit diſſoluere Scepticarum quarundam rationum à Saraceno expoſitarum nodos. Ni enim illis me antea extricauerim, haud ita planè comprobare poſſem ex hiſce initijs firmitudinem concluſionum tum ſpectatiuarum, tum actuoſarum; quarum ille plures ad perpetuas vtique tenebras damnare contendit; eaſq; inprimis quæ tamquam ſydera ſunt humanam ratiocinationem vnicè dirigentia. Scitè ab eo notatum eſt duo eſſe argumentorum noſtrorum ſemina, ſcilicet inſtantem ſenſus experientiam, & vniuerſales enunciationes ex præterita inductione profectas. 1.

Quod ad ſenſus attinet, mendacij iam criminationem purgaui. Sed quoniam ſubieciſti, inconſideratiùs perputari ab vnoquoque homine, earumdem rerum imagines vniuſmodi in ſe, atque in alios incurrere: aio, hac ſuper re, id fortaſſe ambiguum videri de brutis animantibus; præcipuè de ijs, quæ magnam habent à nobis inſtrūmentorum diuerſitatem; at non ita ambiguum de hominibus: idq; ex decretis, à me nuper conſtabilitis concludi.

Id quidem ita conficio. Inuenîmus vtique perſimiles in alijs hominibus ipſas cauſas viſorum nobis occurrentium, ſenſilia videlicet, ac ſentiendi inſtrumenta: quocirca iure hinc interpretamur effectorum quoque ſimilitudinem. Rurſus verò ſimilia inuenîmus effecta eiuſmodi viſorum in reliquis animantibus, atque in nobis ad aſpectum niuis, exempli gratia, vel atramenti: quare meritò conijcimus pariter ſimilitudinem cauſarum; hoc eſt, ſimilem alboris, vel nigroris viſionem, ex qua talia effici experimur in nobis.

Sed vbi hanc poſtremam rationem aſciſco, enimuero ſentio deductum me ad excutiendum alterum ratiocinationis cardinem; inductionem loquor; 2.

quam

Digitized by Google

quam in poſtrema parte Saracenus exagitauit. Planum facio (iuuat inhærere exemplo à te, Saracene, propoſito) planum, inquam, facio per inductionis efficacitatem, corpus illud, quod proſpicio, calefaciens eſſe. Id enim ex decretis iam conſtitutis ita euincitur. Ex innumeris periculis comperi, eiuſmodi ſpeciem, qualem in præſentia eminus video, numquam comparuiſſe in corpore aliquo, quin illud antea calefaciendi vim conceperit; Numquam pariter in corpore aliquo, hac vi amiſſa ſpeciem illam retentam. Ergo tertium ex poſitis initijs concludit, in corporibus illis mihi antehac expertis eiuſmodi vim eiuſmodi pariter ſpeciei effectricem fuiſſe. Hoc autem poſito, rurſus ex quinto capite percipimus nunc pariter ſpeciem conſimilem, quam intueor (quæq; plurium effectorum aceruus eſt, nempe lucis, coloris, figuræ) à conſimili cauſa pendere.

3. Neque verò quarti dogmatis euidentiam obſcurant vmbræ à te ſolerter offuſæ. Quod ſanè dogma erat huiuſmodi. *Proxima omnes cauſa, præter volentem facultatem, ex quibus antehac ſemper effecta quædam experti ſumus, eiuſdemmodi effecta etiam in poſterum dabunt, dum alia diſſimilitudo non interueniat, quàm loci ac temporis.* Aiebas: Crocodilus, vnus animalium omnium inferiorem maxillam ciet; Quiſquis ergo ignarus Crocodili eo dogmate in philoſophando nixus eſſet; is vtique perperam aſſeueraſſet de Crocodili maxillis idipſum, quod in cæteris animantibus experimento notauerat.

Verumtamen exemplum iſthuc huius dogmatis veritatem nihil vitiat. Siquidem multiplici ratione tum ab experimentis, tum ſimul à prædictis Naturæ anticipationibus petitâ conſtat, cauſam proximam huius aut illius motionis in animantibus non animam modò eſſe, ſed etiam corporis ac membrorum conſtitutionem. Itaq; cùm aliud atque aliud animal tantam inter ſe corporis ac membrorum, atque adeo motionum differentiam præferant, nihil ex decreto à me conſtituto concludi poterat, cur inficiaremur ex aliqua peculiari membrorum fabrica certum animal reperiri poſſe in hoc itidem motionis genere diſſimile cæterorum. Fateor quidem, ante id in crocodilo perpectum, longè probabiliùs de ipſo crocodilo fuiſſe quod falſum, quàm quod verum: ex vtraque ſcilicet poſtremi dogmatis parte, ex quibus vniuerſim credibilius fit, perinde vſuvenire in vnoquoque caſu aliunde ignoto ſicut plerumque vſuvenit in cæteris, quæ præcipuam cum caſu illo circumſtantiarum vnitatem præferunt.

4. Nec magis verba, quæ pſittacis tantùm ac picis extra hominem articulantur, quintum dogma perturbant: id eſt: *Si effectorum certa congeries diuturno periculo ſemper inuenta ſit in vna ſolitariè cauſarum forma, vbicumque ſimiles congeries deprehenduntur ſimilem ibi cauſam certò indicari.* Haud repugno, ſi cuipiam ex nobis nulla cognitio fuiſſet loquentium belluarum, quas finge alio ex Orbe primùm aduectas, & huic homini earum loquela, ipſis in-

aſpectis, exaudiretur, vehementiſſima probabilitate ab eo loquutores illos homines non belluas iudicatum iri. Verumtamen haud quæcumque volui ad illud effatum extra probabilitatis aleam in ſcientiæ ſtabilitate locandum, ea omnia in eo caſu comperiret, quiſquis ita iudicaret. Nimirum reliqua experimenta per tertij capitis efficacitatem, addocent nos, proximam cauſam humanæ loquelæ motionem eſſe quorumdam membrorum, eamq; cieri ex præſcripto appetentis facultatis, cui tum in homine, tum in belluis nerui cerebro inhærentes, in eiuſmodi membrorum motibus peragendis obſequuntur. Quemadmodum ergo expertum eſt nobis, belluas quoque dociles eſſe ad complures artificioſas hominum motiones imitandas, ita non fuiſſet tunc quidem prorſus inopinabile; hanc item peculiarem motionis formam belluæ cuipiam imitabilem fore: præcipuè cùm ouium balatus, aliæquè brutarum vocum patefaciant eſſe beſtiarum nonnullas, quæ inſtrumentis munitæ ſint ad aliquas humanarum ſyllabarum efferendas. Quid ni ergo ſuſpicari liceret, belluarum quampiam ea inſtrumenta ſortitam, quæ omnes, non aliquas tantùm ſyllabas ex noſtris expedirent?

Vultis, oſtendam hoc diſcrimen inter meram coniunctionem, qualis 5.
tunc obſeruari potuiſſet loquelæ à natura humanæ, atque inter veram & proximam efficientiam, quo diſcrimine quartum iuxtà ac quintum dogma ab aduerſis protexi, non à me dolo malo confictum ad veritatem eludendam, ſed ab ipſa præceptrice Natura mentibus noſtris impreſſum? Nullum genus animantium nobis compertum eſt, quod ferrum concoquat præter ſtruthiocamelum (ponamus hîc vtique vt verum, quod de illo vulgatum eſt) æquè ac nullum genus corporum, quod ſuopte ingenio in diuerſa gradiatur, præter animal. Iam animo penditote, vtrum naturâ tantumdem tenuatis ſuſpicari aliud quoddam animal ferro paſtum præter ſtruthiocamelum, atque aliud quoddam corpus in diuerſa deambulatis præter animal. Haud opinor, ſed illud ſuperius minus repugnanter cogitabitis; neque aliam ob rem, niſi quia varius inceſſus, vt experimenta præterita nobis aperiunt, propinquum effectorem habet appetitum ſenſus participem, itáque id ipſum tandem quo *animal* definitur. At ferri concoctionem proximè perficit ſtomachi & natiui caloris robur; quo robore haudquaquam ſtruthiocameli notio continetur; & quo vti abundant nonnullæ animantes, cætera ſtruthiocameli diſſimillimæ, ita nihil cuincit, nullam animantem inueniri poſſe, quæ ab eodem alioqui diuerſa in hac vna proprietate ſtruthiocamelum omnino exæquet.

CAPVT XXXVI

Cõprobatur, prædicta initia ſatis valere ad firmitatem concluſionum, quæ petuntur ab inductione; & quinam ſit tutus inductionis vſurpandæ modus.

ASſertâ iam eiuſmodi dogmatum veritate, proximum eſt, vt opportuni- 1.
tatem eorum oſtendam: vt liberem fidem meam ab ea ſponſione non adhuc impleta, qua promiſi, me demonſtraturum ſatis virium ineſſe conſti-

tutis

tutis à me principijs ad ritè philoſophandum & concludendum. Obijciebas. Concluſiones noſtræ vni adhærent inductioni: at per inductionem dialecticè concludi non poteſt. Cùm enim expertum ſit mihi, hanc ſingularem rem ſic aſpectabilem, quam in præſentia proſpicio calorificam eſſe, quî poſſum ante omnem concluſionem infinitè id de omnibus rebus ita ſpectabilibus ſumere; idque tamquam primum ac ratum ponere, vtpote argumenti caput: quando caput illud ſic vniuersè pronunciatum includit hanc ipſam rem adhuc inexploratam, & in concluſione patefaciendam? Et quidem ratio iſthæc planè demonſtrat, inductionis operam non eam eſſe, quam plures comminiſcuntur.

Aio igitur primùm, ſubuereri me, ne non verè concluſionis perſpicuitas Dialecticâ formulâ indigeat. Nam ex vna parte noſtris animis non eſt inconceſſum vniuersè citra dialecticam formulam ratiocinari. Quando ipſe Ariſtoteles ratiocinationem bipartito cernens, alteram vocat *ſignum*, in qua, vel poſitis ijs, quæ ſumuntur, falſum aliquid includi poteſt; alteram *argumentum* vel *ſyllogiſmum* appellat, in qua id vniuersè qualibet de re propoſita valet, vt ſi duo capita vera ſint, tertium quod conſequitur, neceſſariò ſit verum. Nec item ex alia parte peculiaris vlla ratio demonſtrat, perſpicuæ ſaltem ratiocinationis proprium eſſe, vt ei debeatur. Cur enim nequeat hæc perſpicuitas non tam ex concluſionis formula, quàm ex materia ipſa deriuari? Ita ſiquidem nulla eſt formula ſic bellè rem ſubiectam, & rem affirmatam copulandi in quapiam enunciatione, vt enunciationes cunctæ in hunc modum conformatæ ſint euidentes. Sed ipſa aliorum, aliorúmque copulatorum notio, ac natura enunciationi euidentiam vel offundit, vel adimit. Veluti ſi affirmauero: *quiſquis videt, ſentit*, hæc affirmatio non ex vlla formulæ ſtructura, ſed ex materia ipſa nanciſcitur euidentiam. Quid ni ergo ſimiliter hæc vna enunciatio: *Petrus videt*, hanc aliam poſt ſe perſpicuam deducat; *Igitur ſentit*: non quia vis perſpicua connexi ſit in formula, ſed in materie? Et verò ſi exteriores voces indicare poſſunt (vt videntur poſſe) quaſnam interiores cogitationes effingi à nobis conſuetum ſit, vix inficiari quis poterit, id quod ipſe dubitanter enunciaui. Etenim non modò in familiari ſermone, non modò in concionibus oratorum, quemlibet perſuaſionis illicem ſolerter aucupantium, videmus vſitatiſſimas concluſiones duplici tantùm enunciatione conſtantes, quibus proprium enthymematis nomen fecere Scholaſtici, rarenter verò vſurpatos ſyllogiſmos ad dialecticam formulam; ſed ipſe Ariſtoteles alijque Doctores diſciplinarum, quæ vim in docendo afferunt, illam concludendi formam præ iſta frequenter torquent. Iſta nempe vix in alium vſum adhibetur, quàm vt in litterarijs Theatris conſtringantur concertantium non tam animi, quàm linguæ, non veritati, ſed oſtentationi belligerantes. 1 Rhet. c. 2

Sed ex Dialecticorum cautibus nimis vtique ſcrupuloſis ac triſtibus enauigare

nigare feſtinemus. Sit maximè, ſi placet, formula ſyllogiſmi perinde neceſſaria ad imprimendam ſcientiam, ac forma Baptiſmi ad imprimendum Religionis characterem; Leuis negotij fuerit excogitare quî ea ipſa formula per inductionem haberi poſſit. Age: in exemplo à te allato ſic ratiocinari licet. *Quæcumque in tactione commouendâ conueniunt, cum ijs quorum memini ſimilium aſpectu iſti rei, quam cerno, ſunt calorifica.* Ecce primum dialectici argumenti caput ſua ſponte manifeſtum. Subiunge aliud ſic: *Res iſta, quam cerno, conuenit prædictis in commouenda tactione:* quæ aſſumptio perſpicuè naſcitur ex tertio, quarto, quintoq; dogmate à me ſtabilitis. Iam dialectica conſecutio in promptu eſt, vt vides. 3

Et ſanè induſtria illa, per quam proximi argumenti ſuperius caput effinxi, tutio aptiſſima eſt aduerſus interrogationem valde importunam, quà vrgebas, quo iure ſic omnem obliuionis meæ dubitationem abſterſerim, vt certò confirmem talia mihi ſemper experimenta obueniſſe, qualia ſumo ad inductionem extruendam. Audiſti namque me ita poſuiſſe caput illud ſuperius dialectici ſyllogiſmi. *Quæcumque in permouenda tactione conueniunt cum rebus ſpectabilibus, quarum memini huic rei aſpectu ſimilium, ſunt calorifica.* Præterea ex præſenti recordatione plurimorum eiuſdemmodi fas eſt mihi ex poſitis iam pronunciatis certò inficiari meam obliuionem talis experimenti. Sentio enim haudquaquam mihi excidiſſe caſus nec tempore viciniores, nec admirabilitate memorabiliores, quàm forent caſus illi repugnantes huic inductioni, quos tu non inopinabiles eſſe contendis. Item memini alio atque alio tempore conſtantiam ſemper mihi fuiſſe in hac eadem aſſenſione, qua pernegabam tale aliquid mihi vmquam expertum. Accedit, quod neminem vnum inuenio ex antiquis Sodalibus meis, qui aliquos eiuſmodi ſucceſſus mihi tamquam oblito reuocet in mentem, imò verò ne qui eos vmquam ſibi occurriſſe teſtetur. Quapropter ex innatis prænotionibus à me antè conſtabilitis natura permouetur ad aſſeuerandum, nihil tale mihi vllo tempore accidiſſe. 4

CAPVT XXXVII. *Diluũtur Scepticorum argumenta aduerſus Ethicen & aduerſus humanæ prudentiæ conſultationes.*

DEſinet iam oratio mea in refutationem eorum, quæ à Scepticis nominatim aduerſus Ethicen intentantur, aſpernantibus videlicet, tamquam inanem, curam omnem ad bona vel mala internoſcenda. Et quidem Scepticæ rationes agitant modò inueſtigationem eorum bonorum, quæ media ſunt. Vti mediæ quippe adhibentur leges & conſuetudines, ſuper quibus adeo diſconuenit inter mortales. In finibus, imò & in quibuſdam medijs finem è propinquo ſpectantibus, eximia concordia eſt. Vota ſingulorum ſunt vitæ longinquitas, gloria, iucunditas, *ſapere & fari*, (quod ille ait) amabilitas, lepor, aliaq; huiuſcemodi; ſi modò eiuſmodi bonorum dulcedo nullius conſequentis mali vitio coaceſcat. Cùm igitur à nobis in præſens eorum bonorum diuiſio quæratur, quæ ſunt extrema, vt ſapienter Querengus propoſuit, habent hîc 1

vni-

Digitized by Google

vniuerſa Scepticorum tela. Sed quando hæc dilatoria non peremptoria exceptio eſſet (vt cum cauſidicis loquar) mox enim ſequitur, vt ſuper ijs etiam bonis, quæ media ſunt, inquiratis, eam vtique exceptionem repudio?

2. Quid verò? Certantne Sceptici tandem per iſthæc argumenta id vnum colligere, in meridiana luce morales quæſtiones humanasque deliberationes non eſſe poſitas? Ecquis vnquam id affirmauit? Ariſtoteles quidem omnium exertiſſimè id negat; quin peræquè Philoſophos perſpicuitatem iſtam in Ethicee quæritantes, atque in Mathematicis probabilitate contentos reprehendit. An, ſi Deo placet, id præterea Sceptici luctantur, vt conſultationes notationesque vniuerſas tamquam vanas ac nihili expungant? Tamen ne non intelligant inconſtanter, adeoq; repugnanter idipſum à ſe contendi? Ain tu, Sexte, viuendum eſſe ad normam communis vitæ? Quid ſibi vult iſtuc; niſi perinde agendum eſſe, ac plerique agunt? Ecce verò iam te ſuffragia multitudinis in conſultationes tuas aduocantem. Et quæ de Seneca retulit Saracenus: *Non tam fœliciter cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant. Argumentum peſſimi turba eſt*, pampinos vocarem ambitioſæ iuxtà infructuoſæque eloquentiæ, & quidem peruenuſtos pro illius Auctoris more: quos ille pampinos, vt ſententiarum pompam expanderet, nil curauit ſeucrioris Philoſophiæ ſpatulo caſtigare. Scilicet alia longè ſunt, quæ opere mortales agunt, alia quæ iudicio probant. In agendo quidem ſæpe voluptati ſe dedunt, à virtute rebellantes: at in iudicando probandóq; plerumque meliora præferunt. Certè ſermonis arbitrium in populo eſt; hic ſi communiter non bonam, ſed prauam virtutem crederet, prauam vtique illam non bonam, vitium non virtutem appellaret.

3. At maior pars mortalium barbarè viuit. Barbariemne vocitas defectum cultus cuiuſpiam, aut patrio illorum Cœlo inconceſſi, aut accolis ignoti; an ſuper hæc ad appellationem iſtam requiris neglectum bonorum illis gentibus parabilium, notorúmque?

Illud primum nihil ad rem. Nec enim alijs gentibus diſſentimus, cùm id facimus, quod ſi etiam ipſis pateret ac liceret, ipſæ pariter facerent.

Hoc verò ſecundum barbariæ genus in pleriſque humanarum gentium reperiri prorſus, inficior. Natio quælibet ex Naturæ artisve muneribus ſibi exploratis nauiter exprimere ſolet optima, quæ nouit ad bene beatéque viuendum.

Deerrant, ais, in quibuſdam peruerſis legibus. Deerrant quidem. Sed quantò nocentiùs deerrarent, quantò grauioribus ærumnis vitam obijcerent; ſi qualibet conſultatione, quolibet rationum examine contempto, quando imperſpicuum eſt quid magis expediat, exleges ac temerè victitarent? Teſtantur profectò id ſatis ſupérq; per vaſtitatem ac luctum ſuum Regiones illæ, quæ vel hoſtibus vel latronibus vexantur; vbi tamen haud omnia, ſed ſanè perpauca

Digitized by Google

pauca extra omnem legis præſcriptionem admittuntur. Quid tum, ſi quælibet planè lex exterminaretur? An non ſocietas, iuſtitia, ſecuritas funditus interirent? Cunctis vtique feris homo infortunatior viueret; ſi in vita moderanda normam illam abijceret, quàm alia ope Natura vtcumque ſupplet in feris, hoc eſt, ſi omnem inſitæ rationis præceptionem aſpernaretur.

Procedamus porrò. Si ad communem vitam te te effinxeris, quid eſt quod ad Sapientum placita non te debeas effingere? Scilicet in communi vita id ipſum homines faciunt. Et verò, Sexte, dum ægrotabas, ſequebaris necne ſequebaris, medici opinationem? Si tibi domus exædificanda fuerat, nonne ad architecti, fabrorumq; ſententiam cuncta reijciebas? Reſpuebaſne agricolarum monita in prædijs conſerendis? Ergo te componebas ad opinionem Sapientum ijs in rebus, quarum habebant quiſque ſapientiam. Et prudenter quidem. Alias videlicet, neque humorum vitioſitatem opportunè purgaſſes; nec ædificium perſtitiſſet; nec ex prædio ſegetem collegiſſes. 4.

Vrges; hi etiam, qui ſapiunt, ſæpe falluntur. Quid intelligis dum *ſæpe* ais? Sæpiuſne quàm eiuſce artis ignari? minimè verò, vti experientia luculentiſſimâ conſtat: Alioquin illi, qui Sapientes dicuntur, nec in pretio eſſent, nec pretio tributo conſulerentur, nec imperium gererent vti gerunt, vel in Reges de ijs, quæ ſuæ artis ſunt, quod Plato demonſtrat. Homo quippe animal ſuperbiſſimum eſt, nec niſi perinuitus cuiquam ſapientiâ decedit.

in Lyſide.

Quod ſi horum errata rariora ſunt, quàm errata reliquæ turbæ; En diſcuſſum illud aliud ſophiſma, quo ita colligebas. Cùm verum in ancipiti lateat, lateat pariter neceſſe eſt quinam ſint *Sapientes*, quod nomen perinde ſonat ac *veri exiſtimatores*. Itane verò? Vtique non omne verum cæcum eſt; quando & exactos euentus experientia ipſa retexit, & multa ex inſtantibus veris vulgò abditis, ratio ipſa in perſpicaciorum notitiam infert. Quamobrem illi pleno iure Sapientes ſalutantur, quorum prænunciationes frequenter collimaſſe ab exitu docemur, quiq; præ alijs hominibus euoluere ſolent quædam vera populo inuoluta.

CAPVT XXXVIII. *Quàti faciẽda ſit Philoſophorũ ſententia, & quantum emolumẽti attulerit Philoſophia.*

DO tibi fuiſſe quoſdam Anaxagoræ, Meliſſi, aliorumque veterum lapſus Platoni deprehenſos, tum quoſdam Platonis Ariſtoteli; demum Ariſtotelem ipſum ab Anatome, ab Aſtrologia, ab Theologia iure alicubi caſtigatum. Sed hæc, rogo, quota pars eſſent fruſtrationum, quas in rudibus hominibus illorum Sapientum æqualibus cerneremus, horum ſi rudium exactas cogitationes paginæ loquerentur. Eos ego rudes hîc intelligo, qui rentur montes Lunam pertingere, noctu Cœlum æquè ac Terram infuſcari: ignem, dum noſtros fugit obtutus, in nihilum verti; ſpatium iſtud tenue, quod in conſpectum non cadit, omni corpore vacare; atque alia etiam abſurdiora, quæ aut vulgò creduntur, aut certè crederentur, niSapientum teſtificatio reſtitiſſet. 1.

Scio-

2. Scioli ſanè aliqui Philoſophiam cauillantur quaſi inſciam pariter atque inutilem; credo, quia neſcit ſidera ſupremi Orbis certo numero commetiri, aut Dædalos in æthere peruolitantes extollere. Nimirum quia proprietates quaſdam rerum ab ipſa Natura occultatas adhuc inueſtigatione non penetrat, ceu quadratum, quo circulus planiſſimè coæquetur; ſimul quia quædam humanæ audaciæ vota inuentione non explet, ceu motionem artificioſam, eamdémque perpetuam. Quorum ego ſanè vtrumque vereor ne non magis ſcitu hominum intelligentiam quàm effectu Naturæ ſuperet facultatem. Atque interim nihil reputant faſtidioſi iſti Philoſophiæ contemptores, eiuſdem Philoſophiæ munere homunculum pauculis circumſcriptum vitę annis, paucioribus concluſum ſtaturæ palmis certò vaticinari Solis ac ſtellarum greſſus, tot ab eo, vt ita dicam, intermundijs remotarum; nec minus certò ex multiplicium indiciorum obſeruatione prænoſſe in Cœlo, in elementis, in plantis, in omni denique vniuerſitatis infinitate partem haud modicam futurorum. Nihil reputant, vnius Philoſophiæ inuenta propemodum eſſe artes omnes, quæ aut neceſſitati ſeruiunt, aut voluptati blandiuntur: ab ipſius denique Philoſophiæ manibus diadema impoſitum hominis fronti, quo animantium Princeps, Terræqúe dominus coronaretur. At fortaſſe in animum induxerunt ſuum, Philoſophiam codicibus tantùm, lyceóque contineri, ignorantes eam haud minus ad officinas, atque arua diſtendi: Neque intelligentes illam haud illorum ingenijs vnicè inſidere, qui fermè inſtar magorum verbis quibuſdam non obſcurioribus, quàm horridioribus ſingularis ſapientiæ nomen cauponantur.

3. Fortaſſe impoſterum, ais, plura, in quibus nunc hallucinamur, agnoſcentur. Plura ſimpliciter, nil reſiſto. Verum pauculos vtique ſcientiorum lapſus comparatè ad rudiorum lapſus poſteri deprehendent. Igitur, cæteris paribus, vt rariùs nos labi contingat, Sapientiorum ſententiam ſectari præſtabit, quàm aſpernari.

Himetipſi, clamas, inuicem diſcrepant. Pluribus te adijce, aut certè ijs, quos rariùs falſos comperiſti.

Vnus atque idem homo pro attributorum varietate ſententiâ vertitur. Falſum eſt. Communiter deliberationem vertit, ſententiam retinet. Nec enim conſultiùs videtur ægro gelidâ ſeipſum perdere, quàm perbreui ſiti vitam ſalutémq; redimere; neque id vt facerent, æger ille natis ſuis ægrotantibus auctor eſſet: ſed cùm aliud ei cupido, aliud ratio ſuadeat, videt probátq; meliora, à deterioribus rapitur. Hæc ſanè ita ſe habent; Verumtamen do tibi vt

4. vis id quod re deterius eſt, ab ægro tunc quidem æſtimatione præhaberi. Non continuò ſequitur illud alterum, quod colligebas, ſcilicet ægrum illum idoneum Iudicem eſſe tunc non minus, ac dum ſanitate vigeret. Cedo mihi, poſſetne inter duos nummos exuperantiam magnitudinis dijudicare is, qui alterum eorum nummorum aſpiceret iuuenili conſpicilio res aſpectas imminuente,

nuente, alterum ſenili eaſdem amplificante? Ita nimirum ſe habet ægrotus, & demum quicumque animi perturbationibus æſtuat. Is quidem perſpicilio res contrahente proſpicit bona, vel mala poſteri temporis; contrà perſpicilio res grandiente intuetur inſtantem dolorem, aut voluptatem. Et dubitemus quin eius oculo dijudicante vera inſtantium tenuitas veram futurorum amplitudinem obruat? Hinc ſcitè Ariſtoteles, animum aut ætate, aut moribus efferueſcentem non facere ad moralem Philoſophiam, vtpote quæ tota eſt in commetiendis ſubtiliter inter ſe quà bonis, quà malis.

1. Eth. c. 3

CAPVT XXXIX

Repugnātia legum editarum à diuerſis legũ cōditorib. non probat per humana prudētia vim bona & mala internoſci non poſſe. Et abſoluitur hic locus.

1. Certè, inſtas, dandum erit deeſſe mortalibus notam aliquam, quæ ſit probitatis index inter contraria ſcita, quæ à varijs, & famâ inclytis legum latoribus edita ſunt, varijsq; populis vſurpata. Quin, potiùs explora quænam illarum legum diu vixerint, quæ breui ceciderint; quibuſnam experimentum ipſum adſtipulatum ſit tamquam ſalutaribus, quibusve refragatum ſit ceu detrimentoſis; Quarum vſus dominetur in ijs populis vbi patriam nolles; quarum in ijs à quibus reliquæ nationes doctrinam ad ſe corriuare non dedignantur; quiq; tum tibi, tum famæ habentur cæteris gentibus fœliciores. Hæc omnia ſi ritè deputaueris, ea vtique dubium excutient, an permittenda ſint furta, parricidia, atque Antropophagorum dapes.

2. Ad hæc, ſcito nullum eſſe legum poſitorem adeo abſurdum, quin maiori ex parte in ſanctionibus ſuis paulò grauioribus, & ad vſum frequentiùs recurrentibus cum vſitatis aliorum legibus planè cohæreat. Id confirmare longiùs foret. Sed malo duo alia præter vulgarem opinionem ſubijcere, vt conſtet quanti aliorum hominum aſſeueratio facienda ſit. Nemo eſt quantumuis ineruditus, quin pleriſque aſſenſionibus ſuis verum teneat. Si enim ſecus alicui eueniret, obeſſet huic iudicij vſus: quippe vitioſius eſt decipi, quàm non iudicare. Item nemo eſt, quantumuis mendax, quin plerumque verum loquatur. Aliàs fruſtra huic eſſet ſermonis vſus, vtpote datus eâ gratiâ, vt audientes, quod loquimur, credant; nec vtique credent niſi videant loquentis aſſeuerationem plerumque veritati cohærere. Sed hac in re ſimiliter accidit, ac illud quod animaduertit Scaliger in Cardanum; hoc eſt, cæcos alioſque turpi aliqua oris notâ inſignes haud eſſe præ cæteris prauos, ſed eos præ cæteris obſeruari, quia pauciores atque inſignitè conſpicuos. Ita pariter in vnoquoque mortalium errores, ac mentitiones notantur, veræ aſſenſiones atque affirmationes negliguntur; vtpote quid & numero magis vulgare, & materiâ communiter minus notabile.

3. Neque tamen vni auctoritati mancipatam famulariter volo mortalium & mentem & vitam. Certè opus eſt, in vnaquaque re aliquos exiſtere, qui non auctoritate, ſed ſola ratione ducantur, ne alioqui aſcendamus aut circumvoluamur in infinitum, nec auctoritas ipſa ſuos habeat auctores. Cęteri autem, ſiqui-

ſiquidem ingenio præſtant, raroq; ſe in rerum vel maximè abſtruſarum coniectatione hallucinatos ſenſerunt; rationes itidem par eſt, vt expendant. Quandoquidem ex auctoritate vel plurium, vel ſapientiorum probabilis tantùm naſcitur coniectura, quæ ſanè coniectura illi dogmati adhæret, quod initio Rhetoricæ Ariſtoteles ponit: Hominem, quippe veritati cognoſcendæ natum, plerumque veritatem aſſequi; item, qui ſagaciores reliquis ſunt in probabilitatibus rimandis (hi autem ſapere ſupra alios dicuntur) frequentiùs pariter in verum inuolare. Sed hæc omnis coniectura illi parti fauens, cui auctoritas fauet, eleuari poteſt ex contrario quopiam grauiore, ac probabiliore argumento; quod nimirum eius notæ ſit, vt rariùs quàm coniectura prædicta, fruſtretur. Eo autem euentu conſultiùs fuerit eligere, non tam quod probatiſſimum, quàm quod probabiliſſimum. *Lib. 1. c. 1.*

4. At enim, vel ſi maximè rationes examinem, ſæpe decipiar. Quid iſthuc *ſæpe* ſibi ſignificat; ſæpius quàm optares? fateor. Sed tamen in rebus magis expoſitis & vulgaribus mirum quantò ſæpius collimabis. In abditioribus autem certè ſæpiùs fallereris, ſi rem temeritati permitteres. Age, Pyrrho; Dum aliquò iter aggrederis, nec viam probè calles, num de illa obuios interrogas, an potiùs in qualemcumque temerè te committis? Et tamen obuij illi, nonnumquàm aut inexperti, aut vaniloqui, imponent tibi. Vt vela facias, expectasne proſpera maris indicia? Et tamen hæc indicia dubiæ ſunt fidei. Meſſi, Vindemiæ, Sationi, an non tempus eligis ad quaſdam Cœli obſeruationes, vtique fallaces? Periculum fac, negligendi hæc omnia; & malo tuo intelliges, quantò ſtet humanæ ſapientiæ repudium renunciare, ac dotem qua nos opulentat, abijcere.

5. Ne multa. Sic preſsè concludo. Præſtat rarenter, quàm frequenter decipi in ſelectione mediorum fœlicitati noſtræ conducibilium. At è ſexto ſuperiori dogmate liquet, ſi per aliquas veri ſimilitudines futura conijciamus, minùs frequenter nos deceptum iri. Igitur eiuſmodi veriſimilitudinum melior eſt vſus, quàm neglectus. Neque verò quia non aquilarum aciem nacti ſumus, ideo expedit oculos, quos Natura conceſſit, eruere, ac talparum conditionem ſubire.

Atqui ſentio, me diutiùs profatum, & ſanè mutuò loquentis atque audientium damno. Fraudaui enim vtroſque meliori parte diei hodiernæ, quæ vſquequaque aurea nobis ex Querengi ore fluere debuiſſet. Tibi tamen præcipuè hoc imputa, Saracene. Tu nempe Scepticam importunitatem obuallaſti tam arduis munitionibus, quæ non niſi multa tormentorum impreſſione deijci potuerunt. Tuum erit, Querenge, in pomeridiano colloquio (quando matutinum iam tempus euolauit, & rheda nos Brachianum reuexit) tuum erit, inquam, Dialectices noſtræ dumeta per Ethices tuæ roſas non ſalubriores, quàm ſuauiores hilarare.

S Sanè

Digitized by Google

Sanè Querengus ad hæc, Dialectice, quam explicaſti, nihil dumorum 6.
habuit præter acumen. Haud quidquam aſperum, nec ingratum, niſi forſitan quantum imbecillo puerorum vel mulieroularum palato generoſa & præualida Cretica ſapiunt. Mecum profectò commodiùs ageretur, ſi iam diei exitus collocutionem dirimeret, ne ſcilicet obtemperandi officio compellerer quaſi deturpare præclariſſima ſchemata in noſtris audientium animis à te depicta, ineptè ſuperinductis commentationibus meis, quaſi rudibus informibuſque. Verumtamen nihil tandem ſyderibus nubila fraudi ſunt; Obnubunt quidem tantiſper; ſed breui horum nigrities vaneſcit, perpetuò illorum claritas Cœlo inhæret. Quæ dum dicebantur, currus Arcem introgreſſus philoſophicis diſputationibus inducias fecit.

LIBRI SECVNDI
Pars Poſterior.

CAPVT XL. *Colloquētes diſputationem repetunt. Quid probet, verſari in reb. naturam aliā nō temerè, ſed conſultò agentem.*

POſtquam hoſpites Cardinalem deduxere ad principales Ædium par- 1.
tes, quiſque ad tributas ſibi manſiones digreſſi, haud ita multò pòſt eodem Cardinale iubente ad menſam vocantur, cui eximiam ipſimet lautitiam, eruditos nimirum ſales, inſperſerunt; condimenta vtrique Dynaſtarum penarijs inconceſſa. Remotis menſis duo ex famulis dulcedine vocis egregij actuoſo ſcenicoque tenore concinuerunt eximium carmen Italicum in Deiparæ laudem recèns conſcriptum à Balduino Simonetto, non ſtirpe quàm litteris nobiliore; vtinam & morte. Certabant amicè inter ſe verſiculorum elegantiâ, muſicorum modorum ſolertiâ, cantionis ſuauitate, & ſcilicet argumenti ſanctimonia. Quæ omnia proin rapuere in attentionem, atque adeo admirationem Auditores illos egregios, & cæteroqui aſpernantes fatuum neſcio quod melos, quod vnis auribus famulatur, neque per eos tamquam aditus diuiniorem hominis partem attentat. Poſt cantum ad ſuum quiſque cubiculum denuò digreſſi, & breui ſomno refecti. Tum inuitantur à Cardinali, vt quod diei ſupererat, iterum Cœli tepore, agrorumq; viriditate fruerentur. Omnes ergo rhedam conſcendunt. Nec mora; Cardinalis ita Querengum affatus.

Auidiores profectò ſumus, vt ſapientiæ tuæ fructus deguſtemus auribus, quàm vt herbas floreſq; camporum libemus oculis. Age igitur, atque illinc omnino diſputationem redordire, vbi hoc mane reſtitiſti.

Tum Querengus. Porrò expoſitionem Boni deſumpſimus vniuerſim 2.
ex appetitione Cognoſcentis cuiuſpiam errore vacantis. Iam vt in præſentia explo-

Digitized by Google

exploremus diſtributè, quænam iſthæc bona ſint, exordiamur oportet ab ijs rebus, quæ Naturæ appetuntur: ſimul quia Naturæ appetitio appetitionum prima eſt, ſimul quia eius intelligentia ſummè neſcit errorem.

3. Aliquam verſari in rerum vniuerſitate Naturam, eouſque liquet, vt Ariſtoteles ſecundo libro Phyſicorum deridiculò habuerit, qui hoc demonſtrare certabant, quos videlicet nihil noſcere ait inter res probationis indigas, ac ſua ſponte manifeſtas: quod accommodatiſſimè eſt tum ad ea, quæ Illuſtriſſimus Cardinalis heri diſputauit ſuper Naturæ notitiâ omnes homines peruagante, tum ad illud quartum dogma, quod nobis, cum primùm gigneremur, inſculptum demonſtrauit Andreas: videlicet, cauſas quæ antehac ſemper quandam vniuſmodi efficientiæ rationem exhibuerunt, poſthac itidem ſemper eiuſmodi efficientiam retenturas. Nam hoc ipſo Ariſtoteles caſum à Natura ſecernit. Caſus, inquit, vtpote cauſa nullo fine illecta, non vnum tenorem agendi ſeruat. Sed Natura, quæ ratos conſtiturosq; ſibi fines ſemper intendit, ſemper etiam ea factitat, quæ iam ab initio intellexit, idonea eſſe ad eiuſmodi fines aut ſemper aut plerumque parandos. Nec enim, quæ Naturæ ſapientia eſt, alios ſibi fines propoſuit, quàm per media ſibi conceſſa parabiles. Ideo Natura in medijs quidem adhibendis (hoc eſt, in operationibus) vniuſmodi perpetuò eſt, & in finibus aſſequendis (hoc eſt, in effectis) rarenter ex aliquo fortuito impedimento variat; velut in abortuum aut monſtrorum editione.

Ab hac ergo perſpecta nobis agendi conſtantia Ariſtoteles loco laudato elicit, Naturam alicuius rei gratiâ ac de induſtriâ moliri tum ſingulas animantes quaſi domus, tum vel maximè Vniuerſum, ceu communem Vrbem. Obſeruat ſuper hæc non vno in loco idem Philoſophus, in vtriſque huiuſmodi

4. opificijs Naturam vſquequaque ſimillimam ſe præbere cauſis non temerè, ſed ſtudio agentibus. Quicunque contemplabitur aut Homericam Iliadem, aut ſupremum Iudicium à Michaële Angelo Bonarrota depictum, aut Hieronymianum ſancti Laurentij Regis Cœnobium, num addubitare poterit ne opificia iſthæc incerta temeritas coagmentauerit? Et tamen quid hæc ad ipſam Vniuerſitatis molem aptam partibus adeo multiplicibus, adeo immenſis, adeo conſentaneis, adeo in eodem agendi more conſtantibus? Nimirum igitur anticipatio quædam eſt nobis innata, ſi aliquod conſpiciamus effectorum agmen, quorum cæteroqui non pateat definitè cauſa, talem certè cauſam illam eſſe, qualem alia conſimilia effectorum agmina gignentem ſemper experti ſumus; quod Andreas egregiè conſtabiliuit; Hoc autem admiſſo, cùm experientiâ nunquam vana doceamur, agmina quæcunque ingentia & continua effectorum aptè ordinatimque nexorum conformata eſſe à prudentia cuiuſpiam artificis, non ab imprudenti Caſus temeritate; neceſſe eſt idem certò concludere ſuper cauſa opifice totius Vniuerſitatis; hoc eſt, effecti effectorum

Digitized by Google

omnium maximè ingentis, apti, conſentanei, perpetui. Quomodo igitur 5.
non riſu omnium riſoris Democriti exibiletur figmentum Epicuro probatum
ac Lucretio decantatum; animalia videlicet, plantas, & verò ipſam mundi fa-
bricam ex fortuita concurſione atomorum extitiſſe: quæ quidem atomi ante
hanc rerum ſtructuram per immenſa æterni temporis curricula infinitas planè
alias perſonas ac facies induerint, non minus porrò infinitas diſſimiles poſthac
induituræ in hoc ampliſſimo Inanis Amphitheatro? Plato quidem ſimiliter,
vt nonnullis Platonicorum videtur, ſomniat infinitas haſce Mundi metamor-
phoſes in antecta æternitate confectas: at non eò ſe præcipitat, vt illarum
omnium auctorem Caſum, non Conſilium prædicet. Quaſi verò non appa-
reret, Caſum inertem planè architectum, non dicam pro ædificio tam pul-
chro, tam admirabili, ſed vel pro minuſcula eius particula, qualis eſſet equi
vel hominis conformatio: hanc enim temerarius concurſus rerum extra ratas
atque immutabiles Naturæ leges edidit nunquam. Neque verò quiſquam, o-
Li.2.c.12 pinor, ſinet imponi ſibi à deliramentis quorundam, quos Lactantius refert,
comminiſcentium ſub certis neſcio quibus Cœli conuerſionibus homines
fungorum aut ranunculorum ritu ex agris erumpere. Scilicet quantum noti-
tiæ ab diuturno experimento percipimus, id omne perſuaſionem iſtam pla-
nè condemnat.

CAPUT XLI.

Refutatio argumēti q. profligare creditur Democritū Caſus patronū.

ARgumentum iſtuc, quod vti confeſſum, in Lycæis dominatur (Cardi- 1.
nalis interpellauit) timeo ne non ſpecie ſit, quàm neruo robuſtius; neve
aliunde acceſſire oporteat dogmatis tui alioquin veriſſimi confirmationes.
Audi quid me turbet. Etſi mundum hunc particulæ fortuitò vagantes con-
ſtruxiſſent, non confeſtim inueriſimile fieret ea propemodum omnia contin-
gere, quæ re ipſa contingunt. Ergo quæcunque re ipſa contingunt, non eiuſ-
modi ſunt, quæ temeritati regimen vniuerſitatis abiudicent. Argumenti mei 2.
caput ita confirmo. Si mundum componerent iſtæ atomi fortè diſcurrentes,
certè oporteret eas nunc aliquo vno cogitabilium ordinum contineri. Et verò
ordines iſti ſupra quàm dici queat, plurimi ſunt. Quid enim? Quis noſtrûm
non vidit Proteum Parthenium Erycij Puteani? Porrò ibi octo hæ ipſæ vo-
culæ

Tot tibi ſunt, Virgo, dotes, quot ſydera Cœlo,

viginti duobus ſupra mille (quot omnino ſunt ſpectabilia nobis ſydera vulgò
numerata) variantur poſituris, vſque ſeruantibus hexametri carminis metrum;
præter alias complures, quæ metrum eiuſmodi perturbarent. Iam quot, rogo,
erunt copulationes, quibus variè diſponi poſſent illi Vniuerſitatis laterculi, 3.
quorum decem myriades cuſpidem tenuiſſimæ acus ægrè conſternerent? Sanè
licuit Archimedi præter vulgarem æqualium ſuorum opinionem perpaucis a-
rithmeticis notis affatim comprehendere numerum arenæ, quę ſpatium omne

Lu-

Digitized by Google

Lunam inter ac terram vndique farciret. Tum Clauius notis omnino duabus ſupra quinquaginta docuit, exuperari numerum arenularum adeo ſubtilium, vt earum myrias vnum papaueris ſemen exæquaret; quæ arenulæ vniuerſa mundi ſpatia vſque ad ſuprêmum Cęli Orbem explerent. Vix tamen potuiſſent hi per multa notarum millia complexiones iſtas tam infinitè plures, de quibus loquimur, vtcunque commetiri. Quo fit, vt perquam temerarium fuiſſet, ſi quis ante ipſum experimentum animo præſumpſiſſet vnam aliquam deſignatè ex hiſce innumerabilibus iuncturis exituram ex fortuito atomorum concurſu. Cuius porrò temeritatis vitium poſitum eſſet in violatione illius extremi dogmatis, quod nuper expoſuit Andreas: hoc eſt: *Quoties conſtet rem quampiam in altero ex duobus aceruis numero inter ſe diſparibus contineri, nec aliunde conijci poſſit, in quonam definitè aceruo contineatur, tunc quidem naturâ nos duci ad rem illam ampliori aceruo aſſignandam.* Quo verò alterius ſupra alterum aceruum exuperantia maior eſt, eo fidentiùs id ipſum autumamus. Ideo fingamus id vtique accidere, quod Democritus opinabatur, & animo comminiſcamur hominem quempiam vtique inſcium, qua propemodum ſerie nunc atomi coniunguntur: fac huius hominis cogitationi occurrat aliqua vna iuncturarum poſſibilium (quæ non aceruus eſt, ſed aliquid ſingulare) & alia ex parte meditetur hic ipſe homo aliarum ab ea coniunctionum innumerabilitatem, quis indubitet pro certo credendum huic homini, atomos nunc diſpoſitionem nanciſci aliquam ex illis innumeris; non hanc ipſam definitam, atque vnam? An non videmus, ſi quiſpiam orbicularijs tabellis aleam ludit, eoq; deuentum ſit, vt ipſe iam vinci nequeat, niſi geminæ monades (ne dicam cum veteribus *canes*) ceciderint, hoc eſt, vna non quidem ex innumeris, ſed è triginta ſex duntaxat coniunctionibus talorum, quæ fieri poſſunt, eum vtique in ſinu triumphum præcinere?

4. Verum vt hæc ita ſint, ſi tamen ad Democriti ſententiam Vniuerſitas conflaretur, aliqua ſingularis tandem ex innumeris hiſce complexionibus re ipſa contingeret, neque alia præ alia opinabilior aut procliuior eſſet. Adeoq; inter illas tot adhæſiones poſſibiles atomorum nihil probabilius enunciaret, qui adhæſionem prædiceret maximè inordinatam ac turbidam, deſignatis tamen tenuiſſimæ cuiuſlibet atomi poſitura & ſitu, quam ſi aptiſſimum hunc, quem habemus ordinem, prænunciaſſet. Sicut nil probabilitate ſuperaret, qui vaticinaretur, geminos talos quaternionem geminum exhibituros, hoc eſt, lapſum (ita fingamus) vix quidquam alterutri luſorum vtiliorem, ideoque nihil admirationis mouentem, ac is, qui prædiceret duas monades, vnicè habiles ad transferendam victoriam in penè deuictum deſperatúmque aleatorem, adeóque ingenti ſtupore adſtantium excipiendas. Nimirum enim, quotieſcunque auctor eſt Caſus, & effecta, quæ ſeorſim fieri poſſunt, magnum numerum conflant, pernéceſſarium eſt, verè accidere vnum aliquid, cuius prænunciatio nullam habuiſſet veri ſimilitudinem.

Digitized by Google

Quin ſi hæc ipſa Democriti opinio veritatem obtineret, opus foret, vt per æternam annorum conuolutionem ſingulæ atomorum ſtructuræ cogitabiles aliquando prodirent, atque earum quælibet infinitis vicibus recurreret. Quippe numerus atomorum & iuncturarum in hoc, quem incolimus, mundo, maximus eſſet quidem, ſed tandem finitus; at numerus annorum in tota æternitate infinitus planè. Et verò Mathematici euincunt, quemlibet finitum numerum in qualibet infinitate infinitè geminari. Quamobrem ſingulæ illæ compoſitiones poſſibiles, etſi durarent mille ſæculorum millia, atque ampliùs, omnes tamen explerentur; & earum quælibet per infinitas vices reuoluèretur. 5.

Hoc autem poſito; quid eſſet quod miraremur, ſi ex infinitis recurſibus huic præſenti tam bellæ atomorum diſtributioni debitis vnus obtigiſſet ætate noſtra?

Clamas: quantumcunque ſæpiùs iactites litteraria elementa ſchedulis 6. diſtincta, nunquam adeo Iliadem concinnabunt. Sed enim æquè indubitanter ac tu iſthuc negas, negare licebit eo caſu euenturam quamlibet ſingularem ex ijs tam innumeris diſpoſitionibus, in quas illæ ſchedulæ diſtendi poſſunt. Quid tamen? Certè aliqua earum diſpoſitionum re ſuccederet, nec ea difficilior, quæ Iliadem componit, quam alia quælibet peculiaris.

Hîc Saracenus: Inficiabitur fortaſſe quiſpiam iſthuc quod aſſumis: ſci- 7. licet, peræquè difficilem exitu fore certam quamlibet complexionem litterarum ex inordinatis, & quamlibet ex ordinatis, ac bellè ſignificantibus.

Euincitur planè hoc, ſubdidit Cardinalis; Finge animo, Auctores linguæ, qui eam pro arbitratu cuderunt, nullam ſignificationem indidiſſe illi notarum nexui, per quem in præſentia Ilias conſcribitur, ſed hanc ipſam ſignificationem ab ijs tributam alij potiùs cuidam iuncturæ nunc inani. Eo quidem caſu haud pugnabis, iuncturam illam, cui nulla tum ſententia ſubeſſet, exitu difficiliorem fore, alia tunc exprimente, quidquid per Iliadem exponitur. Et tamen haud dubiè pactio hæc extrinſeca mortalium nihil difficultatis, aut huic iuncturæ ingereret, aut illi detraheret, ſupra quam ambæ ſuopte ingenio nunc etiam habent. Igitur etiam nunc illa ſuperior iunctura Iliadem effingens nihil reliquis exitu difficilior eſſet: licet iunctura illa, ſi re ſuccederet, vtpote cæteris notabilior, vulgares animos vehementiùs in admirationem raperet; ea ipſa de cauſa, quam ſuper taxillorum iactu demonſtraui.

Scilicet, vehementer Epicuri ſum, heri quidem in Ethicis, hodie in Phyſicis.

CAPVT XLII.

Nec etiã iugis atq; vniuſmodi rerum ordo ſatis reuincit omnia caſui tribuentes.

OBiecit Saracenus. Hæc ſi atomorum ſeries, qua nunc mundus contine- 1. tur, temerè cecidiſſet, nec tamdiu, nec tam ſui ſimilis conſtaret.

Enim-

2. Enimuero iſtius depulſionem argumenti ſubindicabam, (occurrit Cardinalis) vbi exponebam, ſi temeritas, non prudentia rerum potiretur, tunc quidem vniuſcuiuſque cogitabilis coniunctionis infinitos recurſus fore. Atque vt apertiùs ediſſeram.

Primùm ita pono, ac denuncio, à me in ijs attributis, per quæ vnamquamque atomorum inter ſe copulationem ab alijs diſtinguo atque deſigno, etiam diuturnitatem recenſeri. Exempli gratia, cuilibet definitæ copulationi centena ſæcula addico. Et proinde copulationem aliam appello, ſi Mundus vti nunc ſe habet, per centena ſæcula permaneat, aliam, ſi per quinquaginta ſic perſtans, per quinquaginta conſequentia deinceps immutetur.

3. Ad hoc obſeruo, haud altero alterum ex his duobus euentibus faciliorem eſſe: nimirum vel per centena ſæcula totidem fore diuerſas colligationes, quot propemodum annos, ſed ita vt eæ definitè colligationes fiant, eoq; ordine, qui deſignetur à me, vel potiùs fore vniuſmodi continenter eandemq; colligationem. Quemadmodum nihil veriſimilius apparet, ſi vicies taxilli mittendi ſint, fore viginti diuerſos inter ſe illorum vultus, ſed eos quidem, & punctorum numero, & ordine ad meæ cogitationis præſcriptum ad amuſſim exactos; quam fore vicies eundem ſemper taxillorum vultum. Ratio in promptu eſt. Quod enim primus iactus ſenionem, ternionemq; (verbi gratia) monſtrauerit, nulla ideo in taxillis affectio imprimitur; adeoq; in altero iactu nihil improbabilior efficitur eorundem punctorum; nihilque probabilior diuerſorum caſus. Ergo, iuxtà ac ſi prædicta puncta non proximè obtigiſſent, obtingere poſſent in altero iactu æqua probabilitate, ac ſingula cæterorum punctorum: ita nunc hæc eadem puncta illis alijs ſingulis probabilitate exæquantur, licet proximè ceciderit; quando hoc nihil ad conſequentis iactus exitum præſtat. Et hoc idem in tertio iactu, in quarto, adeóq; in milleſimo perinde valet. Vulgus tamen hanc punctorum recurrentium ſimilitudinem ſingulariter ſuſpiceret, quia eam ſingulariter animaduerteret, eámq; compararet cum omni poſſibilium diuerſitatum agmine; cui comparata quantùm veriſimilitudine vincitur, tantundem admirabilitate vincit. Quid tamen? Si pariter conferatur quælibet certa vicies cadentium punctorum ſeries cum omni aliarum turba æquè quamlibet ſingulatim ſeriem inueriſimilem, ac proinde admirabilem comperiemus.

Poſt hæc ita conſtituta rationis tuæ refutationem aggredior. Pone Democriti ſententiam eſſe veram. Tunc quidem vnus ex ijs caſibus, qui fieri poſſent, foret huiuſmodi, vt nimirum per centum ſæcula res colligarentur, quomodo nunc colligantur. Ergo ex aliqua æternitatis parte hic euentus tandem erumperet. Neque id mirabilius noſtro, quàm aliorum æuo contigiſſet.

Alijs

Digitized by Google

CAPVT XLIII. *Democritea ſententia profligatur.*

ALijs tum conticentibus, ita Querengus redorſus eſt. Niſi hæc ipſa, quæ obijcis, interdum animo euoluiſſem, planè diffiderem per tumultuarias munitiones tam validæ aggreſſioni poſſe reſiſtere. Sed quoniam fortè accidit, vt nec ſemel, nec oſcitanter hæc ipſa mecum agitauerim, liquidam porrò eorum depulſionem vobis deſpondeo. Rogo primùm, an ſatis videretur, ſi efficerem, perinde liquere hanc enunciationem: *Rerum vniuerſitas non temerè, ſed induſtriâ regitur*, ac cæteras illas enunciationes, ſuper quibus, etſi metaphyſicæ, phyſicæve perſpicuitatis expertibus, nemo vnquam hæſitauit, nec in ijs aſſenſione probandis, nec in actione vitæ ex talibus aſſenſionibus dirigenda. Scilicet efflagitare de rebus tam præaltis, ac proinde humilitatem noſtram tanto interuallo prętergredientibus euidentiorem comprehenſionem, an non eſſet Semeles audentiam imitari, & peruelle cominus intueri Maieſtatem Numinis cuncta moderantis? Cum tamen peruulgata ſit Iuriſconſultorum conſultiſſima ſanctio: *Quæ ſua ſponte occultiora ſunt, ea leuioribus coniecturis probari ſatis.* Iam dic mihi, ſi citharœdi modulationem audiero, qualem Horatius exhibet ad Principum aures dulci admiratione paſcendas, ambigamne, vtrum citharœdi manum ars an caſus moderetur? Et tamen, ſi manus illa temerè fides diuerberaret inter innumeras pulſationes, quas Caſus proferre poſſet, hæc ipſa eſſet, quæ nunc à fidicine promitur; eáq; nihilo difficilior eſt ex ſe, quàm quælibet reliquarum, ſi vnicuique pulſationi pauſas, modos, contentionem, varietatem, adeóq; cæteras affectiones quaſcunque ſcrupuloſè deſcribamus. Item ſi diu aliquis ad rem loquitur, dubiumne mihi oboriatur, an loquutor ſermonem calleat, an potiùs fortuitò locutionis inſtrumenta commoueat? Quid verò? Ea ſi fortuitò commoueret, vtique in fortuitis commotionibus poſſibilibus non minùs quàm ſingulæ cæterarum commotionum, hæc etiam definitè commotio foret, quam loquutor iſte in præſentia peragit. Atque huc etiam valet ratio illa tua peracuta: Scilicet, ſi ſermonis inuentores nullam poteſtatem hiſce vocibus addixiſſent. Sed alijs in præſentia inertibus, non idcirco aut pronius foret iſtas, aut operoſius illas exprimere. Idem traduci poteſt ad Bonarrotæ picturam, idem ad Homeri poëſim, quæ opera non minus ex caſu prodire potuiſſent, quàm alia quælibet ſingularis colorum aut litterarum diſpoſitio; nulli tamen contemplantium anceps fuerit, caſune an arte re ipſa prodierint.

Huius verò præiudicij noſtris animis conſignati ſtirps hæc vna tandem eſt. Natura nos ita inſtituit, vt quandocunque effectum aliquod ab altera duarum cauſarum oriri potuit, nimirum vel ab ea, quæ itidem per ſe indifferens foret ad alia innumera diuerſæ rationis efficienda, vel ab ea, quæ hoc, aliave perpauca opera tantùm editura videretur, tunc quidem poſteriori cauſæ aſſeueranter effectum adſcribamus. Id autem præiudicium manat denique ab aſſumptione illa probabili, quam Andreas ſexto dogmati annexuit tanquam natura-

turaliter nobis inſitam: ſcilicet, *in quolibet euentu cæteroquin dubio, id opinabilius eſſe, quod plerumque contingit.* Siquidem plerumque effectum aliquod peculiare haud exit ab ea cauſa, quæ per ſe planè indifferens eſt ad huiuſmodi effecta innumera procreanda, & quæ proinde perrarò eiuſmodi effectum præ alijs procreat; ſed ab ea cauſa, quæ vtpote pauculis alijs effectis edendis nata huiuſmodi effecti definitè frequenter eſt ferax. Nec aliunde eſt, quàm ex hoc præiudicio, quod concentum illum adeo modulatum innata anticipatione artis non temeritatis autumemus. Si enim pulſator arte pulſauerit, certè aut illum ipſum efficiet ſonum, aut vnum aliquem ex artificioſis, multis quidem ſimpliciter, ſed perpaucis comparatè ad tot choreumata, tot ſtrepitus, tot tinnitus, ductusq; diſſonos, quorum æqualiter vnumquemque opinabile eſſet effundi ab eo, qui nulla ex arte fides agitaret. Idem dicito de pictura, de loquutione, de ſcriptione, denique de omni opere apto & conſentaneo.

6. Non eſt, fateor, huic inſito præiudicio, quod produxi, abſolutiſſima perſpicuitas & firmitudo, attamen quoties altera ex duabus cauſis, de quibus ambigitur, eſt indifferens ad quampiam innumerabilitatem ſine comparatione vlla plurium, quàm altera cauſa, tunc quidem præiudicium illud tanta probabilitate pollet, vt omnem ambiguitatem, tum ab aſſenſu, tum à deliberatione diſcutiat, & euidentiæ phyſicæ tantùm non coæquetur. Ergo, cùm tam infinitè plures ſint illi inordinati connexus, quibus iungi poſſent Democritæa hæc tanquam vniuerſitatis cæmenta, quàm ſunt notæ componentes Iliadem Homeri, aut pigmenta conformantia Iudicium Bonarrotæ, tantò itidem perſpectius eſt, Mundum, quàm opificia illa, ex arte ceſſiſſe.

7. Subtilius autem, quàm verius eſt illud aliud, quo me premebas: ſi atomi fortuitò voluerentur, porrò inter multiplices earum conſociationes in aliqua vna tandem æternitatis parte foret hæc ipſa conſociatio, quam in hoc Mundo intuemur; hoc autem poſito haudquaquam admirabilius videtur, talem conſociationem noſtris quàm alienis annis extitiſſe. Nonne vides, ſimiliter ſi mos eſſet apud aliquas gentes, vt pigmenta in parietes temerè diffunderentur, conformatura fuiſſe aliquando illam ipſam diſtributionem, quam aſpicimus in Iudicio Bonarrotæ? Neque adeo, ſi Romam aduenerit Indorum quiſpiam, qui picturæ nomen inaudierit nunquam, aliqua is ſuſpicione tentabitur, num illa pigmentorum diſtributio ita propemodum caſu exciderit.

8. Id ipſum in ſono, in ſcriptione, adeoq; in quolibet artificioſo figmento locum habet. Putasne, luſorem illum, cui talos iacienti millies idem punctum ei vnicè commodum obueniret, integrum an doloſum exiſtimatum iri; hoc eſt, arte an fortuitò talos emittentem? Cur autem non ei liceret eadem purgatione vti; videlicet inter innumerabiles iactus fortuitos, qui ab aleatoribus in omni ſæculorum ac terrarum amplitudine peraguntur, aliquam ſeriem ex poſſibilibus, neque improbabiliorem vllâ cæterarum ſtrictè deſignatâ fuiſſe

T hanc,

Digitized by Google

hanc, nimirum, vt millies continenter eandem faciem taxilli expanderent: ideo debuiſſe aliquando ſeriem huiuſmodi euenire: nihil porrò peculiaris difficultatis ingeſtum in hanc ſeriem ab externo ludentium pacto, quod ipſam ſummè commodam alteri partium effecit: ne multis, ex integro productâ illâ tuâ Democriti defenſione?

Neque tamen ſatis habeo, cauſam obtinuiſſe per ſuffragationem tam inſignis probabilitatis, quæ vel vbi maximopere tenuior eſt, ſcientiæ tamen momentum apud homines habet. Sed ſuper hæc euincere me poſſe confido, Naturam ipſam per ſe tradidiſſe nobis informationem hanc de ſui regiminis forma: ſcilicet Mundum haudquaquam temerè ſortiri partium ſuarum complexionem. Ita conſtabit, hoc non modò luculenter concludi, ſed tantò euidentiùs patere quàm luculentiſſimæ concluſiones, quantò initia conſecutionibus prælucent. 9.

Cedo mihi; ſi atomos, nimirum Vniuerſitatis membra, Caſus coagmentaret, nonne probabilius eſſet, fore cras inter eiuſmodi membra coagmentationem quampiam ex diſſimilibus hodiernæ, quippe innumeris, quam ipſam hodiernam quippe vnam? 10.

Nec valida depulſio fuerit, coagmentationem hanc tam citò diſſolui non poſſe. Quandoquidem atomi nunc non conquieſcunt; Cientur ſydera, cientur elementa, cientur mixta ex elementis corpora. Quod ſi temerè cientur, nihil veroſimile eſt, Solem cras hac hora eandem Cœli partem occupaturum, quam partem proximo anno, atque adeo antecedentibus ea ipſa die atque hora occupauit, cùm ad tot diuerſa ſpatia poſſit eum caſus compellere: nec item veroſimile eſt, ſydera eſſe confectura ſimiles exactarum hucuſque conuolutiones, & non potiùs aliquam ex quamplurimis diſſimilibus. Perge; Veroſimile non eſt, ſparſo in agris tritico, talem exinde nominatim herbam erupturam, & protinus ex ea nouum triticum, magis quàm alia quæcunque: Atque idem per omnium plantarum atque animantium procreationem pertinet. Siquidem aliarum commixtionum numerus tam infinitus eſt, vt ni peculiaris ratio ſuadeat, cras hanc potiùs, quàm aliquam ex illis fore, vtique ſtultiùs eſſet hanc ipſam præſumere, quàm ſi quis præſumeret aleatorem per hanc integram diem relaturum è ſuis iactibus eadem puncta omnino & eodem ordine, quæ retulit in heſterno ludo. 11.

Hoc poſito, ſingulas Mundi plagas animo perluſtremus, quæramuſque num alicubi quiſpiam reperiatur, cui, non quidem ex Philoſophorum inſtitutione, non ex patriæ Religionis doctrina, ſed ex ipſa primæua informatione Naturæ ratum non ſit, cras eiuſdemmodi effecta euentura, atque ad hanc diem euenire. Id verò haud vnum aliquod præiudicium eſt præter ea ſex, quæ commemorauit Andreas, ſed illud ipſum eſt planè, quod ille quartum annumerauit. 12.

Ipſe

13. Ipſe Democritus, Epicurus, Lucretius hac certa præſumptione ducebantur in deliberatione quacunque ſeu leui, ſeu magna; eiuſdemmodi, ſcilicet, futura eſſe, cuiuſmodi fuere præterita: ni ea præſumptione ducti eſſent, ne vitam quidem ducturi, vt per vos probè videtis. Quare magno eorum bono contigit, ne quantumuis vehemens effictarum ſubtilitatum ſtudium delere tandem potuerit ex eorum animis, quod Naturæ ſtylus inſcripſerat. Et porrò, nobis itidem, quantumcunque luctantibus, nunquam licebit hanc ponere perſuaſionem; ac proin ambigere, num fortè cras euolaturi ſint lapides, an, vt antehac, deſcenſuri. Quando igitur Natura ipſa vnumquemque, vel repugnantem ſentire cogit, eum conſilio, non caſu regi, quænam peruerſitas eſt, id in quæſtionem mordicus aduocare?

CAPVT XLIV.

Idē confirmatur; ac deinceps euoluitur differētia inter Caſū, Artē, Naturā, Fortunā.

1. AT verò animus eſt mihi extirpare, non tantùm nectere, linguam tam inſipientis Philoſophiæ, non alio merito plauſum cauponantis, quàm Religionis inimicitiâ. Quid tandem ſignificant Democritæi, dum Caſum appellant? Idne cuius nobis identidem experientia eſt, an ignotum quoddam portentum phantaſiæ ſuæ agitatione conflatum? Hoc ſi poſterius, haud iniuriâ Democritum ciues ſui furioſum rati, Hippocratem ad eum ſanitati reuocandum accerſiuere. Sin illud primum, obſeruarunt ne iſti, effectum nobis nullum planè fortuitum, atque inartificialem expertum eſſe? Fortuiti quidem ſucceſſus dupliciter nominantur; ſcilicet comparati vel ad intelligentiam noſtram, vel ad cauſas ſuas.

2. Penes intelligentiam noſtram id fortuitum euentum dicitur, cuius cauſæ non eam ſeruant inter ſe tempeſtatum atque attributorum congruentiam, vt eius euenti prænotionem, certamq; ſcientiam inductio creare poſſit. In hac acceptione nudiuſtertius, exempli gratia, fortuitò pluiſſe dicimus; non quia imber certas ac neceſſarias cauſas non conſequatur, vt calor ignem, frigus niuem; ſed quia imbrium cauſas non perinde aliquo euidenti argumento prænoſcimus, quomodo ab externa ſpecie ignis, aut niuis, de calore, aut de frigore

3. nobis infligendo apertiſſimè præmonemur. Et quidem, ſi Aſtrologorum præſagitiones in hac parte veritatem aſſequerentur, (quod neutiquam reor) nihil magis fortuitâ obueniſſet Aſtrologo pluuia eo die, quàm obuenerit talis ſyderum poſitura. Quare prius hoc fortuitorum euentuum genus ex communi duntaxat hominum ignoratione, id ſibi cognomentum aſſumit: cæterum per ſe euenta illa non minus rata ſunt ac neceſſaria, quàm maximè ratum ac neceſſarium. Ex quo fit, vt ignoratione diſcuſſa, confeſtim ex eiuſmodi euentis fortuitorum ſimul nomen diſcutiatur. Ideoq; fortuiti non appellantur, verbi gratia, Solis defectus, poſtquam eos certò præuidendi ſcientiam extruxere mortales.

4. Alterum genus fortuitorum euentuum, eorum ſcilicet, qui ſuam penes

Digitized by Google

cauſam vocantur fortuiti, eos complectitur euentus, qui ab ſuis cauſis cognitione prædìtis, aut non prouiſi, aut certè non quæſiti, prodiere. In ipſa ludentium ſimilitudine conſiſtamus. Haud dubiè taxilli pro vi, quam ludentis brachium impreſſit, ſic omnino in aleatoria tabula circumaguntur: donec eadem vi per innatam grauitatem oppreſsâ faciem illam proferant, quæ tum erecta eſt, cum primùm exceptus impetus cogere nequit grauitatem oſſis vt circumferatur, ac proinde etiam vt rurſus efferatur. Quo fit, vt intimè callenti (vti fraudulentus aleator callet) tantæ impulſionis in hoc taxillo, & ſuper hac tabula ingenium & vires, nihil fortuita cadant puncta, quippe quæ à cauſa, per quam cadunt, iam fuerunt præuiſa & exquiſita. At, qui bona fide ludit, planè inſcius quid hæc, quid illa impulſio ſit paritura, aliquam ex iis, quas potis eſt, impulſionem vtcunquè deligit vel ad iacientis manus commoditatem, vel merè ad libidinem nullo pertractus in hanc potiùs, quàm in illam inuitamento. Tunc enimuero dicitur fortuitus iactus, itemq; fortuitus caſus, quem ex iactu illo taxilli ſortiuntur. Nec enim compulſionis efficientiam, nec verò effectum poſtea conſecutum prænouit impulſor; hoc eſt, is, qui propinquam iactus cauſam procreauit.

Id genus euenta fortuita vbi cuipiam rationis compoti perniciem, aut emolumentum creant, non modò *caſus* generatim appellantur, ſed peculiare nomen *fortunæ* induunt, quà *proſpera*, quà *aduerſa*.

Veruntamen omnium eiuſcemodi euentuum, quos auctor ſuus quantumcunque non ſciens, vel certè non volens poſuit, in cauſa fuit ſemper vel ars 5.
humana, vel Natura, quod idem eſt atque ars diuina.

Ars quidem humana, vtpote, quæ non alias gerit vires, niſi vt ipſius Naturæ vires admoueat, aliquando non intelligit, ex tali admotione aliquid effectum iri præter id ad quod extruendum ipſa ſtudio operatur. Ideo penes ipſam eiuſmodi inopinatum effectum fortuitum dicitur.

Non ita quid futurum ſit, ignorat Natura, hoc eſt, vis diuina. Ideo ſeciùs aliquantò penes illam effecta fortuitò cadunt. Ipſa enim in ſuis ferendis legibus è re huius vniuerſi, prænouit quidem vel ex aliqua humani arbitrij moli- 6.
tione, vel etiam ex præſenti rerum habitudine aliquid (rarenter tamen) erupturum minus ſibi petitum, gratumque, ceu monſtra, ceu prauitates membrorum, aliaq; peruerſa. At non ideo eiuſmodi legibus edendis abſtinuit, quippe alioqui tam ſalutaribus, vt id parum incommodi abundè redimeretur. Hæc ergo quæ memoraui nuper effecta comparatè ad ſuam cauſam, hoc eſt, ad Naturam, fortuita vocantur; Non quaſi præter opinionem, ſed præter ſtudium ſuæ cauſæ, adeóq; præter conſuetudinem contingentia.

Ex ijs, quæ diſſerui, apparet, nullum omnino effectorum ab aduerſarijs 7.
monſtrari poſſe, quod ab omni arte exemptum oſtendant. Siquidem cuicunque effecto quamuis fortuito, vel allaborauit ars aliqua humana, vel certè

ars

Digitized by Google

ars diuina, ſcilicet Natura; licet aliud molientes. Ipſam verò Naturam temerè agere, & non ex arte, ſi pro certo ſumunt aduerſarij, ſumunt enimuero ipſum quæſtionis caput, probandum vtique non ſumendum. Ego contrà; vtpote cui adſtipulantur effecta quæcunque non dubia, hoc eſt, ex hominum arte prodeuntia, iuſtiſſimo inductionis titulo id ipſum colligo ſuper ijs effectis, de quibus diſceptamus, & quorum cauſas cæteroqui non tenemus. Eoq; certiùs id colligo, quoniam hæc poſteriora effecta, hoc eſt, Naturæ opificia, plus multo ſimilitudinis præferunt cum illis priorum, humana ſcilicet ab induſtria exiſtentium, quæ plus artis ac ſtudij prorſus efflagitant.

1. PAtet ſanè iam per te, Cardinalis inquit, non eam eſſe Caſui fœcunditatem infinitæ atque egregiæ ſobolis, quam illi Democritus aſſignauit. Verum poſtrema orationis tuæ pars, quæ tacitè confutauit referentes eiuſmodi effecta potiùs in fatalem quandam ac cæcam Naturæ neceſſitatem, quàm in cauſam aliquam intelligentem ac finis appetentem, nihil viſa mihi eſt ſuper ancipitis probabilitatis gradum efferri.

CAPVT XLV. *Oſtēditur hãc Naturã intelligentiâ & volũtate pollere, & aliquâ gratiâ agere.*

Eſt, vt dicis, Querengus ait; id tamen vitij mihi patrono, non cauſæ adſcribas.
2. Confido haud diu fore, quin tibi ſuper hoc ſatisfaciam. Primùm ſanè quomodo tibi in animum inducas, corpora hæc tot ac tanta, ſeu ſimplicia, ſeu mixta, efficere poſſe tot opera numero innumera, ordine aptiſſima, pulchritudine mirabilia, magnitudine ingentia vt ſe tueantur, ſuamque ſpeciem propagent, ſi tam cæco impetu agerentur, vt ne oculatum quidem rectorem haberent vllum? Vidiſtine vnquam cæcum à natiuitate quempiam, eundémq; nulli oculato rectori adhærentem probè itinerari, & quò expedit, nihil deerrantem peruenire? Haud, opinor. Si ergo innata lapidi cæcitas eſt, nullíque illam intelligentis moderatoris oculi vnquam deduxerunt, quomodo ipſe lapis centri ſemitas tam attemperatè ſeruat, vt vbicunque tandem lapidem collocaueris, is vtique ex locis maximè diuerſis ac diſſitis compendio ad centrum delabatur?

3. Adde aliqua eſſe Naturæ opera, quæ illius oculos nobis, ni cæcutiamus, perſpectiſſimos reddunt. Quid eſt cauſæ, cur hoc temporis puncto ſudariolum hoc meum ſuæ grauitati nuper à me relictum, eò defertur, vt palmo non amplius diſtet à rhedæ pauimento? Non id porrò in vnum ſudarioli pondus vſquequaque reuocaueris. Namque in proximo temporis articulo æquè ac nunc ponderoſum erat ſudariolum, nec tamen eò deſcendere potuit. Supra pondus igitur idcirco perductum eſt ſudariolum ad hanc ſpatij demiſſionem, quia proximo tempore locum huic loco protinus contiguum occuparat. Sed hæc anteacta iam ſudarioli collocatio nihil funditus eſt in præſentia, & proinde nihil potentiæ habet, efficientiæ nihil. Igitur concludere licet, non quidem ab ipſa præterita collocatione dari nunc ſudariolo, vt hunc omnino locum obti-

obtineat, ſed potiùs innoteſcere alicui proximæ cauſæ huius nouæ collocationis præteritum hoc ſudarioli attributum, ex eâque notitia nunc præſente perſuaderi eidem cauſæ, vt eiuſmodi effectum & collocationem edere velit. At verò ſudariolum cognitione vacat. Igitur extra ſudariolum quæpiam alia cauſa, & quidem cognitione prædita, huic motioni & collocationi opitulatur. Verum cauſam huiuſmodi nullam ſuſpicari licet præter Auctorem Naturæ. Reliquum ergo eſt, vt putemus, ipſum Naturæ Auctorem in cauſis eſſe huius motionis, adeóq; effectorum omnium, qui è ſecundarijs cauſis effunduntur.

Denique Natura hæc cæca, quam aduerſarij ponunt, vel aliqua vna eſt 4.
ex hiſce ſenſilibus ac peculiaribus cauſis, quas experimur, vel alia quæpiam communior cauſa præter iſtas. Illud ſuperius inopinabile eſt. Etenim, aquæ, verbi gratia, nil prodeſt conſeruatio aliorum corporum, atque adeo totius vniuerſitatis; ſed ad ſummum ſua ipſius conſeruatio. Igitur quæcunque molitur aqua in conſeruationem aliorum corporum, ac totius Vniuerſitatis, hæc vtique alia ex cauſa fluunt præter ſolam aquam. Quod autem de aqua probaui, id pari iure in ignem, in Cœlum, in omnia denique corpora transferri poteſt. Quando igitur in omnibus hiſce ſenſilibus cauſis reperimus tot proprietates in totius vniuerſitatis bonum conſpirantes, profectò fatendum eſt haſce cauſas inferiores ac peculiares imbutas eſſe proprietatibus eiuſmodi ab aliqua ſuperiore cauſa & communiore.

Hæc verò ſuperior & communior cauſa nequit eſſe cognitionis ac ſen- 5.
ſus expers: Tum quia, cognoſcere ac velle ita eminent inter cæteras rerum dotes, vt cæteræ dotes eò, non ampliùs, placeant, quatenus cognoſcendi volendiq; perfectionem iuuant. Quis ergo ſupremam vniuerſitatis cauſam, hoc eſt, rem rerum omnium præſtantiſſimam, hiſce proprietatibus vacuam opinetur? Ad hæc ſi rerum omnium proprietates ex hac ſuprema cauſa dimanant, hæc eadem ſit, oportet, quæ cognoſcendi nobis volendiq; facultatem impertiat. Ex quo illico emergit, cauſam illam vel hiſce dotibus pollere, vel certè alijs præſtabilioribus, in quibus hæ ipſæ (vt cum Scholaſticis loquar) eminenter
contineantur: Ita propemodum, ac nemini facultas eſt conferendi proprio 6.
nomine vel iuriſdictionem aliquam, vel magiſtratum, niſi aut eandem ipſe dignitatem habeat ceu iudex ordinarius, qui iuriſdictionem ſuam delegato communicat, & Senatores qui alios ſibi collegas adoptant: aut certè ſubliniorem, ceu Rex, qui Comites ac Marchiones creat, ceu tota Reſpublica, quę Ducem aut Monarcham renunciat. Hæc verò cùm ita ſint, naturâ docemur nullum eſſe attributum aliud adeo eximium, quo volendi atque intelligendi præſtantia rependatur; ac proinde nemo noſtrûm hanc acciperemus conditionem, vt ſenſus expertes, ceu ſtipites, tantum interea reliquæ perfectionis potiremur, quantum audacia Poëtarum concinnare poſſit. Igitur peropus eſt, principem cauſam, intelligentia & voluntate præditam eſſe: quo ſemel ſtatuto, ſanè

Digitized by Google

ſanè tantum egregiæ artis apparet in eius cauſæ opificijs, vt nemini ambigendum ſit, num ea opificia intelligentiæ, ac voluntatis efficacitate perficiantur, an potius à principe cauſa imprudenti, neſcientíq; exeant, ceu nobis ſternutamenta.

7. Querengo iam conticente: ita fermè Cardinalis applaudens vociferatur. Philoſophiæ quidem tractandæ præſtantia conſimilis mihi videtur opificum arti; qui opifices in materia, quam tractant, nihil noui plerumque efficiunt, ſed vel adimunt quæ minùs opportunè adiacebant, ceu ſculptor; vel iungunt quæ prius erant ſegregata, ceu pictor, ceu faber cæmentarius; & ſcilicet ceu chimicus conſueuit. Plura ſanè illorum, quæ hiſce proſtremis quæſtionibus produxiſti, identidem apud ſcriptores offenderam; ſed ea quidem ita inordinata, itáq; intermixta multis vel falſis, vel ambiguis, certè alienis, vt antehac nefas mihi fuerit diſtributè comprehendere, quid Natura, quid Ars, quid Caſus, quídque Fortuna eſſet: id quod ex te non breuius, quàm plenius accepi. Tum verò argumenta illa, per quæ Arti decus fabricatæ Vniuerſitatis aſſeruiſti, tam arguta ſunt ac ſtrenua, vt vel mihi gloriandum rear, qui tecum decertare auſus, te ad tam palmarios ictus infligendos prouocauerim. Atqui, perge porrò: exornat enim præclarius te oratio tua, quàm laudatio noſtra.

CAPVT XLVI.

Exponitur Manichæi error commiſcêtis duo ſuprema principia, alterũ bonorum, malorũ alterũ: deinceps error Caluini, necnõ Durandi aliorumq; ſententia.

1. QVod ſupereſt ex inclinato iam die, Querengus adiecit, ſpatium ſufficiet, opinor, diſcutiendæ controuerſiæ priſcis ætatibus pernobili Catholicos inter ac Manichæos, hoc ipſo ſuper Artifice bonorum perfectore. Videlicet, an hic idem ſit, qui condidit ea item quæ vocamus mala; an potius duo fuerint principes rerum Auctores, alter boni vniuerſi, alter itidem mali. Et ſanè
2. diſſertatio hæc Andreæ congruentior videretur, vtpote circumfluenti ſacris illis cœleſtibúſq; doctrinis, quas ego primoribus labris vix delibaui. Verum quod mihi per te id muneris demandetur, eo fortaſſe ſpectat, vt ſermonum noſtrorum argumenta deriuentur ex perſpicuis Naturæ anticipationibus, non ex arcanis fidei myſterijs. A quibus vtique myſterijs vſurpandis ſuſpicioſum eſſet, ne non ita religioſè abſtineret Andreas, dum ab ipſo diſputationis argumento inuitaretur ad eiuſmodi armorum tractationem, quorum ipſe artem ad palæſtram æquè ac prælium peritiſſimè callet. Quæ ſuſpicio ad me profectò non pertinet, quippe ad eiuſmodi tela euibranda inertem pariter atque imperitum.

3. Nulli vnquam ægro viſa tam incredibilia, támq; monſtroſa ſomnus obiecit, qualia fuerunt Manichæorum deliramenta ſuper Mundi procreatione ac procuratione. Si quis eiuſmodi portentoſas euanidæ Philoſophiæ & commentitiæ Theologiæ nugas cognoſcere aueat, Auguſtinum legat tum in libro aduerſus Manichæi epiſtolam, cui nomen eſt *Fundamentum*, tum in alio libro contra eundem Manichæum *de Natura Boni*, tum & alijs in locis. Et quidem Au-

Auguſtinus neceſſe habuit doctrinæ atque eloquentiæ tela in laruas contorquere; dum Africa decepta laruas illas quaſi Pallades ſapientia & robore inclytas reuerebatur. Sed hac tempeſtate ſi quis in amentiam iam compertam atque exploſam verba contereret, is vtique non citra omnem eſſet amentiæ notam. Et quidem illi Græcorum, qui eiuſmodi hæreſis Auctori, Perſæ homini, fauebant, cui nomen *Manes*, Græcè inſaniam ſonans, veriti ne ipſum viri nomen veram mentis habitudinem proderet, illud vtique in Manichæum detorſerunt quaſi Manna fundentem.

Eum ego locum examinabo duntaxat, qui verè in arduo verſatur, & ex quo permulta, quà Hæreticorum, quà Atheorum diuortia prodiere. Nodus in eo verſatur. Si bonorum opifex, ſummè bonus eſt, nequit igitur efficere contrarium ſuum, hoc eſt, malum. Atqui malis nimium quantum vniuerſitas iſta redundat? vel phyſicis vt venenis, vt peſtibus, vt angoribus, vel moralibus ceu proditionibus, ceu immanitatibus, ceu ſacrilegijs. Bonorum igitur Auctor non eſt communis effector eorum omnium, quæ in hac vniuerſitate procreantur. 4.

Hoc argumentum nonnullis dubiam fecit prouidentiam mortalium rerum procuratricem, eóſq; identidem inflexit, vt Caſui tanquam rerum domino aras in animo conſecrarent: ad quos nonnunquam hac ipſa de cauſa ſe ſe applicaſſe Claudianus profitetur in peruagatiſſimo illo aduerſus Rufinum exordio: necnon Sulmonenſis in funebri elegia ſuper Tibulli nece, quin etiam eiuſmodi ſuſpicionis aculeis identidem ſeſe pertentatos fatentur Dauid ac Hieremias, animæ illæ cœleſtiſſimæ nec diuina luce minùs quàm pietate ac ſanctimonia præfulgentes. 5.

Alij porrò, ad Manichæum dogma, binos rerum Principes inuexere; alterum bonorum auctorem, malorum alterum.

Non defuere qui ad Stoicorum ſententiam nihil in veris malis ponentes præter culpam, virtutis ſcilicet inimicam, renuerint ad ſordidam culpæ molitionem admouere diuinas manus, quaſi labem contracturas. Ex quo confeſtim colligebatur alias itidem inferiorum cauſarum actiones diuinâ efficientiâ non indigere. Ita Durandus, ac fortaſſe Pelagius etiam exiſtimauit. 6.

Plures alij quiddam ſubtilius meditati, quidquid eſt, in bonis numerant, eóq; in operibus Dei: malum puram putam vacuitatem volunt illius boni, quod rebus in ſuo abſoluto ſtatu perfectis deberetur. Hanc vtique vacuitatem, vtpote quæ nullam habet Naturam atque eſſentiam, non ex Deo, ſed ex natiuo noſtro nihilo aiunt emanare. Huic doctrinæ impenſè videntur fauiſſe Dionyſius, Auguſtinus, Aquinas. Equidem ſuper quæſtione tam perplexa conabor id paucis verbis exponere, quod non ita paucis horis commentatione ac ſtudio agitaui. A certioribus exordiar, vt hinc porrò ad ea quæ plus habent quæſtionis, iter muniam.

Per-

Digitized by Google

CAPVT XLVII. *Manichæa hereſis refutatur.*

1. PErſpicuè demonſtratum eſt nobis, Mundi ſtructorem Caſum non eſſe. Demonſtratur item vnam eſſe rerum omnium principalem cauſam. Cùm enim res omnes tam aptæ ſint inter ſe, ac tam bellè ad huius Vniuerſitatis tuitionem conſpirent, fieri nequit quin ex eiuſdemmodi artificis induſtria conſilióq; dependeant. Quod vni animantium venenum, id ipſum alij cibus, vel medicamentum eſt: veluti cicuta, cuius venenata ſorbitio Socratem perdidit, Coturnices opimat. Oleum nobis vtile, veſpas atque apes interficit: Ceruos & hirundines paſcunt animalia hominibus mortifera. Quin & homo per medicæ Artis induſtriam ex ipſis toxicis elicit ſanitatem; quò ſpectantes Græci, à pharmacis, hoc eſt, venenis, ipſam medendi ſcientiam appellarunt.

2. Peſtes, rogo, quid aliud ſunt, niſi qualitates interimentes genera quædam animalium? At cùm ſemper interitus rei cuiuſpiam ſit rei alterius procreatio, quidquid malum accidit rebus intereuntibus, hoc idem bonum exiſtit exorientibus: non illis modò rebus, quæ ſenſu carent, (de quibus ambigi poteſt, numquid earum bonum ſit nominandum) ſed etiam quibuſdam ſentientibus, ceu vermiculis, bufonibus, alijsq; id genus, quæ creantur ex corruptione animantium grandiorum.

Præterquam quod ipſi homini nec bonum aliquod paratur adeo expediens, quin identidem illi noceat; neç malum adeo perniciosum, quin identidem illi proſit. Huc faciunt peruulgata illa tum Auſonij,

Et cùm fata volent, bina venena iuuant. Lib. 1. Epig 10.

tum vberiùs Ouidij,

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem. 2. Triſt.
Igne quid vtilius? ſi quis tamen vrere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum, modò dat medicina ſalutem,
Quæq; iuuet, monſtrat, quæq; ſit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator,
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur innocuas vt agat facundia cauſas;
Protegit hæc ſontes, immeritosq; premit.

Quî ergo malorum ac bonorum fabricatores inuicem differant, quandoquidem nec bona & mala ipſa prorſus differunt inter ſe?

3. Addite, quod peſtilentiæ, fulmina, & alia eius generis mala, non aliquid ſimplex atque indiuiduum ſunt; ſed coaleſcunt ex multis qualitatibus, multíſq; partibus, quarum vnaquæque per ſe poſſet homini proficiens eſſe, niſi eam importuna cæterarum ſocietas deprauaret. Quælibet ergo illarum qualitatum vel partium non eſt cur magis auctori malorum, quàm bonorum aſſignetur. Alioquin præſtantiſſima quæque, ſi vnam virtutem excipias, commentitio iſti malorum auctori tribuenda ſunt: omnia ſiquidem poſſunt in perniciem

Rhet.c.1 vſurpari; atque ea inprimis, quæ per ſe meliora ſunt, vt Ariſtoteles obſeruat. Qui autem ita cenſeret, vtique illud Laocoontis in Diuinitatem transferret: *Timeo Danaos, & dona ferentes.* Nec minùs ingratè quàm impiè ſumma quæque Dei beneficia offenſionum loco haberet.

Ad extremum, ea ipſa, quæ tu dictitas mala, nonne ſunt ſecundùm appetentiam alicuius animi, & quidem in cognoſcendo nihil decepti? Scilicet; Nempe ad appetentiam illius Dei malorum progenitoris, qui Deus per te, mala illa machinatur non vtique ex errore intelligendi, ſed ex peruerſitate volendi. Ergo in hæc mala quadrat boni definitio à nobis conſtituta: nimirum vt bonum ſit, *quod appetitur, & non ex falſa opinione appetentis.* 4.

Mitto, quod hæc duo inuicem aduerſa Numina vel paris inter ſe, vel diſparis roboris forent. Si diſparis, hæc vtique diſparitas nunquam variaret. Siquidem cùm Dij iſti per te ſint originis expertes, immutabiles, & rerum cæterarum Domini, non poſſet in illis accidere item atque in nobis, hoc eſt, ab immutata corporis habitudine, vel ab externa ope adueniente eum de duobus aduerſarijs, qui antea infirmior erat, præualere. Itaque alter eorum Deorum ſemper euinceret, atque ideo vel ſola bona, vel ſola mala ſemper conderentur, ſemperq; materiem quaſi arcem validior ille Deus expugnaret, eóque formam ſibi præoptatam induceret. 5.

Sin autem eos robore coæquas, nulla vnquam forma, nec praua vtique, nec proba gignetur; contrarijs ſcilicet vtriuſque partis conatibus mutuò ſeſe frangentibus: Perinde ac ſi vtramque libræ lancem paria momenta compreſſerint, neutra deſcendet, ſed vtraque immota conſiſtet. 6.

Ad hæc argumenta, quæ Manichæi nominatim dogma proſternunt, accedunt communia illa, per quæ Ariſtoteles, vnum eſſe rerum omnium principem ac motorem, euincit.

Verum ad hanc, quam propugnaui, ſententiam obarmandam procliuius eſt gladium inuenire, quàm clypeum. Deridicula quippe eſt Manichæorum ſententia, at non æquè ridicula ratio nuper expoſita, per quam illi Catholicos exagitabant: quæ ratio in adeo multiplicem errorum diſcrepantiam diſtraxit mortales, vt dictum eſt. Et de his quidem erroribus ſequitur vt dicamus.

CAPVT XLVIII. *refellitur Caluinianũ dogma quo Deus peccatorũ noſtrorũ auctor aſſeritur.*

Caluinus quidem, vt ſartam tectamq; Dei potentiam aſſereret, illius bonitatem inquinare non dubitauit: modò Principem faceret, nil puduit Tyrannum facere. Deum ergo Caluinus malorum omnium ac ſcelerum Auctorem tenet; nec vllam edi voluntatem quantumuis flagitioſam, quæ ab neceſſitate diuinitus nobis iniecta non prodeat. Sed aduerſus tam ſacrilega effata nonnihil in heſterna diſputatione Illuſtriſſimus Cardinalis acutè produxit. Præterquam quod ſi Caluinus vera ſentit, qui vitio nobis vertatur peccaſſe? hoc eſt, quæpiam egiſſe ad ineluctabilem diuinæ iubentiæ efficacitatem; cui qui- 1.

quidem obſiſtere foret penitus Deo abripere Diuinitatem, hoc eſt, potentiam abſolutiſſimam: quæ potentia hoc vno tandem continetur, vt quidquid libuerit, id fiat.

2. At enim, obijcies, peccantem de hac diuina voluntate peccatum ſuum præfiniente nihil cognoſcere; interim verò dum is peccat, proculcari ab eo diuina interdicta, vtique ſibi cognita; eoq; Deum ipſum contemni. Egregiam verò latebram! An non tu, Caluiniane, profiteris compertum tibi, Deum efficaci voluntate decernere quidquid agitur, quidquid peccatur? quidni ergo dum peccas, noſcas te prorſus congruere cum efficaci Dei voluntate; adeoq; quidni haudquaquam peccatum, ſed promeritum edas?

Quid, quod interdictum ipſum, ac diſſuaſiones Dei tam crebræ ne peccemus, & ſupplicia peccaturis, præmia inſontibus obnunciata, nihil tandem ſunt, niſi totidem explicationes auerſationis diuinæ à peccatis noſtris, totidem media, per quæ Deus citra noſtræ libertatis ademptionem ſatagit ne peccemus? Ita vt, Deum peccati auctorem enunciare, idipſum ſit, atque eum enunciare ſimul falſiloquum, quippe tam enixè conteſtantem abhorrere ſe ab eo ipſo, quod (ſi Caluino credimus) efficaci deſideratione perſequitur; ſimul etiam fatuum, quippe adhibentem tot media, ne id fiat, quod per ſuam inexuperabilem voluntatem fataliter præſtitutum intelligit.

3. Interrogauit hoc loco Saracenus Querengum. Si Deus tam inexpiabili odio peccata quælibet auerſatur, tantoq; molimine mediorum laborat ne patrentur; modò non hæc ipſa media libertatem noſtram labefactent, cur non ſemper nos eo munit auxilio, quo munitos non impeccabiles vtique, ſed certè videt non peccaturos? Eo, inquam, auxilio, quod *efficax* Theologi nuncuparunt. Sicut enim ille plures integra eorum libertate per hanc opem à peccando cohibet, quid eſt quod non omnes item cohibeat?

Querengus ad hæc. Næ tu in arcaniſſima Theologiæ penetralia me pertrahis. Sine tamen id tantummodo quod Philoſophi eſt, à me reſponderi.

4. Iam conuênit inter nos, luculenter demonſtrari, Deum peccatis infenſum eſſe; quód ipſum poſthac à me per aliam rationem, eamque, vt reor, præcipuam ac primam, confirmabitur. Hoc admiſſo, vel requiris quî fieri poſſit, vt quando licet Deo citra noſtræ libertatis vitium impedire peccata omnia, itemq; omnia neceſſariò auerſatur, ea tamen impedire frequenter non curet; Vel, cùm probè intelligas, arbitrarium eſſe Deo peccata non impedire, tantum rogas, quid ſit quod eum re ipſa ab illis impediendis prudenter auertat.

5. Prior vtique interrogatio ſuimet enodationem præclarè ſuggereret. Nempe, ſi poſita neceſſitate diuinæ auerſationis in peccata, fieri non poſſet quin Deus eorum patrationem ſemper impediret, peccatum igitur poſſibile quid non eſſet, ſed omnino commentitium; eoq; nec homo vteretur libertate peccandi; ſiquidem quod inter poſſibilia non eſt, nullius libertati ſubeſt.

Digitized by Google

En tibi, quoties diuina ope retinemur à peccando, tunc quidem non alia ratione libertatem peccandi manere in nobis, niſi quia diuini arbitrij eſſet nos itidem non retinere, at ſinere, vt in peccatum delaberemur.

Sin percunctatio tua eſt illa altera, quam ſecundo loco poſui; illam porrò interrogationem diſſoluere non eſt meum. Cùm enim philoſophica ratione obtinuerim, hanc Dei neceſſitatem ad impedienda peccata cum libertate noſtra peccandi prorſus diſſociabilem eſſe; &, quod huic proximum eſt, fieri poſſe vt Deus peccata patrari ſinat, ſufficit exinde mihi pronunciatum illud Ariſtotelicum; *Si poſſibile re ipſa ponatur, nihil abſurdi propterea ſequitur:* itaque nihil abſurdi ſequitur, ſi hominum peccata Deus re ipſa permittat. His ita conſtitutis, porrò quænam ſint inuitamenta Deum permouentia ad eiuſmodi permiſſionem; non eſt philoſophicum perſcrutari. Id namque ab libera Dei voluntate pendet, cuius arcana eatenus modò in notitiam noſtram cadunt, quatenus ipſe Deus non eſt dedignatus ea proferre in ſacris Litteris. At verò ſacrarum Litterarum interpretatio Theologicæ tantùm ditionis eſt ac diſciplinæ. Quod ſi rurſus adurgeas: Dic ſaltem quænam Philoſophis ſuſpicari liceat inuitamenta ſummam Dei bonitatem allicientia ad humanorum ſcelerum permiſſionem: De hoc vtique paucis interiectis exponam. 6.

CAPVT XLIX.

Euincitur cõtra Durandũ Dei efficientiã ad cũctas creatarũ rerũ actiones neceſſariã eſſe.

DEpulſa Caluini hæreſi, proximum eſt, vt pariter ad philoſophiæ calculos Durandi (à quo, vt ſignificaui, nil fortaſſe Pelagius diſſentiebat) doctrinam exigamus, qui non aliam Dei vindicationem inuênit, vt ab eo quamlibet ſcelerum noſtrorum partem remoueret, niſi ſi diuinam efficientiam noſtris actionibus impertiri negauiſſet. Atqui huius ſententiæ patroni (quicunque fuerint) in aliam ſyrtem Caluinianæ prorſus aduerſam proruerunt; & quò Dei aſſererent innocentiam, poteſtatem labefactarunt. Ad ſummam vtique poteſtatem Dei ſpectat, poſſe cùm libeat rem quampiam à ſe effectam ita conſeruare, vt eâ penitus immutatâ nihil inde noui fœtus oriatur. Fac verò, vt Durando placet, Deum nihil efficere in cunctis procreatarum cauſarum actionibus; confeſtim id quod modò poſui, in diuina poteſtate non erit. Quippe tum Deus, ni exempli gratia vel ignem deſtruat, vel tomentum remoueat, in ſumma, ni aliquid in alterutro immutet, vetare minimè valebit tomenti ab igne deflagrationem. Vt ita colligatur, facilis eſt probatio. Nempe hoc vno pacto cogitabile eſt cæteris planè immutatis deflagrationem illam vetari poſſe à Deo; ſi nimirum neget igni Deus potentiæ ſuæ conſpirationem atque opem ad tomentum exurendum. Atqui per te ignis diuina ope non indiget, vt exurat. Quidni ergo ab igne tunc (velit nolit Deus) tomentum exuratur? 1. 2.

Ad hoc ipſum confirmandum facit quod modò inter nos obſeruatum eſt de circumſtantijs præteritis, quæ nimirum nullius momenti eſſent ad procreationem effectorum, ni hæc dependerent ab aliqua principe cauſa cognitione prædita.

Tum

Digitized by Google

Tum Cardinalis: Permitte, inquit, aliam à me proferri eidem ſententiæ adſtipulantem commentationem, quam audiui de Salmaticenſi magiſtro, qui modò Romam commigrauit. Eſt autem huiuſmodi.

3. Nulla cauſa id præſtantiæ, qua ipſa caret, impertire poteſt effectis ſuis. At enim, dictitant, ſatis eſt præſtantiam illam ineſſe cauſæ, non *formaliter*, ſed ſolùm *eminenter*. Itane verò? Ecquid aliud eſt hoc, quàm obſcuris vocibus balbutire id, quod tanquam vehementius improbabile, diſertis verbis pudeat enunciare? Hæc vocabula: *Continere præſtantiam aliquam non formaliter, ſed eminenter*; ſi ex eis quantum ſucci latet, exprimatur, hoc vnum reddent: *Rem non habere talem præſtantiam, ſed poſſe illam efficere.* At hoc ipſum inopinabile eſt, videlicet à re quapiam effici in alio id excellentiæ, quo vacat res ipſa effectrix. Nec aliter fortaſſe obtineri poteſt celeberrimum illud Ariſtotelis pronunciatum, à quo pronunciato in Peripatetica Schola extitit Deus: nimirum:

4. *Omne quod mouetur, ab alio mouetur*; quod penes Philoſophos non magis valet de motione ad locum pertinente, quàm de omni generatim interiore mutatione. Huius enim effati veritas per hanc vnam rationem concludi poteſt: quod res dum interius mutatur, aliquid interioris perfectionis, qua carebat, acquirit. Ergo res illa non eſt eiuſce mutationis integra effectrix. Nempe quando perfectione illa caret, eam vtique per ſe ſolam procreare non poteſt.

5. Si hanc ergo ſumptionem admittimus, quam Natura ipſa tradere nobis videtur, ſequitur protinus; nulla vt creata res ex ſe ſola quippiam efficiat? Cur ita? Quia ſcilicet nulla eſt res tam ieiuna, tam vulgaris, tam abiecta, quin oſtentare poſſit aliquam eximiam dotem, neque corporibus, nec liberis corpore mentibus, nec adeo vlli ex effectis rebus conceſſam, & cum vno Deo ſibi communem. Demonſtrare id ſanè poſſem in qualibet re ſingulari, & concludere vnicuique illarum egregium quid boni inſitum, idemq; negatum reliquis omnibus, vel in eadem ſpecie rerum verſantibus. Sed hæc probatio cogeret nos paulò acriori ſeuerioris philoſophiæ ſucco labra compungere; cùm tamen idipſum ad rem, quam agimus in præſentia, nihil conducat. Quippe hoc vnum laboramus, vt conſtet Deum adniti nobiſcum ad noſtras voluntates producendas, quæ voluntates non ſolo *numero*, quod aiunt, à ſua creata effectrice cauſa differunt, ceu filius à parente; ſed ſpecie inſuper ac genere.

6. Iam verò planiùs demonſtrari poteſt vnamquamq; rerum ſpeciem proprio aliquo interiori bono gaudere, eoq; penitus inconceſſo cunctis procreatis cauſis, vnde ſpecies illa dimanat. Ita lumen aliquid perfectionis obtinet, quod Sol ipſe non obtinet, ſcilicet, vt proximè in plantis atque in animalibus tot eximia ingeneret; hoc enim per ſe proximè Natura Solis non valet. Hæc verò propria luminis bona vni Deo conceduntur, vtpote qui ſe ſolo potis eſſet ea omnia in plantis animalibuſque perficere. Hinc emergit, naturam Solis per ſe imparem eſſe pariendo lumini, quippe effecto ijs diuitijs opulento, quas

Digitized by Google

Sol ipſe neutiquam poſſidet: adeoq; peropus eſſe, vt in idem effectum conſpiret Deus, eiuſmodi diuitijs quemadmodum vnicè locuples, ita & vnicè fœcundus.

Hoc idem in voluntatibus noſtris videre licet. Exploremus id in peccato, à quo præſertim memorati Scriptores, alijque conſequentes diuinam efficientiam abiudicant. Occidendi voluntas præſtantiam aliquam gerit, quam animus peccantis non gerit; Exempli gratia, vim quæ in præſentibus circumſtantijs proximè manum perpellat, & gladium intra inimici pectus immittat. Hæc porrò vis ac præſtantia pertinet inſuper in vnum Deum. Hic enim vnus in hac ipſa rerum conditione poſſet hoc idem. Igitur ad huius voluntatis effectionem non ſatis virium habet anima, nec animæ facultas quæcunque, ſed prætetea diuinæ poteſtatis adiumentum neceſſe eſt. 7.

8. Tum Querengus. Eiuſmodi ratiocinatio mirificè oſtendit, quantopere deerrent exiſtimantes, non aliunde ingenij palmas parabiles eſſe niſi ex bello antiquis probatiſq; ſententijs indicto. Quenquamne non videre, quanto plus facilitatis, atque adeo quanto minùs ingenij habet nouam aliquam comminiſci ſententiam ex innumeris, vel indictis adhuc, vel contemptis, quam eas validiùs confirmare ſententias, quibus & communis tot ſapientum fauor magnum præſtet veritatis argumentum, & eorundem induſtria non adhuc conſectariam extruxerit probationem? Ita nempe illius Achillis virtus, ex quo vel Philoſophorum rationes ineluctabiles nomen aſciuere, non inclaruit in aggrediendo Heroë quopiam cæteris intentato, ſed in proſternendo Hectore, quem totius Græciæ tela petierant, non profligauerant.

Vtinam & mihi præſidium aliquod firmum occurreret communis opinionis, quam memoraui, malum omne intra nihili tanquam deſerta propellentis, & entium vniuerſorum dominationem Bono vindicantis!

CAPVT L.

Explicatur qua ratione, licet malũ res ſolida ſit, & non mera priuatio, haud tamẽ ex Deo ſed ex natiuo noſtro nihilo originẽ trahat.

1. Fateor tamen impeditam atque operoſam cenſeri à me ſententiam, malum quodlibet in ipſo nihilo concludentem. Ita vt nulla mihi ratio occurrat ingenuæ, meoq; iudicio attemperatæ defenſionis. Neque operæpretium arbitror, omnia denarrare Scholaſticorum irrita tentamenta ad eam poſitionem retinendam. Hoc enim, vt reor, non frequentiùs, quàm nocentius in quæſtionum tractatione peccatur, quod plerumque longior eſt enunciatæ falſitatis refutatio, quàm enunciandæ veritatis inquiſitio: tanquam id philoſophando agamus, vt aliorum ignoratio pateat, non vt ſapientia nobis paretur. Gabriel quidem Vaſquez *a* 1.2. diſp. 95. (præter alios recentiores, qui rem fortaſſe curioſiùs pertractarunt) tentamenta hæc malum quodlibet è rerum finibus arcendi, & accuratè recenſet, & acutè frangit; ſimul verò ſingillatim dicta veterum Patrum, quæ ab illa ſententia ſtare videntur, ſcitè aliorſum exponit.

Et

a 1.2. *diſp.* 95.

Digitized by Google

Et ſanè Patribus in more non eſt oratio ad ſeueriores Metaphyſicæ leges. Quò ſubuereor ne per effata illa non idipſum, quod plerique interpretantur, ſed pulchrius quiddam veri ſubindicauerint. Eloquar, quid ingenium aliquando profuderit. Veſtrum erit per commentationes veſtras id ipſum vel tanquam effœti ſoli inanes auenas exurere, vel tanquam bonas veritatis fruges educare.

Id prædictum volo: Patres in hoc vnicè laboraſſe, vt Deum peccati auctorem inficiarentur: auctorem verò alicuius effecti nominamus non cauſam eius qualemcunque, ſed illam duntaxat, quæ ad eiuſmodi effectum per ſe procliuior eſt, quàm ad oppoſitum, quæque cæteras eiuſdem effecti cauſas, ſuopte ingenio aliud quippe molientes, ad effectum illud producendum confert. Sic Patribus ac Theologis familiare eſt exemplum claudicationis; quæ non vtique facultati progredienti, ſed tibiæ incuruæ tribuitur; quamuis & illa prior vtcunque claudicationem efficiat; ita enim efficit vt ſuapte natura rectum potiùs greſſum efficeret, niſi à vitioſa tibia ad claudicandum detorqueretur. Verumtamen ſi peccatum, vel natura, hoc eſt, ſubſtantia quæpiam eſſet, vel naturæ cuiuſpiam proprietas; tunc quidem auctori Deo non aſſignari vix poſſet. Omnem quippe naturam ſuis proprietatibus præditam vnus condidit Deus. Negarunt ergo PP. peccatum eſſe naturam, hoc eſt, *ſubſtantiam*, vel naturalem proprietatem. Id enim vnius peccati eſt, nulla vt natura ſuopte ingenio illud ſibi vindicet. Et quoniam *entis* ac *rei* nomen, ſi preſsè loquamur, ſoli ſubſtantiæ ac naturæ conceditur in Lyceo, ideo peccatum non *rem* aliquam neque *ens*, ſed *nihil* eſſe, hoc eſt, ex priuatione, non ex natura profectum aſſeruerunt; ipſumque hominem, dum peccat, nihil eſſe dixerunt. Quandoquidem homo tunc non tam operatur ſecundùm naturam, quam à Deo bonam accepit, quàm ſecundùm illud *nihil*, hoc eſt, illam priuationem vlterioris boni, quam vel habet de ſuo natiuam, vel aliàs peccando tanquam pœnam ſibi commeruit. Hæc vniuersè circa Patrum interpretationem delibaſſe ſit ſatis. Vnum Auguſtinum excutiamus in eo præſertim opere, vbi quæſtionem hanc examinat de induſtria.

Duo vtique perinſignia dogmata in Auguſtino animaduerti. *De natura boni in pluribus capitibus.*

1. Alterum eſt, mali originem non eſſe Deum, ſed primæuum illud *nihil*, quod vnicè noſtrum eſt. Nec tamen ibi ait, malum nihil eſſe: Quin eos caſtigat, qui ad ipſum *nihil* cauſam, ac proprietates accommodare contendebant; & vbi apud Ioannem habetur: *Sine ipſo factum eſt nihil*, hoc ipſum *nihil* tamquam opificium non à Deo, ſed ab alio factum interpretabantur. *ibi c. 28.* Id verò aptiſſimè in eos cadit, qui *nihil* inibi peccatum ac malum explicant, quod à nobis ſine Deo factum ſit.

Alterum Auguſtini effatum eſt peccati notionem, eiuſq; fœditatem non in appetitione deterioris Naturæ (omnis enim quæ appetitur Natura, bona eſt) ſed in rei melioris deſertione poſitam eſſe. *ibi. c. 34.*

Illud

Digitized by Google

Illud prius Auguſtini dictum, me quidem iudice, ſignificat, vnamquamque rem aliqua bonitate præditam, quippe quadamtenus ſimilem Deo. Deus enim ſumma & infinita bonitas eſt; proinde quidquid in eo verſatur, eſt bonum. Ex quo ſtatim naſcitur, vt quidquid cum eo aliquam ſimilitudinem, atque vnitatem habet, aliqua pariter ſit bonitate reſperſum. Nec verò poteſt omni carere ſimilitudine cum Deo, quod effectum eſt à Deo; Nequit enim effectori ſuo effectum non aliqua eſſe conuenientia & ſimilitudine temperatum. Sed quia Deus effecta ſua ex nihilo eruit, non poteſt ea proinde ſibi affatim aſſimilare, ſicut abſolutiſſimè ſimilem atque vnum ſibi parit Filium, quippe genitum non effectum; ideoq; non ex nihilo erutum. Ab hoc enimuero abſolutæ ſimilitudinis defectu, quem res creatæ non è paterna nobilitate procreatoris, ſed quaſi è materna nihili obſcuritate traxerunt, duæ deterrimæ proprietates ipſis innaſcuntur. Altera, vt illæ malum cuipiam eſſe poſſint; altera, vt malo quopiam affici poſſint. 3.

Poteſt vtique res ex nihilo educta malum eſſe alicuius: nempe, ſi res ex nihilo educitur, non eſt ipſa proinde rerum vniuerſarum principium, & fons; atque adeo nil obſtat, quin illius rei Natura alij cuipiam rei contendat, vel abſolutè ne ſit, vel certè ne bene ac beatè ſit. 4.

Item malo affici poteſt quodcumque ex nihilo extitit; vel quia tum illius conſeruatio, tum dotes vniuerſæ ex aliena libertate dependent, à qua his omnibus pro arbitratu nudari poteſt, vel quia cùm ea res non ſit rerum omnium vena, imò habeat cauſam ſui, haud neceſſe eſt res poſſibiles vniuerſas in eius bonum ac fœlicitatem conſpirare.

Ex hoc efficitur, primùm, res omnes procreatas obnoxias eſſe illi malo, 5.
quod continetur in priuatione bonorum ſuæ naturæ congruentium.

Efficitur deinceps, vt quemadmodum Deus impertire valet procreatis rebus aut eſſe, aut reliqua bona per alias res à ſe procreatas, quæ dum id muneris præſtant, *ſecundariæ cauſæ* dicuntur, ita valeat rebus à ſe conſtructis adimere, aut *eſſe* pariter, aut reliqua bona per alias item res procreatas. Sic enim plantas per nebulam adurentem interficit; nec non ponderoſa corpora ex loco naturaliter debito per extollentem impulſionem deturbat. Itaque poteſt contingere, vt aliquas eiuſmodi ſecundarias cauſas extare, id ipſum malum, hoc eſt, noxium, ſit quibuſdam creatis naturis.

CAPVT LI.

Duo tantũ mala phyſica interiora poſita in re non in priuatione: error ac dolor: ambo ex vitio primæui nihili, quod noſtrum eſt.

Sed ex dictis à me hactenus non perſpicitur aliqua res diſtincta ab omni vacuitate ac defectu, quæ res alij rei per ſe, ac ſuo nutu ſit mala; ſed modò quatenus cuiuſpiam boni priuationem obtrudit. Idq; forſitan de rebus inanimis non incommodè affirmaretur; ſi ad eas verum bonum verumque malum pertinere opinaremur, 1.

Ve-

Digitized by Google

Verumtamen in Naturis cognitione atque appetitione præditis mala quædam deprehenduntur, quorum vitioſitas ægrè admodum in ſolam priuationem referri poteſt. Ea ſunt (ſi de Phyſicis malis loquamur) in cognitione quidem error, in appetitu dolor: ambo quippe meris vacuitatibus ſibi oppoſitis ſunt deteriores. Sed huiuſmodi quoque malorum neceſſitas primæuo nihilo, ex quo emergimus, iure imputatur; itaque in ea item mala valet dogma illud Auguſtinianum, quod recitaui.

2. Fieri non poterat, vt res quæpiam humilis ac nihili, vno verbo, ex nihilo condita, æquaret Deum conditorem ſuum, vel in cuiuſlibet ſuæ aſſenſionis certiſſima firmitudine, vel in ſuarum affectionum liquidiſſima tranquillitate nullis obnoxia perturbationibus. Cùm enim fœlicitas vniuerſa his ipſis duobus, hoc eſt, veri perceptione & affectionum tranquillitate contineatur, vt idoneo loco dicemus, vtique ſi creatis ab animis cunctæ minùs veræ aſſenſiones neceſſariò exularent, nec ijdem animi vlla poſſent affectione conturbari, quælibet res creata cognitionem atque appetitionem vſurpans neceſſariò quadamtenus frueretur fœlicitate, qua vberiore quidem, qua parciore, vt item Cęlicolæ; ſed nullo ærumnarum, nullo anxietatis morſu temeratâ. Quælibet enim ærumna vel anxietas perturbationis ac doloris aculeos habet. At enim nulla res ex nihilo extracta in tantum dignitatis aſcendit, vt ſua vi non ex alicuius beneficio, neque ex rerum honeſtè à ſe geſtarum remuneratione, vitam planè omnem debeat fœliciter ducere. Ni ergo error ac dolor exiſtere potuiſſent, nec pariter exiſtere potuiſſent extra Deum hæc duo tam egregia, cognitio, & appetitio; quippe tum cuiuſlibet rei creatæ menſuram prætergredientia.

3. Ad hoc oportebat, rebus cognoſcentibus aliquam permitti futurorum cognitionem, tum vt illæ futuris bonis operam darent, tum ne illarum intelligentia breuiuſculis ſeptis exacti atque inſtantis temporis coërceretur, ſed equitaret, vt ita loquar, per immenſas conſequentis æui plagas, ſola æternitate finitas. At futura ex vno pendent Dei arbitrio, cuius arcanæ deliberationes natiuam omnem creatæ mentis perſpicacitatem fugiunt. Quocirca opus fuit, vt per coniecturas probabiles vtique ſed fallaces, nec immunes ab errore, creata cognitio veſtigia futurorum euentuum odoraretur.

4. Similiter in appetitu dolorem peculiaris quædam ratio poſſibilem fecit. Niſi enim boni priuatio dolore appetitum noſtrum exulceraret, ſegniùs ad eam expellendum commoueremur. Ita enim comparati ſumus, quotquot appetitione vtimur: Supplicij terror acriores habet ictus, quàm præmiorum illecebra. Patet hoc in belluis: eas namque promptiores facit verberum dolor, quàm cibi voluptas: patet in pueris: patet in nobis, quos vehementiùs vrget Tartarorum horror, quàm Cœli cupiditas.

5. Vtile igitur irritamentum nobis fuit ad bona comparanda, eorumdem

bonorum priuationem aſperari per aliud malum præ ipſa priuatione nobis deteſtatum. Præterquam quod opportunè factum eſt, vt dolor ſenſum percellens infligeretur etiam ab ijs rebus, quæ licet in præſens nil boni adimant, tamen interitum clam, tardeq; machinantur; alioqui nullus eſſet monitor, qui animal ad huiuſmodi res expellendas excitaret; eoq; animantes fermè vniuerſas inopina mors citiſſimè opprimeret. Quoniam verò Natura ad id quod appetit obtinendum media eligit haud vtique certa, & nunquam irrita, vt aliàs dictum eſt à nobis; ſed eiuſmodi quæ in raris & fortuitis quibuſdam euentis à ſcopo aberrant; ideo res quædam haud ita lethales minus doloris nonnunquam afferunt, quàm aliæ perquam peſtilentes; quod porrò contingit vel quia in molliorem ac delicatiorem animantis artum incidunt, vel alijs ex cauſis, quas perſequi prælongum foret.

Quod autem expoſui ſuper rebus vitæ inſidiantibus, valet pariter in res 6.
inſidiantes reliquis animantium bonis. Nec enim animalium natura in id præſtantiæ conſcendit, vt ei debeatur præſenſio cuiuſlibet damni hinc vel illinc impendentis. Quamobrem vnus dolor fidiſſimus animali delator eſt inſidiarum, quæ in eius vitam ab intimis hoſpitibus intenduntur.

Quemadmodum verò propter eiuſmodi rationes expediebat vſuvenire, ita re propemodum vſuvenit. Quilibet enim dolor ſi primam eius ſtirpem accuratè rimemur, non aliunde in animantibus naſcitur, niſi vel quod illis aut re, aut opinione abſint debita bona, vel quod illis aut re, aut opinione obſidientur eiuſmodi res, quæ talium bonorum priuationem aut inferre valeant, aut fouere.

Lib. de natura boni c. 20. Quæ ſanè doloris vtilitas Auguſtini aciem non fugit. *Sunt autem mala,* 7.
inquit, *ſine dolore peiora: peiùs eſt enim gaudere de iniquitate, quàm dolere de corruptione. Verumtamen etiam tale gaudium non poteſt eſſe niſi ex adeptione bonorum inferiorum, ſed iniquitas eſt deſertio meliorum. Item in corpore melius eſt vulnus cum dolore, quàm putredo ſine dolore.* Hæc Auguſtinus.
At verò quia malum aliquod cuiuſpiam tunc ſolùm prudenter atque amanter 8.
eligitur gratiâ boni, cùm id boni, ad quod conducit, plus habet ponderis inter bona, quàm eiuſmodi malum inter mala, ideo par fuit animantium cognitionem ita eſſe comparatam vt plerumque collimaret. Aliàs præſtaret quacunque iudicandi facultate deſtitui, quàm eâ potiri, quæ vt plurimum falleretur. Sed iam Andreas demonſtrauit hoc, vt requiro, ſic euenire. Nec ſecùs, vt dolor in ſentientibus naturis opportunè, commodeq; inſtitueretur, oportuit præ dolore voluptatem frequentiùs animalibus conſociari. Id verò ſic accidere (quidquid vociferentur humanæ infœlicitatis amplificatores) experimento liquet hoc modo.

Vbi ſupra delectationem cruciatus excreſcit, deſperato quidem omni vel delectationis incremento, vel cruciatus leuamento, mors illico in votis eſt; ceu

Digitized by Google

ceu contingit ærumnoſis quibuſdam vel morbo, vel infortunio conflictatis;
9. itemq; animis tartarorum ſupplicio æternùm addictis. Hinc Seneca in Hercule furente id ſolertis immanitatis conſilium edidit.

Miſerum veta perire, fœlicem iube.

Et Senecâ antiquior Euripides Polixenam inducit firmiſſimis rationibus Matri demonſtrantem (negabat hæc filium Vlyſſi vt ad Achillis tumulum immolaretur) miſeris mortem vitæ præoptandam. Nec ſanè deceptus Tiberius, cùm à Reo quodam diuturni ſæuiq; carceris pertæſo rogatus, vt eum addiceret morti; haud, inquit, adhuc mecum in gratiam rediiſti. Et verò beneficij loco petijt à Superis Chiron ille immortalis (Agathonis fabula eſt apud Ari-
10. ſtotelem) vt morte à vulnerum cruciatibus liberaretur. Contra penes Virgilium Iuturna Iouem expoſtulat, quod ſe immortalem faciens calamitatibus ſupereſſe coëgerit.

in Hecab. act. 2. Suet. in Tiber. 3. Eth. ad Eudam. Æn. li. 12

Neque porrò ita colligas, inhoneſtum atque adeo inſipiens eſt ſibi manus inferre: igitur & necem ſibi deſiderare. Id enim tantumdem valet, atque hæc alia concluſio. Non licet ſeruo propria auctoritate diſcedere à domino; ergo neque licet cupere, vt à domino libertate donetur. Similitudinem inter vtramque concluſionem paucis expedio. Homo quidem haud ſui iuris eſt, ſed Deo mancipatus; Dum ergo ſeipſum tollit, Deo iniuriam infert. Quam ſanè rationem vnicè aptam exiſtimauit Theologus perinſignis, cur numquam homini liceat ſibi manum inferre. Neque tamen conſequens eſt, deſiderationem
11. quoque mortis obeundæ ſemper inconceſſam. Verum de hoc alio loco dicendum erit vberiùs. Quibus verò ſpes aliqua iucundioris conditionis affulget, velut ægrotis, optatur ſaltem aliqua viuendi ceſſatio per ſomnum, quæ temporaria mors eſt. At è contrario videmus communiter animantes vitæ ac vigiliæ cupidas eſſe, ni ſomni peculiaris indigentia ſubierit. Ergo communiter plus ſolatij, quàm afflictationis in vita dignoſcunt.

Card. De Lugo. de Iuſt. & Iure. diſp. 10 ſect. 1.

CAPVT LII.

peculiaris ratio quæ requirit dolorē poſſibilem in reb. creatis liberis: & multa ſuper dolore.

1. AD has cauſas, quæ doloris inſtitutionem neceſſariam reddidere vniuerſim in appetentibus naturis, modò liberis, modò non liberis, accedit alia peculiaris cauſa in nobis, hoc eſt, libertas diuinis legibus perrumpendis obnoxia, cuius proprietatis cauſam haud ita multò poſthac inueſtigabimus. Nec enim par fuit, vt quæcumque in bonorum omnium largitorem tam iniuſtè, tam ingratè peccamus, nihil grauiùs ab eo plecti poſſent, quàm vt ſubtraheret ille peccantibus noua beneficia, qualia ſunt vitæ bonorumque noſtrorum ad nouum tempus propagatio; ſed debuit læſa Diuinitas poſſe nos in truciores miſerias conijcere, quàm ſi natiuo nihilo nos derelinqueret: adeoq; neceſſe fuit inueniri malum quoddam ſuper priuationem priuatione ipſa deterius. Hoc autem malum dolor fuit.

2. Sanè de ingenio doloris id præterea iuuat animaduertere; Quemad-

 modum

modum vita, cognitio, & ſi quid aliud ſua ſponte deſideratur, eſt tantummodo *bonum quod* (vti dicebamus) nihil fœlicitatis impertiens abſente delectatione, quæ dicitur *bonum quo*, videlicet boni poſſeſſio; & inſuper delectatio ipſa per ſe deſiderabilis eſt, adeoque etiam *bonum quod*; hoc idem ſua ratione in dolorem conuenire. Imminens vitæ iactura, ignoratio vel ſi quid aliud ſua ſponte, malorum eſt, aut quæ res illas efficiunt, ſunt *malum quod* tantummodo, nec miſeriam inferunt, niſi dolor accedat, qui eſt *malum quo*, ſcilicet ipſa mali detrimentoſa poſſeſſio. Eapropter, mala refugimus non tantùm ex eorum vitioſitate, ſed aliquando nullo alio in ipſis perſpecto vitio, propter dolorem, quem incutiunt. Quod pari ratione accidit in rebus delectationem affundentibus.

Dum Querengus aliò ſermonem conuerſurus videbatur, hæc illum inhibuit Saraceni percunctatio: Si nullum eſt malum, quod ſeparato dolore hominem infœlicitet, conſequens eſt, vt ea quæ vocatur *pœna damni*, ſeparatâ eâ, quæ vocatur *pœna ſenſus*, non infœlicitaret animos Tartaro addictos.

Mendoſè conficis, Querengus ait; *Nimirum pœna ſenſus* in Tartarorum indigenis non ſignificat vniuersè quamlibet eorum triſtitiam, adeoque pœna ſenſus non ſignificat dolorem illum, quo anguntur ex priuatione diuini aſpectus. Alioqui infantium animæ limbum incolentes, quæ vtique hac priuatione dolent, pœna ſenſus cruciari dicerentur. Quare in damnatis Tartaro mortalium animis ille dolor ſignatè *pœna ſenſus* appellatur, qui reſpondet dolori noſtro non ex animi cognitione profecto, ſed corpus atque inprimis Tactum excrucianti. Sed quia variatur inter Theologos, an dolor eiuſmodi pertineat 3.
etiam in prauos Angelos, quippe ab omni affectione corporea naturaliter immunes; in ipſis certè *pœna ſenſus* ea tantùm vocabitur conflictati animi rabies, quam aliæ mouent ærumnæ præter exilium à cœleſti beatitate, quod *pœna damni* nuncupatur: eiuſmodi ærumnæ ſunt perpetua ad ignem alligatio, inuiſi generis humani fœlicitas, & ſcilicet ipſa Dei liquidiſſima beatitudo, vt heſterna die demonſtratum eſt: ſtat ergo damnatam inferis gentem haud plenè abſoluteq; miſeram fore ſi quemlibet mœſtitiæ morſum auellas. Neque tamen ſtat, quod conficiebas ex hac mea enunciatione, hoc eſt, cunctam damnatorum miſeriam vna ſenſus pœna contineri. (Li.1.c.43)

Haud propterea diffitear, aliquam eſſe infœlicitatis partem in omnibus illis exulantibus Cœlo mentibus diuini aſpectus priuationem: at ea dicetur potiùs infœlicitas *in actu primo*, vt aiunt, quàm *in actu ſecundo*. Planiùs eloquar. Infœlicitas quidem appellatur, quidquid, ſi cognoſcitur, meritò contriſtat: 4.
atque ita dormientes quoque infœlicibus accenſemus, vbi in ea conditione verſantur, quam ſi euigilantes agnoſcant, iure ſibi lugendum intelligant. Sed hoc ipſum eſt infœlicitas dumtaxat in actu primo, hoc eſt, imminens ac propinqua infœlicitatis vena; non autem eſt infœlicitas in actu ſecundo; nimirum

Digitized by Google

mirum non eſt id, quod per ſe, atque omni ſeparato effecto animum infœliciter. Dictum paucis euinco. Finge Luciferum opperiri in infernis Regnis Lethen illam, quam ibi fabulæ collocarunt, qua aſperſus præterita confeſtim oblitus ea perpetuò vteretur intelligentiæ celſitudine, cæteriſq; animi dotibus quibus mirificè excellit, nullo tactus angore, & ne ſuſpicans quidem ſe vitio ſuo de Cœlo deiectum, Deoq; inuiſum exulare; an ſummè calamitoſam Luciferi conditionem ſic effictam arbitrabimur? Haud ſanè igitur malum tantummodo, ſed ſcilicet mali notitia, notitiæque germen dolor infœlicitatem abſoluunt. Hactenus de malo naturali.

CAPVT LIII.

Prater duo prædicta mala phyſica in re non in priuatione poſita, eſt etiam malũ morale, ſeu peccatũ. Cur neceſſe fuerit peccatum eſſe poſſibile.

1\. IAm de morali malo dicere aggredior, hoc eſt, de peccato. Hoc item neceſſe fuit poſſibile vt eſſet; quò poſſibilis eſſet virtus, adeoque libertas. Porrò animum in actionibus ſuis liberè dominari, ac poſſe ſtudioſè agere, itaque laudes & præmia demereri inclytum quid boni eſt. Id autem tripliciter omnino poteſt alicui conuenire. Primùm ſi quis fuerit inſtructus eiuſmodi libertate, cui ſemper ſummum honeſtatis laudiſque faſtigium neceſſariò cohæreat. Hæc enimuero libertas in Deum cadit. Is enim, vtpote, qui ſuprema eſt honeſtatis norma, proinde nec aliquid naturaliter inimicum honeſtati adamare poteſt, nec inter honeſtè amabilia, dum alia alijs præfert, poteſt minùs

2\. quàm honeſtiſſimè agere. Cuius rei cauſa illa demum eſt: Diuinus amor, atque approbatio id fermè præſtat erga res ſibi obiectas, quod præſtat Sol erga alias atque alias Lunæ partes: hæ nimirum vti ſunt vel aſpectæ, vel inaſpectæ Soli, ita modò inclareſcunt, modò inobſcurantur. Non aliter cunctæ res, quæ Diuinæ menti obuerſantur, vt eas Dei amor atque approbatio vel petit, vel refugit, ita confeſtim pulcherrimâ honeſtatis luce vel renident, vel viduantur: & quam induunt vel pulchritudinem, vel deformitatem, tum nobis tum Deo contemplanti præſeferunt. Eo tamen inter ipſas diſcrimine, quod aliqua neceſſariò diſplicent Deo, ceu ſui contemptus atque odium. Alia diſplicent Deo, Naturâ ſic flagitante, quoniam ita è re noſtra eſt; liceret tamen Deo repugnare huiuſmodi votis, atque emolumentis procreatæ Naturæ, quemadmodum ei liceret negare igni opem ignis Naturæ debitam ac neceſſariam ad calefaciendum. Huius generis mala ſunt homicidium atque eiuſdemmodi facinora humanæ genti pernicioſa. Alia demum pro ſuo tantùm arbitratu, & nihil id exigente Naturâ Deus auerſatur; ceu eſum quorumdam ciborum in Lege veteri. Duo quidem ſuperiora operum genera dicuntur *iure Naturæ inhoneſta, & ideo vetita, quia mala.* Vltimum contra dicitur *inhoneſtum iure poſitiuo*, ſeu arbitrario, & *ideo malum, quia vetitum.* Quæ doctrina pari ratione transferri poteſt etiam ad varia honeſtorum operum genera. Cæterùm id æquè valet in omnia, vt poſtremum illud, quod perficit honeſtatem ſiue turpitudinem rerum, vel Deo vel nobis obuerſantium, vna ſit diuinæ

voluntatis approbatio, vel auerſatio. Quocirca ſicuti nobis id ipſum honeſtiſſimum, quod Deo gratiſſimum; & ſimul atque in diuinæ legis variatione aliquid deſinit, aliudq; incipit Deo placere, confeſtim illud exuit, hoc induit apud nos honeſtatem, ita quoque propemodum agitur cum ipſo Deo. Quantùm ergo perneceſſaria eſt huius coniunctionis veritas: *Id Deo maximè placet, quod Deo maximè placet:* tantumdem perneceſſarium eſt, hoc aliud verum eſſe: *ſemper Deo perplacet, quod honeſtiſſimum. Quod* enim *honeſtiſſimum*, & *quod perplacet Deo*, re vnum atque idem ſunt. Eximium hoc libertatis genus, vt videtis, in vnum Deum quadrare poterat, cuius ea eſt excellentia & imperium abſolutiſſimum; vt ad ipſius voluntatem honeſtas omnis exigatur. 3.

Altera libertatis ratio ea eſſe poteſt, cui arbitrariæ tantùm ſint aliæ atque 4. aliæ affectiones honeſtæ, vel certè inſontes; prauæ non item. Hanc ſortiuntur libertatem, qui diuino munere ſunt impeccabiles, veluti Chriſtus & Cœlicolæ vniuerſi. At neque in hanc libertatis præſtantiam vllus de procreatis animis naturaliter aſſurgere poterat. Id vt oſtendam, adſtipulatur mihi ea ipſa ratio, qua nuper generatim probaui opus fuiſſe, vt in res cognitione atque appetitione præditas caderet malum aliquod phyſicum ſupra omnem priuationem. Scilicet quicumque hoc altero libertatis genere vteretur, ſuapte naturâ ſemper virtute clareſceret, eoq; ſemper fœlicitate perfunderetur. Fœlicitas namque merces eſt, quæ iure virtuti rependitur: Non ita quidem debita, vt ſit continenter ſoluenda: par eſt enim, vt prælium ac victoria præeant, nec ſine aliquo temporis interuallo corona ſuccedat: ſed certè debita vel poſt mortem, vel poſt moram aliam à Deo ſtatuendam; & æquè debita ex ærario Dei tamquam Principis ac moderatoris rerum ratione vtentium, ac debitus eſt igni calor ab eodem ærario Dei tamquam Auctoris rerum omnium naturalium. Ergo quiſquis naturâ in præcellentem eiuſmodi libertatem incidiſſet, acceptum vtique referre poſſet diuinæ largitati, gratuitiſque intelligentiæ radijs inde ad ſe delapſis præſtabiliorem aliquem virtutis ac fœlicitatis gradum: at virtus & fœlicitas in vniuerſum culpæ timoriſq; penitus neſcia proprium eſſet, vt ita dixerim, patrimonium eiuſce animi tam eximiam libertatis conditionem naturaliter nacti.

Iam ſicut deſpicatiſſimum illud *nihil*, ex quo producimur, inferius quid 5. eſt, quàm vt quippiam iuris ad exiſtendum venire poſſet in nos: ſed planè liberali munere illius, qui vnicè, ex ſe ac ſummè eſt, ſumus quotquot aliquid ſumus: ita poſtquam è nihilo educimur, eâdem natiui nihili ignobilitate prohibemur ab obtinendo qualicumque naturali iure, vt bene beateq; ſimus; ſed hoc pariter bonum ſperare tantummodo nobis licet ex munificentia illius, qui per ſe, ac ſummè omnium eſt bonus. Nec enim rem vllam ex nihilo nuper ſublatam, id celſitatis naturaliter condecet, vt cùm primùm ſe aliquam eſſe videat, tam certâ ſui fiduciâ perennem ſibi fœlicitatem polliceatur, quàm certum

tum

tum eſt nos apertis oculis Solem inſpecturos; quod vt ſuccedat, vix vnquam Cœlo mittuntur hominum vota. Quin potiùs æquum fuit, vt nullo iure geſtientes, adeoque nullâ quærendæ fœlicitatis euidentiâ ſecuri eam infimis precibus à rerum Domino peteremus, vtque illam ſubinde acceptam poneremus inter beneficia vſquequaque gratuita, clementiam adorantes beneuolentis Dei, qui mentem noſtram illuſtrans, atque appetitum temperans, extulerit, nos in talem ſuæ ipſius vitæ propinquitatem, qualis eſt, ſempiterna fœlicitate potiri.

6. Neque verò quæ propoſui, abhorrent vtique ab Ariſtotelis doctrina. *1. Eth. c. 9*
Is enim ſola monſtrante Natura vidit fœlicitatem deberi vt præmium virtuti, adeoq; diuiniſſimum quid eſſe rerum omnium, eamque, ſi quod aliud bonum, inter munera Diuinæ largitatis connumerandam. Hæc igitur ratio illis rationibus non abſimilis, per quas Auguſtinus ac reliqui Patres concludunt indigentiam diuinæ opis gratuitæ quodlibet noſtrum promeritum præuertentis, & per quas ipſe Ariſtoteles vidit primam bonam cogitationem non eſſe Naturæ noſtræ, ſed liberalitatis Diuinæ, puto ſatis confirmari quantùm rei ſublimitas, adeoq; obſcuritas patitur, commune Theologorum dogma, negantium, effici mentem liberam poſſe naturaliter impeccabilem.

Vide Vaſq. 2. 2. diſp. 189. c. 11. & 12.
9 Moral. ad Eudemũ circa finem.
7. Moral. ad Eudẽ. circa fin.

CAPVT LIV.

Stoicorũ doctrina ſpecie ſancta, re deterrima.
Emolumẽta ex peccato emergentia.

1. HIc Andreas, Sine, inquit, vt pauliſper hoc loco Stoicis indigner, ſpecie quidem Philoſophorum ſanctiſſimis, re omnium deterrimis. Hi non modò pugnabant fœlicitatem noſtram nobis omnino eſſe in manibus extra omnem Dei poteſtatem, itaque peſtiferam hæreſis Pelagianæ ſementem inſperſere; ſed libertatem inficiantes, quamquam ab ea vulgari criminatione Stoicos vindicare laborat noſter Salas, delicta indiſcriminatim omnia æquo planè loco habentes, nec mentis errores ab animi vitijs, nec ſapientiam à Virtute diſtinguentes, extitere, vt ita loquar, Ethnicorum Lutherani & Caluiniani. Quin etiam magnificè prædicantes virtutem ſe ipſa contentam, & peramplam ſui eſſe mercedem, eamdemq; vel in equuleo beatam, prout in ipſis fuit, eneruarunt robuſtiſſima quæque argumenta, quæ ab Ethice miniſtrantur, animorum immortalitatem propugnantia. Adeo interdum peſſimo contermina eſt optimi affectatio: Mihi quidem vehementer probatur ratio iſthæc tua: repugnare creatis animis naturale plerumque ius ad fœlicitatem: illos proinde, ſi à peccatis immunitatem naturâ ſortirentur, ne libertatis quidem compotes naſci potuiſſe, quomodo à te luculenter expoſitum eſt.

2. Verumtamen Querengus perrexit, Si peccatum nullâ vtilitate, nullo planè honeſtatis emolumento ab ingenita prauitate redimeretur, citiùs contingeret nulla vt res condi poſſet virtutis ac ſtudioſæ actionis capax, quàm vt eâ gratiâ poſſibile peccatum foret. Etenim nihil ita poſſibile eſt, quin, ſi fiat, ſponte ſit à Deo procreandum. Nec purum malum, ac turpe poſſet vllatenus

Digitized by Google

in electionem, ſeu voluntatem, ſeu permiſſionem cadere ipſius Dei, hoc eſt, ſupremæ bonitatis atque honeſtatis. Verumtamen huc ſpectat ratio illa pernobilis D. Thomæ, qui dum exquirit an ſit Deus, ita ferè obijcit ſibi: quemadmodum ſi verſaretur in rerum Naturâ calor aliquis infinitus, nihil frigoris extare poſſet, calor enim ille infinitus contrariam ſibi qualitatem funditus deleret, non aliter, ſi in rerum vniuerſitate verſaretur Deus, bonum videlicet infinitum, profectò nulli malorum locus aliquis permitteretur. Prædictum verò argumentum ex Auguſtini doctrina ita planè diſſoluit. Deus ita bonum eſt infinitum, vt ſimul ſit infinitè potens; Infinitæ verò potentiæ decus eſt proprium, vt ex ipſis mali ſordibus bonitatis florem eliciat; adeoq; poſſibile eſt malum, quatenus hoc infinitum bonum, valet ex ipſo malo bonitatem exprimere. Exprimit porrò Deus è peccatis bonum, dum per illa ſuam oſtentat in parcendo clementiam, in plectendo iuſtitiam, in vtroque tum infirmitatem noſtram, tum poteſtatem ſuam, vnde ſibi amorem ſimul, ſimul reuerentiam parat.

1. p. q. 2. Art. 3. ad 1 — 3.

CAPVT LV.

Diluitur hac oppoſita ratio: Si peccatū infert plus mali q̄ boni, ne permitti q̄dē poteſt à Deo, ſin plus boni. q̄ mali, deſiderari etiā plenā volūtate poteſt.

1. INtercessit Saracenus: Quamuis præclara iſthæc peccatum conſequantur, vtique tamen quid amplius, quàm ea bona, eſt id mali, quo peccatum ſordeſcit: aliàs namque peccati rationem non conſeruaret. Minora ergo hæc ſunt, quàm vt peccatum prorſus inamabile non remaneat Deo, quippe veritatis ſcientiſſimo probitatiſq; ſeruantiſſimo

Quod opponis, Querengus occurrit, monet me, vt euoluam confuſum quid, ac vulgariter inobſeruatum, quod in moralibus quæſtionibus non raros efficit lapſus. Heſterno ſermone Illuſtriſſimus Cardinalis egregiè docuit a; Naturæ, hoc eſt, Deo, non id omne rerum inter ſe pugnantium impenſiùs placere, quod melius eſt, ſed id ipſum quod melius eſt vt illi perplaceat; eodem pacto non id modò permittit Deus quod melius eſt, euenire, ſed id omnino, quod melius eſt, ab ipſo permitti. Itaque, vt alicuius voluntatis probitas vel improbitas dijudicetur, non ſatis eſt explorare vtrum in re obiecta bonum, an malum excellat; ſed, ſatiusne, an deterius ſit eiuſmodi voluntatem licere, commendarique. Iuuat exemplis rem explanare. Praua vtique fœneratio eſt quippe ciuibus exitioſa; ideo eam abſolutè appetere inhoneſtum. Atqui non ita inhoneſtum vrgente indigentia petere à fœneratore pecuniam, tributa ei optione vel legitimæ pactionis, vel etiam fœnerationis. Ad hoc; etſi poſt initam fœnerationem inhoneſtus eſt eiuſdem effectus, hoc eſt, pacti fœnoris acceptio; integrum tamen eſt debitori, vt in id mali perficiendum per ſolutionem operetur. Quin etiam integrum aliquando Principi eſt in idipſum debitores compellere, quomodo fit ſuper fœnere Iudæis vtcumque permiſſo. Nec ſatis occurritur ſi dicatur: promittere vel ſtipulari, ſoluere vel accipere, diſſimiles eſſe actiones, alteras vtique licere, non item alteras. At enim improbi operis non tantùm auctor, ſed adiutor & peccat & plectitur. Iam verò

(margin: 2. beside "improbitas dijudicetur")

a Li. 1. c. 28. & 35.

in

in exemplo à me producto ipſi flagitioſæ acceptioni adiutor eſt is etiam, qui ſoluit, quique adigit ad ſoluendum. Item ipſi iniuſtæ ſtipulationi adiutor eſt, qui impermiſſas vſuras relaturum ſe pollicetur. En tibi duos operantes eidem actioni prauæ quidem ac vetitæ, alterum tamen ſceleſtè, alterum innocenter.

3. Vnum ergo ratumque diſcrimen inter eos eſt, alius atque alius modus, quo vnam & eamdem rem volunt ambo. Etenim pernicioſum Reipublicæ foret, ſi fas eſſet velle fœnerationem abſolutè; itidem ſi fas eſſet velle abſolutè deinceps initæ fœnerationis effectum; ideo vtrumque abſolutè velle, nefas. At non ita pernicioſum, ſi liceat hæc eadem velle voluntate quadam indifferente, neque ad hæc praua, quàm ad alia meliora loco illorum gerenda quidquam proniore. Idcirco, in fœnerationem fœnerationisve effectum per eiuſmodi voluntatem conſentire, nil vetamur. Enimuerò talis voluntas indifferens geritur ab eo qui nummos fœnore poſtulat: quippe nihil is abnueret eoſdem nummos abſque inhoneſta illa conditione mutuari, eos ſi argentarius mutuare ſic vellet. Itidem vbi debitor promiſſum fœnus exſoluit, vel vltro, vel Magiſtratu cogente, ſanè tum ipſe, tum Magiſtratus præoptaret, vt inconceſſo lucro fœnerator abſtineret, ſed eatenùs in eam actionem conſpirant, quatenus alioquin fœneratori non ſatisfieret. Siquidem tanti eſt, vt ciuium indigentijs præſentis pecuniæ ſubſidium præſtò ſit ſaltem ab ijs, ex quibus vna nefarij quæſtus certa ſpes mutuationem exprimere poteſt.

4. His vniuerſim enucleatis, rationem tuam ita diſſoluo. Peccatum eiuſmodi malum eſt, in quod abſoluta Dei appetitio ferri non poteſt, permiſſio & voluntas indifferens poteſt. Licere ſiquidem Deo id genus voluntatis, tum in rem Dei, tum in noſtram cedit. In noſtram ſanè: aliàs nempe, vt antea confirmaui, nec virtus, nec virtutis præmium, nec ſcilicet ſempiterna fœlicitas cadere poſſent in nos. Tum etiam id vergit in bonum Dei; ademptâ enim procreatis mentibus libertate, illico & Deo grati animi noſtri vicem omnem funditus adimi contingeret: hoc eſt, adimi id tandem omne, quod ex mirifico vniuerſitatis opificio ad ipſum opificem redit. Hæc autem bona, quæ Deo adimerentur, ſi peccatorum permiſſio eſſet Deo inhoneſta, plus habent momenti, quàm prauitas criminum, quorum patratio permiſſionem eiuſcemodi comitatur.

CAPVT LVI.

Cur peccatũ nullum tam ampli boni fertilitatem gerere poſſit, vt honeſtum Deo ſit efficaci voluntate in illud pendere. Item cur nemo plenè ſatisfacere vnquam poſſit Deo pro lethali culpa.

1. NOn per hæc Saraceno ſatisfactum, qui rurſus ita interrogauit. Quando bona, quæ emergunt, eò quòd honeſta ſit Deo peccatorum permiſſio, ſupereminent malum indidem erupturum, hoc eſt, peccatorum ea ope admittendorum fœditatem; quid eſt quare peccatum aliquod nequeat præuideri à Deo tam inſigniter fructuoſum, vt deceat illud abſolutè deſiderari; veluti eam

Digitized by Google

eam Dauidis noxam, cui noxæ genitum poſtea Salomonem aliqua ratione debemus? quod heſterna die ſuper hoc diſputatum eſt, quæſtionem non profligat, ſi rectè noui. Dictum eſt, neceſſariò Deum ab ſuo malo abhorrere: contemptum porrò quemcumque, ac dehoneſtamentum eſſe in malis illius, qui contemnitur atque inhoneſtatur; tum verò peccatum omne contemptum eſſe ac dehoneſtamentum Dei. Hæc omnino tum dicta ſunt. Age ſanè. Verùm ſicut hoc malum tantis bonis rependitur, vt Deus certò illud, ſi ipſe permittat, ſequuturum prænoſcens, honeſtè permittat, cur non etiam hoc malum ipſum aliquando tam amplo bonorum emolumento rependi poteſt, vt par ſit illud abſolutè optari & quæri à Deo, vtcumque retinente inefficacem optati criminis auerſationem, quali auerſatur permixtam aliquam omnibus fermè creatis à ſe dilectiſque rebus vitioſitatem? Oſtendiſti quidem non geri à Deo nunc efficacem eiuſcemodi peccatorum planè omnium, quæ perpetramus, appetitionem, vt Caluinus prædicabat. Ad hoc fortaſſe rationes tuæ id etiam euincunt, re ipſa eiuſmodi voluntatem erga peccatum prorſus nullam Deo ineſſe: at ne ineſſe quidem poſſe, auctoritas vtique mihi ſuadet, ratio non cogit. Hinc verò aliud vtique non magis apertum occurrit, quod exquiram. Scilicet ſi aliqua bona plus habent ponderis, quàm quantum vitioſitatis lethali noxa continetur, quid prohibet aut hominem aut Angelum, eiuſmodi bonis redimere affatim, ac plenè lethalem noxam in Deum perpetratam. Certè quoties offenſam paſſus, accipit ab offenſore plus boni, quàm acceperit detrimenti, enimuerò ei vſquequaque ſatisfactum cenſemus.

Li.1.c.31

2.

Perquam ſubtiliter interrogas, Querengus ait, quò par fuerit æquè ſubtilem à me reſponſionem referri.

Sanè Deum identidem noſtra temeritate contemni, non eò incommodi ac mali pertingit, quin alijs bonis commodiſq; redimi poſſit. Quis neget hoc, quando Theologorum effatum eſt, hoc ipſo plus gloriæ obuenire Deo, quod peccatur? Enimuero ſi peccati prauitas nullo valeret bono coæquari, quinam Chriſto, pro ea, qua ille candicat, incomparabili ſanctimonia, lætabile eſſet abſolutè, quod ſibi vita, ſibi diuinitas obtigerit, quando ad Aquinatis ſententiam, ni Adamus peccaſſet, Chriſtus vtique neque diuinitatem, neque vitam accepiſſet? Ergo haud malum eſt quantocumque fructu irreparabile, atque adeo innocenter illætabile peccata interdum admitti, Deum temerè interdum contemni. 3.

Atqui eiuſmodi contemptum Dei etiam licere extra reprehenſionem ac pœnam omnem, id verò cederet in deſpectionem longè indigniſſimam illius infinitæ, nec ſatis vnquam adoratæ Maieſtatis. Quocircà nulla quantumuis maxima diuinæ gloriæ vbertas, quæ inde naſceretur, tam peſtiferæ ſementis perniciem repararet.

Aliquam huius rei ſimilitudinem in terrenis etiam Regibus eſt inuenire. 4.

Nihil

Digitized by Google

Nihil enim ex Regis maieſtate decedit, quod ille audaculi cuiuſpiam ſeu voce, ſeu ſcripto, ſeu geſtu proculcetur. Iniquiùs enim conſtituta eſſet excellentiæ menſura, temerè vel contemnentium, vel reuerentium libido. At nimium quantum ex Regis maieſtate decederet, ſi ita proculcaretur, vt id irreprehenſum & impunè liceret.

5. Et hæc ipſa, ni fallor, illud alterum pariter, quod interrogabas, explicant ſatis. Cur ſcilicet purus putus homo vel Angelus mortali noxę per æquam ſatisfactionem delendæ omnino ſint impares. Iuuat eidem ſimilitudini inſiſtere. Fortaſſe plus emolumenti afferunt Regi decem myriades aureorum, quàm detrimenti contumelia neſcio quæ in eum à ſubdito iacta: hæc enim auctorem ſuum dedecorat veriùs, quàm Regem, nempe illius audaciam atque inſolentiam, non Regis indignitatem, demonſtrat. Nec tamen ſi contumelioſus ille ſubditus Regi ſuo decem myriades aureorum perſoluerit, continuò ſatisfeciſſe affatim pro ea iniuria cenſetur? Cur ita? Quia ſcilicet hoc Regi noceret, ſupra quantum pecunia illa prodeſſet; licere ſcilicet vnicuique ſubditorum per eam auri vim redire in gratiam cum Rege, quem contumelioſè habuiſſet, atque ita

6. euadere pœnam omnem pro tam petulanti flagitio luendam. Eadem ratione, quamuis homo vel Angelus per egregia virtutum opera exaugere poſſint diuinam gloriam, magis quàm aliquo admiſſo lethali crimine eamdem extenuauerint; hoc tamen ipſum diuinam gloriam immaniter ac ſupra omnem compenſationem extenuaret; ſi nimirum aliquis, poſtquam ſummè verendam illam Numinis Maieſtatem grauiter offendiſſet, id per ſua opera valeret, vt eiuſmodi noxam penitus expungeret, diuinamq; auerſationem extingueret, atque extra omne vel odij, vel ſupplicij meritum ſe collocaret.

7. Tum Saracenus: Vis iſtius aſſumptionis ad ritè colligendum etiam nunc fugit me. Nec enim video, quomodo in omnes euentus cogitabiles quadret, ita vt conficiatur nunquam fieri poſſe, vt efficaci voluntate placeat Deo vel peccatum noſtrum, vel certè illa ipſa appetitio noſtra, quæ nunc peccatum appellatur; An non heſterna diſputatione obſeruatum eſt, contendi poſſe, peccatum aliquo euentu ſimul eſſe Deo carum re ipſa, ſimul opinione peccantis inuiſum; ideo, etiam tum vituperatione ac ſupplicio dignum? Lib.1.c.

Da mihi operam, rogo, Querengus inſtitit. Primùm vtique oſtendam, fieri non poſſe, vt ſimul Deus abſolutè velit huiuſmodi appetitionem, ſimul ipſa reprehenſionem ac pœnam mereatur, adeoque peccati vim ac notionem habeat. Deinceps oſtendam fieri quidem poſſe, vt Deus velit appetitionem liberam noſtram amplexantem id quod Deo inuiſum arbitramur, quin tamen hæc appetitio peccati vim ac notionem haberet. Atque ex his duobus conſtabit in appetitionem illam nullo planè modo abſolutam Dei voluntatem ferri poſſe.

8. Age. Quantum attinet ad illud primum, repugnantia planè aio hæc duo inter

Digitized by Google

inter ſe aliquid abſolutè Deo expeti, ſimulq; in peccatis numerari, eoq; deteſtationis ac pœnæ materiam eſſe. Dei enim appetitio ſuperat atque abſtergit ſemper quidquid labis rem expetitam inficiebat. Neque verò ita reſiſtas: Si falſo credam digiti porrectionem odioſam Deo vtique digitum porrigendo peccauero; Igitur haud tam vera Dei affectio, quàm agentis hominis perſuaſio id tandem eſt quod actionem aliquam in peccatis ponit. Haud, inquam, ita reſiſtas. Nempe non porrectio ipſa tum, ſed porrigendi voluntas flagitium erit vituperandum ac puniendum. Et quidem voluntas illa verè tum, non mea tantum perſuaſione diſpliceret Deo; videnti ſcilicet deſpectari ſe per eam voluntatem, vtpote quæ poneret ante exiſtimatam auerſationem Dei aſpernabile neſcio quod volentis hominis delectamentum. At ſi Deo non illa tantùm exterior motio digiti, ſed interior ipſa voluntaria contemptio verè abſoluteque placeret, hæc vtique iure amabilis Deo foret, non iam odioſa & caſtiganda. Non igitur ea digiti motio tum in peccatis eſſet. En tibi alterum duorum, quæ me probaturum ſpopondi.

Leuis negotij iam erit alterum pariter comprobare; hoc eſt, ne ita quidem poſſe Deo eiuſmodi voluntatem acceptam eſſe, vt ab ea noxæ fęditas deleatur. Illa enim ex hoc abſurda conſecutio naſceretur, quam paulò antè colligebam, ſcilicet ineffabilem Dei Maieſtatem eouſque abiectum iri, vt interdum innocenter contemni poſſet.

CAPVT LVII.

Depelluntur aliqua p̃dicta aduerſantia; & explicatur q̃dnã ſit, quò demũ redũt volũtates illæ, q̃ vocãtur obligatoria.

Magis equidem acumen ſuſpicio, quàm rationi acquieſco, Saracenus re- 1.
poſuit. Conſtat proculdubio, Martyribus interdum percupi necem ſuam, quin continuò iniuriæ peruerſitas ex ipſa exteriore occiſione detergatur. Conſtat decerni à Iuriſperitis, licet maximè Dominus eò deditâ opera nummos furi exponat, quò eoſdem ille adimat ac ſurripiat, minimè ob id ademptionem illam furti, vel improbitatem ponere, vel pœnas euadere. Quid ni ergo item accidat in re noſtra, ſcilicet ab incognita Dei lubentia vitioſum alioqui factum nihil purgari. 2.

Diſcrimen, ſedulò inſpicientibus, palam erit, Querengus perſeuerauit. Haudquaquam homicidium idcirco iniurium eſt occiſo, quia diſplicet occiſo, nec item furtum Domino iniurium eſt, quia diſplicet Domino; ſed quia ius retinent ne lædantur alter quidem in corpore, alter in fortunis. Quamobrem, quantumuis maximè conſtaret occiſionem ſuam illi, furtum huic in votis eſſe, tamen modò ne ius ſuum à ſe abdicent, ſed retineant, vtique iſtiuſmodi opera natiuam iniuſtitiam minimè ponent. Nonne ita eſt?

Ita planè Saracenus confirmauit.

Tum Querergus: Perge: voluntas hæc non abdicandi, ſed retinendi ius ſuum, aliter ne declarari poteſt, niſi hoc pacto, *velle vt factum illud detrimentoſum retineat eiuſdemmodi aduerſitatem legibus honeſtatis ac iuſtitiæ, qualem planè gereret, ſi læſo nil gratum eſſet?* Hic

Digitized by Google

Hîc Saracenus: Haud ſanè videtur mihi alio pacto exponi poſſe, quid tandem ſibi velit voluntas iſthæc non cedendi iure ſuo.

3. Ita planè eſt, Querengus adiecit. Haud te fallit, opinor, quæſtionem eſſe non difficultatis, quàm diſſenſionis pleniorem inter Scholaſticos, quid tandem phyſicum petat voluntas, quà pollicemur, vetamus, permittimus, aliæq; de hoc genere. Quippe quæ non ſemper expetũt opus ipſum, quod per eas præcipitur vel prohibetur. Nec enim infrequẽs eſt, promiſſorẽ ex animo quidem obligare fidẽ ſuam, at non ita ex animo ſtatutum ei eſſe, vt fidem obligatam ſeruet: Nec magis infrequẽs eſt, eũ, qui fũgitur Magiſtratu, ſeriò aliqua ſubditis interdicere; at non ita ſeriò cupere vt interdictis abſtineant, quin ex puniendi libidine præoptare, vt legem à ſe poſitam tranſgrediantur. Igitur eiuſmodi voluntates obligantes non tam petunt aut opus ipſum, aut operis prætermiſſionem, quàm petunt in eo naſci morales illas rationes, vt *debitũ* ſit, vt *licitum*, vtve *inconceſſum*: quæ rationes per quid tandẽ phyſicum exponantur, prolixè certatur in Scholis. In hoc tamen omnes cõſentient, voluntatem, quam gero retinendi meum ius, exempli gratia in hac veſte, efficax deſiderium eſſe, vt meam veſtem cõtrectare iniuſſu meo cuilibet nefas ſit, ſeruetq; eamdem ipſam, quam antehac habebat diſcordiam cum honeſtate ac iuſtitia. Nodus autem in eo verſatur, quid phyſicum ſit à noſtra voluntate diſtinctũ (ſcilicet ab ea quæſitum) hæc vel diſcordia vel concordia cum honeſtate in opere à nobis vetito ſeu permiſſo. At hunc

4. nodum heſterna diſſertatio planè reſoluit. Tunc enim, vt meminiſti, decretum eſt inter nos, idem eſſe aduerſari honeſtati, atque aduerſari diuinæ lubentiæ. Li. 1. c. 26 & 27.

Non ergo iſtiuſmodi voluntas retinendi ius ſuum, in aliud intendit, niſi in hoc, vt occiſio illa, vel pecuniæ ademptio perinde aduerſetur diuinæ lubentiæ, ac ſi vita ipſa, vel pecunia inuitis adimeretur. Et verò ea vis eſt legitimæ dominationis ac iuris, quod vnuſquiſque habet in rebus proprijs, vt ad hanc Dominorum voluntatem velle ſuum componat Deus tanquam Auctor & Princeps rerum moralium, ſimiliter atque in conficiendo calfactũ componit ſuum velle ad appetitionem ignis, tanquam Auctor & Princeps rerum naturalium. Quare haud mirum, ſi talia opera, quamquam læſis grata ſint, ſuam tamen prauitatem ſeruent; quando etiam tum ingrata ſunt Deo, cuius lubentia in alterutram partem ea demum cauſa eſt, quę operis honeſtatẽ vel turpitudinem poſtremò abſoluit.

5. Iam hæc ipſa ratio demonſtrat perinde hæc duo eſſe contraria; *actionem quampiam ſimpliciter ad Dei voluntatem geri, & actionem eamdem nequitiâ ſordeſcere*, vt contraria ſunt, *aërem luce nitere*, ſimulq; *tenebris obumbrari*.

De reliquo: noſtrum opinatum non eam eſſe poſtremam cauſam, qua probitas vel improbitas operis conſummatur, plura confirmant. Fac, ita decipiar, vt exiſtimem in motione digiti promeritum eſſe Martyrio par, ideoq; digitum mouere geſtiam: tunc quidem ſtudium illud quadamtenus acceptum Deo erit, ſed haudquaquam ad meæ deerrantis perſuaſionis amplitudinem.

E diuerſo: Fac, exiſtimem, in motione digiti ſcelus contineri planè infinitum, infinitè Deum offendens, ac dignum pęnâ infinitâ non in diuturnitate tantùm, ſed etiam in acerbitate, & nihilominus digitum mouere audeam: ingenti tum quidem crimine me obſtringam propter contemptionem Dei tam palmarem; at non crimine infinito, nec pœnam infinitè acerbam commerente. Non igitur exiſtimatio noſtra ea eſt, quæ voluntates noſtras honeſtat vltimùm, vel deturpat; ſed diuina propenſio aut auerſatio, pro qua illæ ad amuſſim aut probitatem induunt aut improbitatem.

Verùm, quia hæc ipſa Dei vel propenſio, vel auerſatio præcipuè ac proximè allicitur vel irritatur ab noſtra ipſorum perſuaſione putantium, nos vel obſequi Deo, vel aduerſari (Deo ſiquidem & benignè acceptum eſt quidquid Deo placendi ſtudio vtcunque molimur, & iure inuiſum quicquid ita gerimus, vt idipſum Deo ingratum opinemur) hinc plures decepti poſtremam conſummatamq́; honeſtatis aut prauitatis cauſam cenſent exiſtimationem noſtram; vtpote quę ſola pateſcit nobis, & ex qua id proximè oritur, ꝙ verè poſtrema cauſa eſt prauitatis vel honeſtatis. Sic fermè ira definiri conſueuit *inflãmatio ſanguinis circa cor*, non quidem quia verè ira ſit ardor ipſe aut inflammatio, & maneat in ſanguine, ſed quia inflammatio illa eſt cauſa, & quidem proxima, ſenſibusque notiſſima eiuſce interioris perturbationis, quæ ſuſcitatur in animo. 6.

Quæ cùm ita ſint, ſi Deo abſolutè complaceret libera quæpiam voluntas hominis arbitrantis Deum offendi per hanc ipſam voluntatem, vtique abeſſet huic voluntati cauſa illa poſtrema, quæ noxam perficit: eoque noxa non eſſet. Ita illud abſurdum orire tur, quod antea edictaui, hoc eſt, voluntariam Dei deſpicientiam innoxiam fore. Nempe, in quolibet peccato verſari deſpicientiam Dei, heſterna pronunciata luculenter euincunt.

CAPVT LVIII.

Quo cum ſuperioribus dictis cõſentiat, in eos peccatũ cecidiſſe, qui vniuersã mortaliũ curam à Deo ablegabant.

QVo pacto igitur, Saracenus interpellauit, peccatum cadebat in Democritæos atque Epicuræos opinantes Diuinitatem ſecurum rerum noſtrarum agere æuum; Non bene promeritis capi, non irâ tangi, vt Lucretius canit? 1.

Andreas contrà: Meminiſſe te, arbitror, quæ obſeruat Aquinas *a* in eo articulo, vbi oſtendit per ſe & ante omnem confirmationem non ſatis liquere hanc enunciationem: *Deus eſt:* Ibi enim fatetur patere quidem per ſe vnicuiq; ipſum eſſe Dei, non tamen per notionem illam, quæ ſubeſt huic nomini *Deus*, ſed per aliam quampiam notionem id ſignificantem, quod reipſa idem ſit ac Deus; veluti per notionem beatitudinis noſtræ. Scilicet dum quiſq; ad beatitudinem quærendam naturâ pellimur, ſimul vtique beatitudinis informationem ab eadem natura præſumimus. Nullus igitur extitit Philoſophorum cœtus, homo nullus, quin aliquam notionem ac ſcientiam ingenitam habeat rei quæ idem eſt ac Deus; quamuis aliqui hanc ipſam rem, vbi Dei nomen ac notionem eorum animis præfert, impudenter eam atque impiè inter caſſa & commentitia reijciant.

a 1. p. q. 2. ar. 1. ad 1.

Iam

Iam verò Deum ita credi atque agnoſci, vt eius deſpectio peccatum ſit, non in eo poſitum eſt, vt Deus hoc ipſo *Dei* nomine ſalutetur, ſed vt in ea re, quæ deſpicitur, agnoſcantur excellentiæ illæ, quæ Deum à turba rerum effectarum ſecernunt. Hac ſimilitudine rem euoluo. Haud ſanè dicetur te ignoraſſe, Cardinalis Ampliſſime, quicumque nomen ignorauerit tuum; ſed is modò, qui dotes ac præſtantias tuas ignorauerit, ceu ſanguinem, dignitatem, cognationem, alia, per quæ in æſtimatione prudentum inter mortales excellis. Fingamus ergo, audaculum neſcio quem nihil veritum quin famulum tuum malè multauerit, inſcius quidem offendi à ſe hominem, qui Germano Brachiani Ducis famuletur, ſed probè intelligens eum offendi à ſe qui famuletur Cardinali conſobrino Magni Ducis Hetruriæ. Nihil is porrò cauſari poterit, ab ſe illæſum te ipſum, quippe ignotum ſibi; adeoq; ſe extra omne indignationis tuæ meritum eſſe conſtitutum. Eapropter, quiſquis aliqua dignoſcens ex proprijs ſignatiſq; attributis tuis tibi iniuriam irrogare non timet, is vtique tuæ indignationis eſt reus pro modo illius dignitatis atq; excellentiȩ, quas in te cognouit, adeoq; deſpexit. His poſitis, ita hæc in rem noſtram accommodo. Plures
2. vtique ſunt dotes atque excellentiæ in vnum Deum conuenientes: aliquas porrò earum aſſignabant Epicuræi mentibus neſcio quibus, quas *Deorum* appellatione donabant, veluti perpetuam, tutam & ſuperioris cauſæ neſciam fœlicitatem. Alias verò præſtantias, quæ item re ipſa non conueniunt niſi vni Deo, tribuebant alij cuidam rei, quam vocabant *Naturam*: (quod ſanè appellationis notioniſq; diſcrimen in vna eadem Dei eſſentia probè notauit heſterna diſputatione Illuſtriſſimus Cardinalis) ceu *tueri mortalium vitam*, & *inſerere nobis innatas affectiones*; in qua fermè poſteriori ſignificatione Ouidius Mundi ædificationem deſcribens, Deum ac Naturam promiſcuè vſurpauit, dicens. Li. 1. c. 27 1. Met.

Hanc Deus, & melior litem Natura diremit.

Iam verò poſteriores iſtæ Dei proprietates, quas *Naturæ* appellatio veteribus illis exprimebat, illæ omnino ſunt, quæ diuinam in nos dominationem extruunt, & diuinam voluntatem vt agendi modum nobis imponunt. Quocirca
3. quoties Epicurȩi ſentiebant, ſe huic Naturæ in agendo refragari, ſentiebant vtique, à ſe Deum offendi, prout *Deus* id ſignificat, quod imperio nos tenet, quodque ſumma eſt amuſſis, vt ita loquar, & exemplar honeſtatis. Quin communiter veteres Ethnici, non Epicuræi modò, haud hoc delinquebant, quo ipſi in actione vitæ diſcordarent voluntati illarum mentium, quas nuncupabant *Deos*; Quando his ipſis Dijs affectiones actioneſque nequiſſimas imputabant. Nec enim collocauerant in eiuſmodi commentitijs Numinibus eas nominatim diuinas dotes, quæ Deum ſummam regulam honeſtatis efficiunt; ſed hiſce dotibus exornarant celſiùs neſcio quid, cui *Natura* nomen indiderant, vt demonſtraui.

Su-

Digitized by Google

CAPVT LIX.

Amor quà amor, odiũ quà odiũ ſemper innoxia.

SVpereſt modò, vt excutiam illud alterum, quod recitaui Auguſtini pronunciatum: non in appetitione deterioris Naturæ, ſed in melioris deſertione peccari: adeoq; peccato defectus, priuationisq; notionem haud immeritò tribui poſſe. Age: Confeſſum eſt, nihil amabile præter bonitatem ſeu veram, ſeu exiſtimatam, quæ duo ad affectiones honeſtandas perinde ſe habent. At amor bonitatis nequit ſua ſponte in malis vituperandisq; cenſeri. Amor ergo quà eſt amor, nec malus eſt, nec vituperandus. Item ſe res habet in odio: ſolum quippe malum ſeu verum, ſeu exiſtimatum odio deteſtamur. Neque verò mali deteſtatio ex ſe diſconuenit honeſtati. 1.

Sed alia alijs bonis identidem certant, & ſcilicet multa ex inferioribus bonis pugnant cum lubentia Dei, hoc eſt, ſummi boni. Quamobrem illa quidem inferiora bona perſequi, & hoc deſerere reciprocantur. Non ſecus plura malorum, ſeu rata, ſeu falsò credita nexam ſibi præferunt bonitatem aliquam ſua ipſorum malitia longè grauiorem, &, quod caput eſt, Dei, hoc eſt, ſummi boni, lubentiæ conſentaneam. Quapropter mala illa tum efficaci odio reſpuere, perinde eſt, ac ſummum bonum negligere ac derelinquere. In hoc igitur neglectu ac derelictione ratio peccati conſiſtit. Tum verò quoniam notio neglectus & derelictionis priuationem veriùs ac defectum, quàm rem aut effectionem ſignificat, idcirco iure tot magna capita non rei atque effectioni, ſed priuationi ac defectui, culpæ vim & malitiam imputarunt. 2.

Vix adhuc poſthumæ diei ſcintillulas neſcio quas, vaporum beneficio retinebat Cœlum, delapſo ad alterum Hemiſphærium Sole. Nec rheda multis iam paſſibus ab Arce diſtabat, cùm Cardinalis ita Querengum compellauit. Quò vberiùs hodierna die diſputatio tua nos aluit doctrinâ, hilarauit iucunditate, eò auidiùs craſtinas reliquias expectamus, quaſi bellaria, regalis epuli ſuauiſſimum cumulum. Atqui ſi aliàs gignendi Herculis gratiâ diem Sol extra ordinem prorogauit, enimuero iuſtiùs id hodie factum oportuit, dum tuo ex ore duo & ſcilicet grandiora Numina, Pallas ac Mercurius pariebantur. 3.

Querengus contra: Quando muneris mihi demandati debitum extingui non placet vnà cum die, at mihi ſaltem correum adiunge Andream. Sic enim confido ex eo ſolo (quod inter plures correos locupletiori frequenter accidit) ſolutionem poſtea exigendam. 4.

Par eſt, Cardinalis inquit, debitum, peræquè ambobus imponi; quandoquidem ambobus æqua eſt non magis facultas quàm largitas ad eiuſmodi pecuniæ numerationem: quæ ſanè numeratio nihil ex numerato ære numerantes depauperat, laudibus opulentat.

Quæ cùm eſſent dicta, deſcenderunt è curru; quo nimirum curru latiores verè ac celſiores vias luſtrauerant, quàm vſquam fabuloſis illis pennigeris curribus Triptolemus aut Medæa vel ad Poëtarum audaciam luſtrauiſſent.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Præ-

Digitized by Google

Præcipua effata in ſecundo Libro conſtituta.

1. Notio *Boni* per ſe liquet, neque apertiorem admittit definitionem ſui. In eiuſmodi tamen notiones duo cadunt explicationum genera Philoſophiæ vtilia; attributorum expoſitio, & generis in ſuas partes diuiſio.

2. Prior harum explicationum ſcitè Ariſtoteli vſurpata dum ait: *Bonum eſt quod omnia appetunt.*

3. Appetitio non tendit niſi in verum Bonum, modò appetentis cognitio nihil decipiatur circa reliqua rei obiectæ attributa.

4. Commodiùs explicatur bonum per ſolam appetitionem, quàm per ſolum gaudium, ſed optimè per vtrumque. Et quoniam Bonum morale declarari vult per Bonum naturale, quod ſit in finibus Bonorum, hoc poſtremum primo loco declarandum eſt,& probè declaratur hoc pacto: *Quidquid ſine errore cognitum dum abeſt, appetitionem irritat; dum adeſt, gaudium tribuit.*

5. Sceptici negantes euidentiam ac probabilitatem planè omnem præterquam ſuper affectionibus, quas anima experitur in præſens; atque adeo negantes diſcerniculum quodlibet inter bona & mala ſibimetipſis repugnabant.

6. Aliquæ enunciationes patent ſuopte ingenio: neque Dogmaticorum eſt eas euincere,ſed tantùm defendere.

7. Senſus nunquam errat: ſed ex vera ſenſus renunciatione animus aliquando in errorem inducitur.

8. Nec ſufficiunt, nec verò conducunt ad ratiocinandum, quaſi concluſionum præmiſſa capita, initia illa: *Quodlibet vel eſt, vel non eſt. Non poteſt idem ſimul eſſe, & non eſſe.*

9. Sex omnino axiomata ſunt, quæ nec probari per aliquid ſe perſpectius poſſunt, & vnicuique hominum, ac fermè etiam belluarum ſuopte ingenio conſtant; Eademq; neceſſaria ſunt atque idonea quibuſcumque argumentationibus, quà phyſicis, quà moralibus.

10. Primum ex eiuſmodi axiomatis eſt: *Nil nouum oritur ex ſe ipſo, ſed ab alia quapiam cauſa producitur.*

Digitized by Google

11. Alterum eſt: *Ab eadem planè cauſa (volendi facultatem excipio) produci nequeunt noua effectorum genera.*

12. Tertium eſt: *Si poſtquam extitit quapiam certa res, certam aliam rem oriri ſemper videmus, illa huius fuit cauſa.*

13. Quartum eſt: *Proxima cauſæ (præter volendi facultatem) ex quibus diuturno ac ſemper ſimili experimento manare vidimus quoddam certum effectorum genus, eiuſdem generis effecta dabunt etiam in poſterum; modò nil nouum ponatur, niſi alius locus, & aliud tempus.*

14. Quintum, intra moralis, vt aiunt, euidentiæ fines concluditur, & eſt huiuſmodi: *Illud effectorum agmen, quod antehac ſemper à certa quapiam ſpecie propinquarum cauſarum duntaxat prodire vidimus, in poſterum quoque ab eiuſdemmodi cauſis duntaxat prodibit.*

15. Sextum principium ſolâ pariter euidentiâ morali contentum, & cui omnis actuoſa (practicam vocant) ratiocinatio innititur, eſt: *Plerumque id ipſum cauſæ in poſterum efficient, atque in præſentia efficiunt, quod plerunque ab yſdem, vel à maximè ſimilibus cauſis antehac effectum nouimus.*

16. Huic ſexto generali præiudicio addunt communiter homines Natura ſuadente in ſingulis euentibus peculiarem quandam anticipationem ac perſuaſionem, ex qua tota probabilitas emergit, & quæ fallax vtique, ſed plerumque vera eſt: Nimirum: *In hoc ancipiti euentu id contingit, quod in ſimilibus circumſtantijs plerumque contingere conſueuit.*

17. Vt morales ratiocinationes, vtiles dicantur, ſatis eſt, ſi plerumque ſint veræ: ideo prudenter adhærent communi exiſtimationi, quippe quæ plerumque vera eſt.

18. Philoſophia percommoda fuit tum ingenijs edocendis, tum vitæ informandæ: falsò creditur plerumque errare, vel cæcutire.

19. Demonſtratur Mundum conſilio adminiſtrari ab aliqua ſuprema mente, nec eum temerè extitiſſe. Celebris tamen illa ratio, quæ id efficere contendit ex apto rerum ordine, infirma eſſet, ni aliqua noua meditatione confirmaretur.

20. Merus Caſus nil planè valet efficere.

21. Haud

21. Haud poſſunt admitti duo ſuprema principia, Boni alterum, Mali alterum, vt cenſuit Manichæus.

22. Deus operatur cunctis actionibus inferiorum cauſarum, contrà ac voluit Durandus.

23. Ritè ait Auguſtinus, omne malum oriri ex noſtro natiuo nihilo.

24. Oportuit rem quamlibet effectam cognoſcendi & appetendi facultate pollentem affici poſſe malo aliquo non tantùm in priuatione, ſed in re conſtituto, & vtramque ex his duabus facultatibus afficiente.

25. Quilibet iudicans plerumque collimat, quilibet appetens plus habet in vniuerſa vita delectationis, quàm triſtitiæ ſecundùm ordinem Naturæ.

26. Peculiaris ratio neceſſarium efficit, vt res quæcumque non impeccabiles torqueri poſſint malo aliquo haudquaquam in mera vacuitate poſito. Neque verò vlla res effecta, & libertate prædita potuit eſſe impeccabilis.

27. Stoicorum doctrina pernicioſa eſt, non tantùm falſa.

28. Non omne peccatum tam ingenti ſordeſcit malo, quod nullo bonitatis fructu efflorente ex ipſo peccato rependi poſſit. Si enim hoc ita ſe haberet, peccatum non eſſet poſſibile.

29. Peccatum permittere honeſtum eſt Deo, quoniam plus boni, quàm mali infert id honeſtum Deo eſſe. Sed ex eadem regula dignoſcitur fieri non poſſe, vt Deus efficaci voluntate optet appetitionem aliquam noſtram qua præferamus procreatum quodpiam bonum lubentiæ, quam credimus eſſe in Deo.

30. Huiuſmodi appetitio, quam diximus, non poteſt exiſtere quin ea ſit peccatum. At ſi Deus efficaci voluntate illam optaret, ea vtique non eſſet peccatum. Ideo fieri nequit, vt Deus illam efficaci voluntate optet.

31. Voluntas obligandi vel ſe, vel alios in actionem quampiam, eſt cùm in nobis, tùm in Deo quoddam efficax deſiderium, vt eius actionis prætermiſſionem auerſetur Deus; cuius auerſatio poſtremus cumulus eſt moralem prauitatem abſoluens.

Digitized by Google

32. Ne Athei quidem peccant inſcij ſe tum diſplicere Deo, ipſis noto, haud ſanè per notionem, quam præfert hoc nomen *Deus*, ſed per notionem, quam præfert hoc nomen *Natura*.

33. Omnis amor quà amor, & omne odium quà odium, bona ſunt. Eapropter peccatum omne ad rationem priuationis accedit.

DE

Digitized by Google

DE BONO
LIBER TERTIVS.

ILLVSTRISS. & REVERENDISS.
Fabio Chisio
Epiſcopo Neritonenſi, Pontificio Nuntio in Rhenano Tractu & Germania Inferiori.

PARTIS PRIORIS
CAPVT PRIMVM.

1\. *PRomptum eſt vnicuique intelligere, Fabi Chiſi Præſul Clariſſime, quid ſit quod aliquem è Libellis meis tuo nomini inſcribam. Quando perantiqua & mutua, qua nectimur, beneuolentia vix cuiquam ex ijs ignoratur, cui nos itidem non ignoramur. Sed præ cæteris id intelligere promptum eſt tibi; quippe conſcio alterius cauſæ haud ita vulgatæ, quæ me ad hoc ipſum impellit: ſcilicet Gerardum Saracenum, quem ego in hiſce Dialogis loquutorem induco, eum fuiſſe cui te acceptum debeo, hoc eſt, conſuetudinem tuam, neceſſitudinem tuam, animum denique ipſum tuum, cuius haud exiguam partem mihi addictam non temerè glorior: Quò par eſt, vt ſimillimo munere ipſe nunc Saracenum importuna morte nuper ereptum repræſentem tibi, quem vtique alterum Saracenum effinxerat ſumma inter nos amicitia. Quamquam tantò minus habet pretij munuſculum hoc, quod à me ipſe nunc accipis, munere illo, quod ego multis ab hinc annis à Saraceno accepi, quantò adumbratum hoc Saraceni ſimulacrum, quo donaris à me in hiſce pagellis, dignitate vincitur à Fabio illo Chiſio vero vtique ac ſpirante, quo me Saracenus donauit.*

Haud tamen ita paucis expediri poteſt, quid me permouerit, vt hunc nominatim præ alijs Libellis meis tibi dicarem. 2.

Ita cenſuit Ariſtoteles de Prudentiæ Virtute, nullum vt ea ſuper finibus bonorum dicendi ius obtineret, ſed de vtilibus tantùm bonis, quæ media vocantur, ſententiam ferret. Super finibus, ait ille, nemo ambigit, nemo decernit, conſultat nemo: is verò prudens inter cæteros ſalutatur, qui deligit res ad finem ſibi expetitum egregiè conducentes. Hæc ferme Ariſt. At enim ſi finibus examinandis atque ẽligendis Prudentiæ opera non impenditur, immeritò Prudentia Virtutum omnium præceptricem, animiq; Reginam ſe iactat. Nimirum quænam peruerſitas aut communior, aut perniciosior inter mortales, quàm vt amori atque induſtriæ ſuæ præfigant tanquam extremum id boni, quod amari quæriq; dignum non eſt niſi pro eo, ac conducit ad aliud quippiam ſe præſtantius obtinendum? Vbinam poſita eſt illa idolorum ſeruitus, qua mancipatur auarus, vt Paulus eſt auctor, niſi in hoc vno, quòd auarus præſtituit ſibi tanquam finem, adeoq; tanquam Numen aurum illud, cuius pretium omne in vſu eſt, videlicet cum diſpergitur opportunè, non cum aceruatur immodicè? Cuinam errori mentis humanæ imputaueris, quod mortales mortem præ flagitio reformident, præter hunc vnum, quod ignorent vitam in medijs non in finibus bonorum verſari, adeoq; ſtultum eſſe, quod ille ait, propter vitam viuendi perdere cauſas? *Quantum denique humanas actiones perturbet, ſi nauta pelagus ceu portum præfiniat ſibi, ſi viator in diuerſorio tanquam in patria domicilium ſtatuat; ſi curſor, quaſi metam attigerit, in ſtadio ſiſtat? Quantum, rogo, elementorum ordo corrumperetur, ſi lapides per aërem delapſi centrum ibi ſuum ſibi obtinuiſſe viderentur: ſiq; ignis pariter in aërem elatus quaſi ſphæræ ſuæ faſtigio potitus conquieſceret?* 3.

Hanc ergo ſcientiam, quæ fines bonorum à medijs interſtinguat, rimatus ſum in hoc 3. Libello, quem ad te mitto: nec vtique, cur mittam, id cauſæ me impulit, quod te huius ſcientiæ indigum arbitrarer; quin hoc ipſo eum ad te mitto, quod te huius doctrinæ ſcientiſſimum noui. Vt enim commodè, Ciampolus noſter, cæteris quidem mercibus caritas pretium addit, Virtus ac ſcientia eò alicubi pretioſior, quò vberior.

Nemo quidem præ te callet eximiam hanc artem, quæ media & fines bonorum internoſcit. Calles eam vtique contemplatione animi perſpicaciſſima; quippe qui abſolutiſſimam tenes diſciplinarum comprehenſionem hilariorum iuxta ac ſeueriorum, humanarum, diuinarum, ſpectatiuarum, 4.

actuo-

actuoſarum: quæ comprehenſio te in ipſo adoleſcentiæ flore non acceptum modo, quod rarum eſt ſed ſuſpiciendum exhibuit Patria tua. Quali vero Patriæ? Nimirum præclariſſimæ ciuitati, quæ ſemper in more habuit multiplicis ſapientiæ lacte ciues enutrire, quæq; familiaris Patria eſt eiuſmodi ingeniorum, quæ alibi tanquam exotica ſuſpiciuntur. Adhuc vero hanc ipſam artem pleniùs ac fœliciùs calles genere illo ſcientiæ, cuius concluſio eſt opus ipſum, vt Ariſtoteles docet. Huius equidem laudis quam tibi adſcribo, ſuppetunt mihi quos proferam teſtes, non dicam priuatos homines, quales in iudicijs adhibentur, ſed Ciuitates adeoq; Prouinciæ nobiliſſimæ Chriſtiani Orbis: Roma ſcilicet, Ferraria, Melita, Colonia Agrippina, Monaſterium concordiſſimè agnoſcunt in morum tuorum grauitate, vitæq; candore, in agendi ſuauitate ac prudentia, in ſermonis tum vi, tum ſapientia, & ſcilicet in eximia illa votorum atque affectionum omnium pietate ac religione, abſolutiſſimum exemplum ſacri Præſulis, in quo Chriſti Vicarium exteræ Nationes ceu præſentem agnoſcunt ac venerantur; Nempe hoc tandem eſt medijs vti tanquam medijs, & finem ceu finem appetere; Nimirum cætera eligere vnius Dei atque honeſtatis gratia, Deum porro atque honeſtatem ſua ipſorum gratia deamare.

5. *At vero teſtem præ alijs conſcium eiuſdem laudis, quam tibi fidenter vindicem, me ipſum produco. An non ego à te vitam ipſam fortiter contemptam vidi; cuius tamen vitæ iacturam facere ſine graui doloris ictu, ſi Ariſtoteli credimus, ne probo quidem viro arbitrarium eſt, quippe intelligenti eam ſibi præ cæteris mortalibus conuenire? An non mihi ſeruantur literæ tuæ, quibus me interrogabas, vtrum expediret per inſueta quædam atque exquiſita medicamenta mortem arcere imminentem tibi ex aſperrimo calculorum morbo: in quibus ſanè literis de hac quæſtione diſputas tanta æquitate animi, quantam ne in ſuis quidem illis inanibus planè quæſtionibus antiqui Sophiſtæ, Declamatoresq; ſeruaſſent? Vbi vero me auctore carnificinam pro curatione conſtanter deligens, viſcera ipſa cultris laniari ſenſiſti, cruorem vndique defluentem aſpexiſti, tam diutinis, trucibusq; cruciamentis conflictatus, qualia ne infames quidem feritate Tyranni vſpiam inuenere: immani accepto vulnere perinde quaſi amplo quodam oſtio Mortis manibus reſerato, vt inde animam auocaret: tunc enimuero an non pectoris tui conſtantia durior viſa eſt lapide illo duriſſimo, quem è viſceribus tuis auulſit beneuola medentium crudelitas?*

Nul-

Digitized by Google

Nullus profectò euentus adeò non intereſt noſtra, cuius ancipitem exitum expectemus tam ſecuri, quàm tu ſecurus in ſupremo illo articulo vel necem, vel ſalutem expectabas; profeſſus nimirum inſcium te vtra conducibilior eſſet ad ſupremum hominis, adeoq; animi tui finem, ac proinde vtra præoptanda. Tibi ergo Libellum hunc meum ſiſto tanquam iudici optimo; à quo ſi pro ſententijs meis pronunciari ſentiam, enimuerò lætabor impletos à me cunctos Platonicæ legis numeros imaginem cum Idea conferendam præcipientis.

CAPVT II.

Duplex accuſatio in eâ ſcribendi ratione quæ ab Auctore vſurpatur.

PLacuit multis primæ notæ Philoſophis, quoties ea corpora gignuntur, 1.
quæ *mixta* nuncupamus, toties prima rerum elementa, non tam copulari, quàm perdi: itaque aiunt, dum aëri terra, igni aqua nubere, ſimulque opes conſociare videntur, re ipſa tum interimere ſe ſe inuicem, inuicemq; opes atterere. Quod memorati Philoſophi (an verè, an falsò) de Naturæ fœtibus arbitrantur, id certè in artium opificijs vſuvenit. Quiſquis laborauerit abſynthiorum ſalubritatem mellis iucunditate condire, is vtique conficiet ſimul ferculum iniucundum, ſimul pharmacum inſalubre. In vno Diuinitatis gremio concordiſſimè bona omnia commorantur. At in procreatis rebus non raro alterum alterius boni, quàm mali conſortium inimiciùs repudiat. Quare interdum, qui plura & diſperſa bona componere molitur, id tandem agit, vt plures inter ſe propinquos, reddat hoſtes, haud mutuò ſe ſe conciliantes, ſed perimentes.

Hoc ipſum, inaudio, non paucis iudicium eſſe de ſcriptione noſtra, in qua 2.
doctrinæ ſubtilitatem orationis lepore conamur hilarare. Nec enim, aiunt, ſcripta hæc imitantur recentium Scholaſticorum Libros, hoc eſt, quaſi hiſtrices multis infeſtiſq; aculeis circumquaque hiſpidas, in quibus hic ipſe horror delectat, ſi non vt venuſtus, certè vt robuſtus: neque è contrario noſtra hæc concinnata ſunt ad Theatralem recentium Ethicorum pompam, qui exoticorum pauonum inſtar verſicolores rutilantis plumæ diuitias in omnem hilaritatem expandunt. In eorum quippe diſſertationibus Moralis Philoſophia laudatorum inibi affatim ſcriptorum, velut aſſectantium, longo regaliq; comitatu ſtipata producitur; eademq; orationis luxu ac venere, concluſiſq; argutijs, quaſi attalico floribus picto, & ex arte conciſo circumamicta; ſpiſſeq; inductis pro Phrygio opere ſchematis, ſententijs pro margaritis, antithetis pro aureis fibulis, mirificè oculos tenet.

Sanè quæ dictionis forma accommodatiſſima ſit ad Philoſophiam, alio in opuſculo mox edendo nobis de induſtria quæſitum; quo in hac parte ſi fortè erroris, certè non oſcitantiæ redarguar. Relinquitur tamen, vt hæc ipſa, quæ mihi obiectari nunc ſentio, non deſeram indefenſa.

Vbi

Digitized by Google

CAPVT III.

Quid ſit, cur Auctor ſtudeat leporē cū ſubtilitate orationis cōiungere & ab ea temperet rationum copia qua in more eſt apud recētiores Scholaſticos.

1. VBi duo quædam bona nihil admodum ſua ſponte congruentia, per artem iunguntur, quamuis vtrumque frangatur ac debilitetur quadantenus; temperies tamen, quæ ab hac iunctura vtriuſque ſic fracti, eneruiſque conficitur, ſæpe quid præſtabilius eſt, quàm alterutrius ſolitariè integritas atque abſolutio. Placet propoſitæ aduerſus me ſimilitudini adhærere. Quantum, rogo, excellunt mixta corpora, quibus inſident principes qualitates perquam elumbes ac præciſæ, ſupra elementa ipſa, in quibus vel geminæ, vel certè illarum altera ſummè viuida licenter pleneq; luxuriat? Quin è mixtis præſtabiliſſimus ac diuiniſſimus homo in ſumma earumdem qualitatum mediocritate conſiſtit, quod Ariſtoteles & Aquinas *a* obſeruarunt: atque adeo in hominibus ille maximè intelligentiâ eminet, qui minimè hiſce qualitatibus eminet. Ex quo fit, conſociatiſſima eſſe duo hæc, ingenij tactuſq; præſtantiam; Tactus nempe, quò modeſtiùs tactilium affectionum ipſe modum ac medium ſeruat, eò argutiùs quamlibet earumdem exuperantiam in rebus exterioribus tenet. Et verò nonne videmus in pictura, in cantu, in obſonijs, adeoque in quocumque artificio ad ſenſus noſtros oblectandos inuento ex vna contrariorum copulatione voluptatem procreari? Nonne videmus ſuper ipſis Naturæ machinamentis (id quod Ariſtoteles *b* adnotauit) tam multas, tam diſſidentes veterum opiniones in hoc vno minimè pugnaſſe; ex pugnantibus inter ſe initijs exiſtere vniuerſa?

a 1. p. q. 76 art. 5. in corp.

b 1. Phyſ

2. Sed miſſas volo theſes eiuſmodi infinitas, vtpote quæ plerumque, ambiguis tranſlatiſq; vocibus abutentes, id tandem vnum præſtant, vt cum quadam concinnitate concluſiunculas falſas eliciant. Definitè potiùs rem ipſam noſtram expendamus. Sanè conſultò mihi prætereuntur commentationes illæ tam innumeræ, per quas hoc æuo plerique ſubtiliores Philoſophi quæſtionem quamlibet ſine fine producunt inuoluuntque. Enimuerò quid tandem iſthuc eſt vitioſę conſuetudinis, quæ in ſęculum noſtrum irrepſit, riſune dicam, an indignatione digniſſima? Nimirum prima, quæ in qualibet ſcientia occurrit quæſtio, eaq; interdum omnium leuiſſima, tam otioſè ſcriptorem tenet, reliquarum ſecurum ac pęnè oblitum, quaſi quæſtione illa contineretur quidquid humanis mentibus ſcire, quidquid Philoſophiæ ſcrutari vel expedit, vel conceditur: Id profectò perinde mihi videtur, ac ſi quiſpiam peregrinationem aggreſſus quaſi morum regionumq; varietatem conſpecturus, vtique in primo quod offenderet oppido non tam diuerſorium, quàm domicilium poneret, accuratiſſimâ, vel minimorum perueſtigatione ſollicitus: nimirum ſedulò condiſcens incolarum nomina & genera ſingulatim; vniuſcuiuſque prædij menſuram explorans; huius & illius ſoli, atque adeo huius & illius arboris, quà vbertatem, quà ſterilitatem examinans; herbarum, pomorum, animalium proprietates ſingulas rimari geſtiens; ita demum vt annuam in eius oppidi agro manſionem contereret.
3. Haud ſanè talia nobis exempla reliquere grandes illi præ-

 ceptores

Digitized by Google

ceptores humani generis, Ariſtoteles in Philoſophia, Hippocrates in Medicina, in Mathematicis Archimedes, in Diuinarum rerum ſcientia D. Thomas & Ioannes Scotus; qui libris tam modicis tantam ſapientiæ immenſitatem preſſere. Hiſtoria quidem non euenta omnia promiſcuè arripit, ſed ea modò, quorum granditas atque admirabilitas, vel in hac vitæ breuitate, in hac curarum multitudine, in hac infinitate rerum, in hac exiguitate memoriæ reponi digna ſit, ac memorari: Similiter Philoſophicæ diſciplinæ haud aliarum quæſtionum rationúmq; tractationem expoſcunt, quàm quibus, vel in ea, quam nuper exſcripſi, vitæ conditione, ſcribentium ſtylus, legentium ſtudium meritò teneatur. Eoque parciùs hoc ſeruandum in diſciplinis, quàm in hiſtorijs, quò in hiſtorijs quidem facta, quæ narrantur, nihil aperiunt ea, quæ ſilentur; at in diſciplinis ratio quæ enucleatur, rationem aliam, quæ præteritur, lectori per ſe contemplanti planiorem reddit. Quandoquidem diſciplinæ ſuas commentationes ita in animis inſpergunt, non quaſi triticum in horreis, ſed quaſi ſementem in agris, ſcilicet multis partibus (ni Soli vitium obſtiterit) exaugendam. Hæc verò de priore accuſationis parte.

CAPVT IV.

Cur Auctor ſit parcior in ornatu, q̃ recẽtiores multi, q. Ethicen amœnè tractarũt

IAm de altera, quæ ſtyli ornatum requirit. Proculdubio plus fulgoris atque illecebræ ſtylus exhibebit, ſicubi primas teneat, quàm ſicubi rebus inſeruiat. Scriptorum non pauci, Philoſophos profeſſi, re Sophiſtas agunt. Hi cùm verè nihil incognitum doceant, nihil ſuum, ſupponunt paſſim quaſi nouas per eximia orationis pigmenta res quaſdam, ſi modò fucus ore abſtergatur, vulgatas vnicuique vel leuiter Philoſophiam odorato. In hoc vtique ſcribendi genere pronum eſt, & comprehenſiones bellè tornatas excudere, & antitheta ſcrupuloſè librare ad ſymbellarum examen: quando non id quæritur, vt optima, quà licet, ſed vt optimè quæ licet, exponantur: pronum eſt ſententias minimè per ſe ignotas atque imperſpicuas præciſione verborum acuere, vt eas lector non tam didiciſſe putet, quàm inueniſſe geſtiat, atque adeo probet & exoſculetur tanquam ſuas. At contrà vbi meditationes, quæ traduntur, ſatis ſuperque mole ſua legentis ingenium prægrauant, præſtat eas tenui leuiq; ſerico amiciri, quàm attalico villoſo ponderoſoque. Verumtamen eccui non gratius ſpectaculum in ſimplici veſte agilis ſaltantium chorus, quàm fœnea ſimulachra auratis gemmatiſq; indumentis ſegniter rutilantia? Illud ſanè ſcribendi genus, quod Naturæ Artiſque inſtituta peruertit, adeoq; verba cogitationibus ancillari nata, conſtituit operum finem vel ſolum, vel certè præcipuum, haudquaquam laudabit ſuffragatores ſuos Oratorum, nedum Philoſophorum, Græciæ Latijq; clariſſimos: Non Demoſthenem, non Æſchinem, non Platonem, non Ariſtotelem, non Tullium è profanis: nec adeo Nazianzenum, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum è ſacris; ſcilicet neminem vnum eorum, quibus propoſitum fuit vel ſuadere, vel docere, non tan-

tantùm inerti voluptate diſtinere lectorem; quibusq; fiducia erat ſecernendi à commentationum plebe patricios, quaſi fœtus ingenij ſui, alio interiori diſcrimine, quàm veſtis ornatu. Neque verò, quod ſcribendi ruſticitatem ac ſordes me vitare profitear, idcirco libet in luxum ac pompam ſic ambitioſè inuolare, vt ingratior ſit in me tenebricoſa putidaq; orationis cultura, quàm in alijs aperta quædam ingenuaq; barbaries.

At enim; ſi deſiperet coquus, qui per argumentorum ſubtilitates cœnæ à ſe confectæ ſaporem defenſaret, quippe qui ſapor non alia probatione aut vindicatur aut damnatur, quàm cœnantium palatis probantibus vel improbantibus; haud minor fortaſſe inſipientia fuerit, rationum ponderibus fulcire ſcriptionem ſuam, cuius legitimum probumq; examen ſolus eſt legentium ſenſus. Hoc vnum adijcio, ſicut dapes ipſæ ſatis coquum laudant, ſi vnos probè alunt oblectantq; conuiuas; ita ſcriptio ſatis ſcriptorem commendat, ſi quibus ab eo ipſa impenditur, ijs nominatim placet ac prodeſt. Ego verò haud menſam hîc lurconibus paro, vnicè ad voluptatem ligurientibus, ſed hominibus frugi, nutricationem habentibus præ ſapore. Vt paucis apertè concludam; eorum gratiâ ſcribo, qui ingenij eruditionem, non tædij leuamen, aut ſomni auocamentum in paginis quærunt.

CAPVT V.

Inſtitutus ſermo ab iiſdem colloquentibus reſumitur.

1. EXequor iam inceptum opus, & ad colloquentes ſuperioribus libris inductos reuertor. Poſtero mane Cardinalis deduxit hoſpites ſuos in villulam quamdam à ſe conſtructam, ſibique hac etiam illecebra periucundam. In qua primùm oculos recrearunt tum cominus peramœnâ hortorum lætitiâ, tum eminus longo camporum tractu, montiumque, fluuiorumque, atque vrbium bellè, & tanquam ex arte inibi conſperſarum ſcenâ; quibus proſpectis vix aliquando mortalium obtutus, nedum poſſeſſis cupiditas, exſaturatur.

2. Mox lento greſſu incedere in lato quodam viridique ambulacro, cui orientis Solis tela opportunè defendebat excelſus paries aurantijs arbuſtis bellè conueſtitus, ac ſuauiter inodoratus: Eundem porrò ad Occidentem ſepiebant arbores proceræ vberem Autumni lautitiam pollicentes; quarum inter ramos identidem reſonabat carduelium aliorumq; muſicorum alitum cantus, qui vnius Naturæ diſcipuli, ijdemq; primi fuere apud homines Muſicæ Poëticæque artis Magiſtri. In vtroque ambulationis capite ſellulæ aptè diſpoſitæ, vt feſſos iucundo labore artus opportuna quiete reficerent.

3. Tum Cardinalis ad Querengum conuerſus: Placet-ne tibi villula hæc noſtra? Haud fortaſſe amœnius fuit pratum illud Rhodium, vbi Cicero cum Q. Fratre ſimul ac Bruto ſermonem illum famâ nobilem habuit. Quod ſi animæ illæ prægrandes vim ſimul ac voluptatem inſpirari ſibi ſentiebant à propinqua Platonis ſtatua, meliùs porrò nobiſcum agitur, qui aſpicimus in Te imaginem longè ſimiliorem ac ſpirantiorem; non quidem exteriorum *De claris Orat.*

Digitized by Google

artuum quos Plato induerat, ſed interioris partis, cœlo & lapide non imitabilis; & quæ vna ipſe tandem erat Plato. In te ſiquidem præcipuè viuit ac ſpirat ætate noſtra Platonis ingenium ac philoſophia. Neque dubito quin à te audituri ſimus hac die veriùs explicata Diuinitatis conſilia ſuper vniuerſitatis opificio, quàm explicauerit olim Plato, ſenem illum Ægyptium ſequutus auctorem in Timæo. Age igitur, quando te audire vehementer geſtimus.

Querengus verò: Laudationes iſtæ perinde omnino mihi conueniunt, 4.
atque imaginibus honorationes illis delatæ; nullo ſcilicet proprio illarum merito, ſed exemplarium reſpectu. Saltem, ſi iocari libet, commodè facerent ad me humeri prælargi, quibus Plato *Platonis* appellationem debet; vt onus ferre poſſem quod imponitur mihi, diſputaturo nimirum de argumento tam præcelſo, apud Auditores tam verendos. Sed ne deteram id laudis ad quam vnam adſpirare mihi fas eſt; hoc eſt, obſequij facilitatem, nil vltra morabor quin tibi morem gerere aggrediar.

CAPVT VI.

Nõ pinde temerariũ eſt indagare cõſilia Naturæ ac mortaliũ Principũ. Illa quippe vltro prodit conſilia ſua. Ideo paucis certiſſimiſq; legib. vtitur. Hi cõtrà enixè arcana cuſtodiũt & quamobrem? a 2 de Rep. in fine.

Arguitur, & quidem iure, vt delira non tantùm, vt inanis priuatorum au- 1.
dacia, ſi eouſque contendant, vt in Principum fines & conſilia penetrare ſe poſſe confidant. In qua re, quò quiſque hebetior eſt, vtpote qui ne tenebras quidem cernit rei, quam ſcrutatur, eò maiorem ſibi & in iudicando perſpicuitatem vindicat, & in pronunciando confidentiam vſurpat. Mirum dictu. Vſque adeo ſibi plerumque mortales adulantur, vt planè immemores, quàm crebrò ſuper his conijciendis anteacto tempore ludificati ſint, confidentiſſimè quoad vixerint, eandem collimandi arrogantiam retineant, & eiuſmodi arrogantiâ beatuli perfruantur. At non æquè arrogantis eſt rimari conſi- 2.
lia & fines Principis Principum longè maximi: Naturam loquor. Mortalibus quidem Principibus multa ſuadent, vt meditamenta ſua in abdito recondant: aliàs nimirum imbecillitas, ne fortè ab introſpicientibus interturbentur; aliàs pudor, ne, cùm improba ſint, euulgata infamiam creent. At verò Natura nec vtrique potentiorem videt, cuius obiectu votis fruſtrari pertimeſcat; nec alia molitur, quàm quæ honeſta & laudabilia. Ideo quæcumque animo voluit, nihil ſollicita eſt ne pateſcant. Et verò conſimilibus fermè rationibus euicit 3.
Plato *a*, à Deo mendacium penitus exulare; quando in Deum non cadebant inuitamenta illa, quæ homines ad mentiendum ſeducunt. Occulit quidem ſapienter præpotens rerum arbiter, ipſe ne ſupra Naturæ ordinem aliquid machinetur, nec ne; vt nos, quæcumque habemus, timidè ſemper ac reuerenter habeamus; adeoque preces (ſtipendium illud regale, per quod vnum Deos facimus, vt Martialis aiebat) Dominatori maximo continenter pendamus. Sed quæ ipſe ad Naturæ leges molitur, adeo non tegit, vt eadem vltrò euulget magna ex parte vel belluis. Hinc Naturæ in agendo tenor tam iugis, tam vnus, nec pro adiunctorum varietate varius, quod nudius tertius obſeruatum

Digitized by Google

tum à nobis eſt. Ni enim, exempli causâ, lapis vel tum deſiliret, cùm fortè alia corpora eo modo conſtituta ſunt, vt deſiliens ipſe non meliorem tutioremq; conditionem ex centri propinquitate habeat, ſed offenſo rei durioris obiectu confringatur; quid tandem eueniret? Eueniret ſanè, homines, cæterasq; animantes, vti præſentium adiunctorum non ſcientiſſimas, nunquam certò prouiſuras, aut quietem lapidis, aut lapſum; nec proinde tutò deliberaturas, quid tum ſibi facto opus ſit, vt propriæ vel incolumitati, vel vtilitati conſulerent.

Age igitur: quando fauente, non modò non inuitâ Diuinitate poſtremos Naturæ fines aperire tentamus.

1. HIc primò quidem conſpectu in rebus caducis videatur cuipiam ſumma votorum Naturæ vna eſſe, conſeruatio ſubſtantiæ. Id vt explicetur, animaduertendum eſt, quæcunque ſingulis rebus inſunt, tripartitò diuidi. Aliud *ſubſtantia* dicitur, aliud *affectio* ſeu *proprietas conſiſtens ac diuturna*, aliud *operatio fluxa*. CAPVT VII. *Non tam conſeruatio q̃ corruptio rerũ videtur Naturæ finis in agendo.*

Subſtantia nuncupatur, exempli gratiâ, homo, equus, lapis: hæc autem ſola vulgò *rei* nomen aſſequitur; eâdemque proin intereunte, rem illam, quæ antea erat, deſiiſſe dictitamus: veluti dum equus emoritur, ac mutatur in vermes.
2. Proprietates ſuopte ingenio conſtantes ſunt calor, rubor, ſapor, aliæ his duobus attributis prçditæ; nimirum, vt diutinam retineant in re ſubiecta manſionem; & ne, cùm gignuntur aut corrumpuntur, illicò dicatur noua res gigni, neq; veteris rei vocabulum amittatur. Ita dum æſtiuis radiis vuę, modò virides, frigidulæ, acidæ, nigreſcunt, caleſcunt, dulceſcunt, non ideo rem nouam extitiſſe dicimus; ceu tum, cùm iidem radii herbis ac floſculis prata conueſtiunt. Denique operationes fluxæ ſunt, verbi causâ, motio locum vertens, cuius motionis particulas naſci hoc ipſum eſt emori: itemque cognitiones appetitionesque, vtpote perpetuus quidam animæ conatus ac niſus.

3. Iam verò ex prima illa oratione tua, Cardinalis Illuſtriſſ. conſtare videtur vnicuiq; animantium proprietates, atq; operationes ſuas vnicè tributas ad vitæ vel ad generis propagationẽ. Et quidem argumenta in id congeſta non minùs quoq; per res inanimas pertinent. Quamuis verò tunc eò laboraueris, vt dignitatem ſupremi finis ad vnam delectationem conferres, eam intentans rationẽ, quod vita omnium delectationum dote caſſa illicò nobis repudianda videtur; id tamen concludendi genus in eo peccabat, vt monui, quod fines Naturæ ac noſtrarum appetitionum promiſcuè ſumebat; cùm tamen paulò antea notatũ eſſet, poſſe vnum idemq; illicium medii finisq; partes gerere, ſi vel ad illicientem, vel ad illectum animum referatur. Quapropter cùm videamus à Natura voluptatem illis rebus aſperſam, quæ res plerumque vitam tuentur, moleſtiam contrà rebus vitam eripientibus, quod heri adnotauimus; veriſimile ſit Naturam in id vnicè intentam, vt ſubſtantia noſtra *ſit*; nec voluptatem ab ea quæſitam, niſi tanquam illecebram nos inuitantem ad vitalia comparanda. *Li.1.c.19. & 20.*

Digitized by Google

Ita ſanè commentari quiſquam iure videretur. Verùm contrà exiſtimo, 4.
proprietates atque operationes à Natura inſtitutas eſſe ad interitum potiùs, quàm ad conſeruationem ſubſtantiæ: Si Naturæ nihil vltra petitur, niſi vt conſeruentur ſubſtantiæ, quâ gratiâ tantam proprietatum atque operationum cateruam adiunxit, quibus vtique infectis ſubſtantiarum conſeruatio magis fuiſſet in tuto? Scilicet pugna corporum atque interneciо aliunde ne oritur, niſi ex proprietatum quæ alijs atque alijs corporibus inhærent inter ſe ſimultate, & ex alterius corporis operationibus alteri lethalibus? Deleantur proprietates, ferientur operationes planè omnes; confeſtim ſubſtantiæ immortalitate gaudebunt. Atqui eas Natura mortales voluit, quo ſcilicet anguſtum materiæ receptaculum per alios atque alios ſæculorum recurſus, alijs atque alijs formis commodaretur: Ideo affectiones & operationes inſtituit, non quidem velut exoſa formas illas, quæ deſtruuntur, ſed vt illis beneuola, quæ procreantur.

CAPVT VIII. *Munerũ diſcrimẽ inter Naturã peculiarem & vniuerſalem.*

QVî hoc ſit; rogauit Saracenus; quando cernimus, Naturam cuique ſubſtantiarum impertijſſe proprietates conſeruationi, haudquaquam euerſioni, accommodatas? 1.

Scitè obijcis, Querengus ait, ſed huc aptiſſimè cadit egregia illa D. Thomæ *a* partitio Naturæ, in peculiarem & vniuerſalem. Quærit ille, fœmina-ne ad Naturæ voluntatem enaſcatur: Affirmat porrò, ſi loquamur de Natura vniuerſali; quæ vt generis conſeruationem curat, ita muliebrem quoque fœtum appetit, quippe ad id boni perneceſſarium. Negat autem, ſi loquamur Naturam peculiarem illius rei, quæ progignit, aut quæ progignitur. Hæc enim Natura percuperet ſibi in fœtu præſtantiam, quanta fieri poteſt, maximam; adeoq; illum digniore ac firmiore ſexu donatum vellet.

a p. 1. q. 2. ar. 1.

Duæ igitur Naturæ, ſeu veriùs in vna eademq; Natura duo munera ſunt 2.
diſpicienda. Alterum eſt peculiaris tutela huius vel illius rei ſingularis; quam tutelam Natura adminiſtrat, ideoq; in illius rei bonum ſedulò incumbit. Alterum eſt communis tutela, quam hæc eadem adminiſtrat totius Vniuerſitatis: quo nomine rerum omnium, vniuerſæque Mundanæ Reipublicæ bonum ſtudioſè perſequitur. Ceu ſi fingamus Regem aliquem duobus pupillis tutorem à parentibus relictum. Is quidem, vti Rex, leges condet ſubiectorum vniuerſitati ſalutares, pupillis verò, quos tuetur, nonnunquam fortè detrimentoſas. Atqui hic idem, vti tutor, ea nauiter curabit, quæ nominatim è re pupillorum eſſe intelliget. Quod ſi lis aliqua inter vtrumque pupillum vertatur, in ea enimuero tanquam tutor alterius alteri, quantùm iure licuerit, obſiſtet.

Non aliter Mundi Auctor, idemq; vniuſcuiuſque procreatæ ſubſtantiæ 3.
tutelam gerens, vtique tanquam communis rerum Princeps leges tulit ex vſu totius Vniuerſitatis, licet cuipiam ſingulari ſubſtantiæ interdum minimè idoneas. Hic idem, vti aquæ tutor, in aquæ bonum intendit, & poſita iam communi

muni lege cunctis hiſce rebus Cœlo tectis interitum decernente, proprietates ac motiones illas aquæ cooptat, quæ diu ab aqua fatale hoc infortunium auertant. Sed hic ipſe rerum Auctor pro ea, quam pariter ſubit ignis, tutelâ; hoc eſt, corporis aquæ ſemper diffidentis, multa ſanè præſtat aquæ damnoſa; quantùm iure, hoc eſt, per leges illas vniuerſales ab ipſo conditas, licet.

CAPVT IX.

An finis prædicta Duplicis Naturæ ſit ſolùm eſſe rerū ſingularium, vel etiam generū; an etiam delectatio.

1. OPinabile igitur eſt, Saracenus repoſuit, non aliud poſtremò Naturam petere, niſi vt ſubſtantiæ ſint: non illæ tantùm ſubſtantiæ, quæ re nunc extant, ſed illæ inſuper, quæ gigni poſſunt. Quæ vtique explicatio finem Naturæ vniuerſalis, iuxtà ac Naturæ peculiaris complecteretur.

Non eſt, opinor, vt dicis, Querengus ait. Quot, rogo, dotes corpora exornant, quæ dotes ad eorum conſeruationem aut propagationem nihil conducunt, ceu color, ceu odor, ceu ſapor, ceu ſonitus?

Quid prohibet interpretari, Saracenus adiecit, dotes iſtas à Natura vniuerſali conſtitutas eſſe ad tuenda non quidem corpora illa inanima, quibus ipſæ inſeruntur, ſed potiùs animalia, quibus expediebat ex huiuſmodi rerum indicijs deprehendere, quà vtilium, quà nocentium propinquitatem, vt antea diſputatum eſt inter nos?

2. Vt maximè, hoc eſſet, Querengus exequitur, haud continuò aliæ magis confeſſæ rationes diluerentur, cogentes non hunc vnum eſſe Naturæ ſcopum, vt extent ſubſtantiæ. Mitto, affectionibus & operationibus refertas quoque ſubſtantias immortales ſubſtantijs noſtratibus præſtantiores: ex quo patet eiuſmodi affectiones operationesque, nec ſuopte ingenio referri ad conſeruationem illius ſubſtantiæ, cui inhærent, quippe naturâ ſempiternæ, atque adeo nullius præſidij indigentis vt conſeruetur; neque verò ad conſeruationem alterius cuiuſpiam ſubſtantiæ mortalis: quandoquidem dotes rerum ſublimiorum, exempli gratiâ Angeli, referri nequeunt tanquam in finem, in bonum rerum inferiorum, qualia ſunt corpora iſta inferiora & caduca. Quamobrem conſtat in vniuerſum dotes haſce optabiles eſſe Naturæ non tantùm vt arma, quæ muniant, ſed etiam vt ornamenta, quæ decorent. Mitto hæc, inquam, & ex caducis tantùm corporibus argumenta deriuo.

3. Fateris voluptatem meritò expetendam nobis vel ſi maximè obliuiſcamur, quantum illa interdum ad conſeruationem conducat. Si ergo Natura in nos beneuola eſt, hoc eſt, ſi bene vult nobis; cupiat oportet non id tantummodo, vt ſimus; verum etiam vt benè, hoc eſt, vt cum voluptate ſimus; Et ſanè

4. voluptatem noſtram cordi eſſe Naturæ, eo ipſo confirmatur quod ſuper honeſtate concluſimus; Nimirum placere Naturæ, id omnino à nobis geri, quod ei ſi placeat, amplius quid voluptatis in hominum vniuerſitatem redit, quàm ſi non placeat. At enim, ais, noſtra ipſa voluptas rebus nos conſeruantibus inhærere ſolet: ergo voluptas non ſua; ſed conſeruationis cauſâ Naturæ commenda- *Li. 1. c. 28 & ſeq.*

Digitized by Google

mendatur. Itane verò? Adeone inſolens ac nouum eſt, vnum atque idem bonum, & ſuâ & alienâ gratiâ deſiderari? Vnius fœlicitatis eſt, vt ne ad aliud quip-
1.Eth.c.7 piam referri queat, quod Ariſtoteles animaduertit; fœlicitas quippe bonorum omnium optabilium eſt cumulus: nihil ergo extra illam boni eſt, ad quod illa conferre, adeoq; referri poſſit: quæ proinde ipſam gloriatur inutilitatem ſuam. At verò ſingula particulatim bona, quaſi eiuſdem fœlicitatis membra, ita poſſunt inuicem comparata eſſe, vt aliud alia eorum efficiat, ac proinde alieno iuxtà ſuoque merito commendetur. Et quidem ſi bona omnia per eiuſmodi cognationem ſibi mutuò congruerent, nulla iam planè vitiorum fibra ſuccreſceret: vitia quippe vniuerſa progerminant ex diſſidio plurium inter ſe bono-
Li.2.c.19 rum imparis meriti, vt heſterno congreſſu probatum eſt. Quapropter Natura, 5.
vt, quàm maximè fieri poterat, vitiorum mala germina ſterileſcerent, ſic bona mutuò frequenter innexuit, vt eadem plerumque delectabilia eſſent, quæ ſalutaria: ſimul effecit, vt ſenſuum ac mentis cognitio (quæ item in bonis eſt ſuo nutu deſiderabilibus, quemadmodum poſthac deprehendemus) & iucun-
Li.1.c.11 da ſit pariter & idonea vitæ, quod nudius tertius Illuſtriſſimus Cardinalis expoſuit.

Verumtamen ſi concordi fœdere bona planè omnia inidem conſpitarent, non magis areſcerent improbitatis aconita, quàm Virtutis palmæ. Virtus quippe electione præſtantioris è duobus aduerſis bonis tota continetur. Tum ergo hac de cauſa, tum verò quia fœlicitas Naturâ nobis deberi non poterat, quod heri diſputatum eſt, opus fuit plura bonorum inter ſe repugnare, bonaq; malis non ſemel infici; plura ſanè pharmaca vitæ ſalutaria palatum offendere; nec rarò aut venenatam eſſe pernicie voluptatem, aut per lacrymarum ſementem gaudij meſſem tutò parari. 6.

Saracenus ad hæc. Oratio iſthæc tua eò videtur euadere, nihil vt Naturæ 7.
atque appetitionis noſtræ fines differant inter ſe. Etenim ſi quodcumque bonum noſtrum, vt finis à Natura quæritur, perinde ac à nobis, fines porrò vtriuſque in ſumma erunt indifferentia. Et tamen primum eorum trium, quæ nudius tertius oppoſuiſti aduerſus ea, quæ diſputauerat Illuſtriſſimus Cardinalis, hoc ipſum fuit: hæc duo finium genera, non vt veritas expoſcebat per eum diſtincta.

Haudquaquam id ſequitur, quod collegiſti, Querengus ait. Etiamſi amicus amici bonum omne percupiat, non illico efficitur, nihil adhuc ipſi in votis eſſe quin ad amicum referatur. Quamobrem, & ſi Natura inhiet in quodcumque bonum noſtrum, quis tamen ſcit vtrumne extra hæc inhiet ſimul illa in aliquod bonum ſibi proprium, nobiſque non quidem nociuum; ſed nec vtique conducibile? Verùm vtcumque id fuerit, næ ego nudius tertius id tantummodo agebam, vt oſtenderem non ratam fuiſſe conſecutionem illam Illuſtriſſimi Cardinalis, eamque in eo defeciſſe, quod vnum ex neceſſarijs argu- 8.

menti

menti capitibus non adhuc appellaſſet, nedum probaſſet: hoc eſt, Naturæ noſtriq; appetitus fines vſquequaque congruere. Cæterùm haud mihi tunc animus fuit ſuper hoc ipſo aliquid pronunciare. Id enim ex alia, & quidem prææalta quæſtione pendet: ea eſt: Mundus-ne vniuerſus nobis vnicè ſit procreatus, an etiam brutarum, adeoq; inanimarum rerum bono, alijsq; de cauſis Mundi procreatorem inuitantibus.

Tum Cardinalis. Quæſtionem indicas non plus habentem ſublimitatis, quàm voluptatis; itaque neque abs re, neque in tenui laborabimus, illam ſi per otium examinemus.

CAPVT X. *Mūdusne vnius hominis bono ſit naturaliter conditus: varia antiquorū ſententia.*

1. AT Querengus: En iterum Epicureos in aciem deſcendentes. Hi nempe non tantùm abnuebant, Naturæ opificia ex arte confecta eſſe, & in præſtitutum aliquem finem; rati, manus pedesque, linguam, artus denique omnes caſu nobis obtigiſſe, tum verò à nobis in tales functiones adhibitos, ad quales fortuitò eoſdem idoneos deprehendimus, vt apud Lucretium habetur: ſed iactantiùs inſuper Stoicos cauillabantur, tanquam hi dementi quodam humani, hoc eſt, proprij generis, amore corrupti, temerè illud præ cunctis rerum generibus extollerent; vel ipſis Dijs humanam
2. figuram, quaſi figurarum præſtantiſſimam tribuentes, Mundumque vniuerſum vſui noſtro arroganter vindicantes: At non ita ſententiam hanc Ariſtoteles cauillatus eſt. Quin primo Politicorum libro diſertè affirmauit, *Cap. 5.* plantas animalium gratia editas, reliqua verò animalia hominis obſequio parta: ideoque numerauit venationem in bellis iuſtis, & in modis acquirendi ſecundum Naturam: per venationem ſcilicet homo belluarum à Natura ſibi addictarum ſubigit contumaciam. Huic porrò ſententiæ vehementer fauent diuinæ Litteræ aſſeuerantes, hominem poſitum à Deo ſuper opera manuum ſuarum, omnia ſub pedibus eius ſubiecta, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris: datam ei herbam afferentem ſemen, & vniuerſa ligna: aliaq; in eandem ſententiam permulta. Conſentiunt verò doctiſſimi Eccleſiæ Patres, atque inprimis Lactantius de ira Dei c. 14. & Nyſſenus lib. de hominis opificio.

CAPVT XI. *Mundus haud conditus eſt gratia rerū inanimarum. Ha neq; à nobis, neque à Natura poſſunt amari vt finis cui.*

1. NOn ſum neſcius, etiam Academicos obſtitiſſe huic hominis excellentiæ; multosq; Philoſophorum ratos Mundum vniuerſum eum deniq; finem fuiſſe, cuius bono ſtuduit Natura. At enim, quando nulla rerum vniuerſitas aliquid tandem eſt planè diſtinctum à ſingulis partibus; ſiquidem obtinuero in aliquas Mundi partes non fuiſſe Naturam ſic beneuolè amiceq; affectam, illico luculenter patebit haud Naturam beneuolè affectam erga Mundum vniuerſum. Libet à certioribus initium ſumere.

Si de rebus inanimis quæratur, cuinam, rogo, cogitabile ſit verâ propriaq; beneuolentiâ aduerſum eas animatam eſſe Naturam? Nempe in eas modò res, quæ ſenſum appetitionemque ſortiuntur, huiuſmodi affectio quadrare poteſt. Ecquis agricolam beneuolum ac beneficum dixerit in frugiferas plantas, à quibus æſtum ſedulò defendit ac gelu; aut eundem immitem in ſarmenta, herbaſq; ſiue ſteriles, ſiue noxias, quas igne populatur? Sanè puer ille immanioris voluptatis ab Areopago damnatus, quòd eruendis coturnicum oculis delectaretur, ſi potiùs libidinem habuiſſet in lauris aut iuniperis exurendis, vt aures crepitu, vel nares odore titillaret, non modò in pœnam, ſed nec in reprehenſionem vllam quaſi dirus earum arborum vaſtator incurriſſet. Non id vtique Ariſtoteli neglectum eſt, quandoquidem octauo Ethices libro præclarè docet in res inanimas amicitiam non eſſe; *quia non eſt*, inquit, *voluntas boni illarum. Eſt enim ridiculum fortaſſe vino bonum quempiam velle. Quod ſi vult ſaluum illud, vult eſſe vt habeat ipſe: at oportere aiunt amico bona illius gratiâ velle.* 2. Cap. 1. 3.

Non igitur credibile eſt propriè beneuolam amicamq; rebus inanimis eſſe Naturam, ſed haſce res à Natura concupiſci ea modò affectione, qua vel noſtra, vel amicorum bona deſideramus, quam affectionem *concupiſcentiam* vocitant, non *beneuolentiam*.

Duo mihi aduerſus iſthæc negotium faceſſunt, Saracenus inquit: Alterum id omnino eſt, quod ipſe nuper diſſertabas. Nimirum, hoc ſubſtantias à proprietatibus dirimi, quòd ſubſtantia vniuſcuiuſque rei ſingularis id ipſum eſt, ad cuius bonum peculiaris Natura eiuſdem rei poſtremò contendit. Age ſanè, hoc ſi ita eſt, an non peculiaris Natura ſubſtantijs omnibus quantumcumque ſenſu vacuis beneuola? Quid enim aliud beneuolentia, niſi alicui velle, quod illi bonum; hoc ipſo quod illi bonum? 4.

Alterum eſt, quòd in rerum vniuerſitate tam multa germina procreantur vel mortifera, vel moleſta, quibus ademptis, fœliciorem haud dubiè vitam animalia tranſigerent. Qui ergo eiuſmodi operum ſtructuram animantibus Natura dicauerit?

CAPVT XII. *Quid ſibi velit q Philoſophi aiût; ſubſtãtiã eſſe finem Naturæ, accidẽtia verò eſſe media.*

Enitar vtrumque diſcutere, Querengus reſpondit. 1.

Quod attinet ad primum, meminiſtis vtique haudquaquam re diſcretas à me duas Naturas, ſed vnam eamdemq; pro duplici munere quaſi duplicem petitâ veniâ nuncupatam. Acceſſamus, ſi libet, exempla, quæ ſunt, propè dixerim, ſydera diſputantium in nocte philoſophiæ. Liquet, aptum frænum non ſuâ, ſed equi regendi gratiâ experti; & tamen arti frænorum effectrici nullum vlteriorem finem extra fræni confecturam aſſignamus; quia ſcilicet eius artis præcepta nihil vltrà progrediuntur; licet fræni emptor, non tam frænum, quàm equi frænum paſſuri rectionem pecuniâ ſibi parare cogitet. Frænum igitur per ſe quidem purum eſt medium, ſed penes illam artem, quæ fræni 2.

eſſe-

effectionem non prætergreditur, finis nuncupatur. Perge porrò, finge in eodem homine, & fræni & equitationis artificium, hunc hominem verò ſibi eximium frænum architectari: tunc quidem huic homini frænum non finis, ſed medij amabilitatem præferet; Verumtamen huic eidem, quà fræni artifex eſt, frenum appellabitur *finis*; quoniam homo ille, quà fræni artifex, ſolâ freni ſtructurâ ſuam operam finit.

3. Iam ad rem noſtram. Flos vtique, aut pomum inamabilia per ſe, niſi quantùm ambo commendantur vtilitate aut voluptate animantibus manaturâ: Fines tamen dicerentur cuipiam arti, quæ in eis concinnandis tota verſaretur. Enimuerò hanc artem vnus callet Deus; & hactenus vt hanc artem gerit, *peculiaris* Naturæ is nuncupationem adoptat. Ideo flos vel pomum fines vocantur Naturæ peculiaris; licet vt media tantùm eligantur ab Natura vniuerſali, & ſimpliciter à Deo, qui vtramque perſonam agit.

4. Ad hoc, apparet floris pomive affectiones tamdiu & procurari & refici ab eiuſmodi peculiari Natura, quoad materies illa ſeruat pomi florisve ſubſtantiam. At verò, ſimul atque eiuſmodi corpora in aliud quippiam degenerant, extemplò in illa materie ingens affectionum cataſtrophe, quin ſubinde vis vlla affectiones ſemel perditas illuc reducere penſi habeat. Hinc beneuolentiæ metaphora in rem præſentem. Hactenus enim bona extare amicus deſiderat, quoad viuit fruiq; poteſt is, *cui* bona illa deſiderat, adeoq; hic *beneuolentiâ* dilectus dicitur, & tanquam *finis cui*; illa verò bona amore *concupiſcentiæ*, quod aiunt, & tanquam *finis qui*; ſimiliter ergo cùm videamus hactenus cordi eſſe Naturæ, vt roſæ proprietates tueatur aut reparet, quoad eſſentia roſæ ſuperſit, duplicem amoris ſpeciem ad hanc Naturam transferimus; *beneuolentiæ* alteram in eſſentiam roſæ, alteram *concupiſcentiæ* aduerſus roſæ proprietates.

5. Quamquam, ſi Naturam vniuerſalem contemplemur, fortaſſe contrà ſe res habet, ita vt ſubſtantia potiùs expetatur vt medium conficiens affectionum ſuarum: affectio ſiquidem ſubſtantiæ, quam ſubſtantia ipſa propiùs accedit ad iuuandas res cognitione præditas, eaſdemque à Deo atque ab vniuerſali Natura citra abuſionem vllam beneuolè dilectas. Et verò huc ſpectat peruulgatum illud Ariſtotelis dogma: *Quidquid eſt operationis gratiâ eſſe*. Etenim operationes à *Natura* quidem *peculiari* in ipſum *eſſe* rerum tanquam in finem diriguntur; itaque rei vnicuiq; attributas à Natura cernimus tales operationes omnino, quales aut rem illam ſingularem, aut eiuſdem rei commune genus propugnent ac ſeruent: adeoq; *eſſe* rerum id ipſum eſt, cui vt fini operationes ancillantur. Verumtamen vniuerſalis Natura, quæ rebus cognoſcentibus vnicè conſulit, ipſum eſſe rerum inanimatum refert ad ipſarum operationes, hoc eſt, ad aliquod propinquius quà præſidium, quà ſolatium animantibus inſeruiens.

6. Imò verò non ſurdorum tantummodo corporum *eſſe*, verùm etiam *eſſe* noſtrum refertur ab vniuerſali Natura quodammodo in operationes: licet &

Digitized by Google

has ipſas operationes quærat illa tanquam bona, quæ perficiunt *eſſe* noſtrum; & licet hoc beneuolentiâ ſua, illas concupiſcentiâ tantùm dignetur. Etenim duo ſunt, quæ in eſſentia noſtra poſſunt cogitatione diſtingui. Alterum eſt, ſuis operationibus ipſam perfici, & quà hoc in eſſentia noſtra Naturæ obuerſatur, Natura eſſentiam noſtram ceu *finem cui* beneuolè complectitur, operationes verò noſtras amat ceu *finem qui*, gratia eiuſdem eſſentiæ procreatum. Alterum, quod in eſſentia noſtra cógitari poteſt, eſt vis effectrix earumdem operationum nobis proficientium: & quà vim illam gerit, non finis, ſed medij rationem gerit: non aliter ac ſi ipſa eſſentia noſtra foret cauſa quæpiam extra nos eiuſmodi effectorum nobis congruentium procreatrix: Medij ſiquidem notio ſola vi ad finem efficiendum validâ, & ex amore finis obtinendi poſitâ continetur. Patet verò, non modò res ſenſu expertes, ſed noſtram quoque ſubſtantiam ideo poſitam ab vniuerſali Natura, quia eam nouit idoneam ad operationes illas, quas concupiſcit.

CAPVT XIII. *Non ſiper finis medio præſtantior.*

1. VNum ſupereſt, Saracenus adiecit, quò minùs primum hoc, quo turbabar, excuſſum fatear. Quando per te ab vniuerſali Natura operationes, proprietateſque vniuerſæ vt fines adamantur, ſubſtantiæ verò ſenſu caſſæ non niſi vt medium; quid ni operationes ac proprietates præſtabilius aliquid ſint, quàm ſubſtantiæ? Finis enim medijs præſtat in agentis æſtimatione: item in Deo duplicem perſonam gerente, profectò perſona illa, quam gerit Naturæ vniuerſalis, excellit perſonam Naturæ peculiaris: itaque rerum præſtantiam dijudicare par eſt ad æſtimationem, pro vniuerſalis Naturæ perſona Deo inſidentem.

Audi meditationem, vt reor, non ingratam, Querengus inquit, 2.
Haud ſtat vniuersè, purum medium à ſuo fine ſuperari, ſed tum omnino, cùm medium ad illum definitè finem parandum valet, cæterà inutile. Nummus certè non alio nomine in bonis eſt, niſi vt medium per quod obtinentur alia bona: nec tamen infra alia bona nummus æſtimatur. Id enim ſi foret, incallidè agerent, quotquot vendunt: nempe nihil aliud tandem eſt venditio, niſi permutatio reliquorum bonorum cum pecunia. Atqui venditionis pactio iuſtiſſimam habet æqualitatem legibus ac populis omnibus probatiſſimam. Cur igitur hoc ita ſe habet? Quia nummus ille medium opportunum eſt non ſolùm ad illud bonum, quod cum eo nummo tunc permutatur, ſed etiam ad alia bona comparanda; quippe nummus poteſtate omnia eſt, vt Ariſtoteles loquitur: ſimiliter arbor eatenus in pretio eſt, quatenus eſt 3.
medium ex quo fructus habentur; & tamen arbor ſupra fructum in pretio eſt. Ideo nimirum, quia arboris opportunitas non finitur eo ſingulari fructu, quem cum arbore componimus, ſed ad alios alioſque fructus porrigitur per longam annorum ſeriem effundendos; Cæteroqui, ſi nummo quopiam nonniſi talis tan-

tantęq; definitę mercis emptio tranſigi poſſet, vel ſi arbor aliqua vnius tantùm pomi fertilitate gauderet, pluris enimuerò facienda eſſet mercis eiuſce, vel pomi, quàm nummi arborisve poſſeſſio.

Ita etiam ſubſtantia proprietates operationesq; ſuas nobilitate ſupereminet, quia ſe habet inſtar arboris, in operationes tanquam in fructus germinantis; quorum fructuum ſinguli citò marceſcunt, ſed arbor diu viret ac parit. Subſtantias loquor ſenſu carentes. Etenim ſubſtantiæ, quæ cognitione vigent, alia de cauſa præſtantiores ſunt affectionibus ſuis, quin & omni turba rerum inanimarum: quia ſcilicet gaudio potiundo ſunt natæ, amanturq; à Natura amore beneuolentiæ. At hoc de induſtria nobis infrà tractandum.

CAPVT XIV.

Quid ſit, cur, ſi omnia condidit Natura rerum cognoſcentiū ergo, plura tamen exiſtant moleſta illis, & pernicioſa.

1\. PErſequor alterum, quod obieceras. Et verò percunctor ex te; hortos-ne huius ſuburbani dixeris vna ipſius domini gratiâ conſitos, licet hi permultos vtique flores alant odoris expertes atque inſalubres, ceu Tulipæ ſunt, alijq; præſertim exotici, ijdemq; inter floralium delicias exquiſitiſſimi.

Quidni? Saracenus reſpondit: Flores enim eiuſmodi, quamuis de cætero inutiles, domini certè viſum delectant.

Quos verò credis, Querengus exequitur, animi-ne an corporis oculos vberiori delectamento è ſubiecta ſibi materia percipiendo natos: adeoque his-ne, an illis aſpectabilia exhibere, magis beneficum ducis?

2\. Tum Saracenus. Teneo ſcilicet, quò euadas. Et quidem ratio iſthæc vnius hominis bonum ea eſſe demonſtrat, vt qui ſolus inter animantes particeps eſt contemplationis, adeoque oblectationis ex hiſce mirificis Naturæ inuentis hauriendæ. Atqui nonne ſatiùs fuiſſet homini, ſi pro quolibet venenato aut vulnifico frutice alius quiſpiam & vitæ gratior, & contemplationi non ingratior extitiſſet?

3\. Satiùs item fuiſſet homini, Querengus modeſtè ſubridens ait, ſi nulla re temerari ipſe poſſet; ſi animalia, germina, metalla, elementa, ſydera, omnia perpetuum ipſi nectar effunderent, ſuauitatis atque immortalitatis plenum. At non quidquid optimum, id confeſtim homini debitum, ſicuti nec debita homini aut aquilarum acies, aut leporum auditus, aut vulturum olfactus, aut Angelorum comprehenſio. Verùm vberiùs de hoc paulò poſtea, vbi exquiremus, tota-ne corporatarum rerum vniuerſitas vni homini condita ſit. Interim ad propugnandum quod prædixi, ſcilicet, hanc vniuerſitatem omnem, non aliorum vtique niſi animantium bono fabricatam, haud arripiam quod Auguſtinus aliquando ſignificauit, videlicet quæ noxia ſunt germina, aut nulla fuiſſe, aut certè innoxia priùs quàm Adamus delinqueret, adeoque hanc inter cæteras flagitij pœnam commereret. Etenim in ſacris Litteris non obſcurè videtur expoſitum tertia die germina vniuerſa per Diuinæ vocis efficacitatem extitiſſe. Quod ſi florente adhuc hominis innocentia illæſus hic

hic atque intactus ab earum pernicie fortaſſe viuebat; munus vtique id fuit Diuinæ liberalitatis ſupra debitum Naturæ ordinem. Cæterùm, quis neget dumis naturâ conuenire, vt hominem perinde ac cæteras animantes figant,
Hom.1.in Hexaëm. cicutæ vt eundem necet? Id Baſilio auctore ſubdam aduerſus prædictam A- 4.
cademicorum rationem, non ſolùs fortaſſe contemplationis obſequio largitam eſſe Naturam animantibus germina illa nobis infenſa. Næ tu heri obſeruabas, herbarum homini pernicioſarum aliquas quibuſdam belluis prodeſſe. Credibile porrò eſt, hoc idem per vniuerſas pertinere; ita vt nullum germen tam inimicum animantibus videatur, quin vel nobis artificiorum inſtrumenta, vel cuipiam animanti vitalem eſcam ſufficiat, vel malignos vapores abſorbeat luem alioqui mortalibus machinaturos; vel cuiuſpiam pharmaci ſalubritatem contineat; vel alio quopiam titulo benè de animantium Republica mereatur.

CAPVT XV.

In belluas cadere verum earũ bonum.

Exemptis iam inanimatis corporibus à Naturæ beneuolentia, ſequitur 1.
vt de brutis animantibus diſſeratur. In has profectò non cadit abſolutæ perfectæque amicitiæ notio; hæc enim his omnino duobus conſtat: mutuâ beneuolentiâ vtrique amicorum perſpectâ, & arcanorum communicatione. At verò nec belluæ poſſunt cuipiam beneuolentiæ vicem rependere, quando propria voluptate, non aliorum bono (quo nimirum flagrat beneuolentia) finiunt appetitiones; nec ſcilicet hebes belluarum ſenſus arcanorum ſignificationem admittit. Verumtamen pertingere poteſt ad belluas amicitia neſcio quæ informis & manca; tum enimuero, cùm animus rationis particeps ad illarum bonum illarum gratiâ commouetur, ac proinde illas beneuola quadam caritate complectitur; quali complectimur infantulos, qui nec beneuolè redamandi ſenſum, neque arcanorum intelligentiam vſurpant. Nihil ergo 2.
prohibet per eiuſmodi noſtram caritatem vel belluas amplexari. Etenim belluas ita comparatas interpretamur, vt bono malove afficiantur quippe cognitionis, delectationis, dolorisq; compotes: vt enim in hiſce operationibus bonum malumve noſtrum collocamus, ita res, quæ illarum participes ſunt, boni maliq; participes itidem opinamur.

CAPVT XVI.

Quo intelligẽdũ ſit illud eſſatũ Metaphyſica: Omne ẽs eſt bonũ.

Svper ijs quæ modò à te diſputata ſunt, Saracenus interceſſit, vnum occur- 1.
rit non ſatis mihi expeditum. Qua ratione inficiemur res, quæ ſenſu priuantur, bono aliquo potiri, quando habent vt aliquid ſint, quod nobis in bonorum cenſu annumeratur? Porrò *eſſe* ac bonum vniuersè reciprocari Metaphyſicæ cortina planiſſimè reſpondet. Quin Ariſtoteles *a* loco, quem heſterna die memoraſti *b*, nonne docet bonum eſſe *quodcumque appetunt, vel quæ ſenſum habent omnia, vel quæ intellectum habent, aut appeterent ſi haberent.* Bonum igitur etiam in rebus, quæ ſenſu carent, Ariſtoteles agnoſcit.

a 1 Rhe. c 5
b Li 2. c. 6

Que-

2. Querengus contrà. Equidem ſententiæ ſubſcribo, quam propoſuit hac de re nudius tertius Illuſtriſſimus Cardinalis. Nimirum *eſſe* illud ſurdum, omnique cognitione ac delectatione viduatum nihil optabilius aut melius, quàm nullum. Ille quidem id nec paucis, nec leuibus confirmauit; Ego verò non nihil pro mea virili parte in idem contuli, cùm oſtendi, nihil aut benè, aut malè de inanimis rebus meritum exiſtimari, qui eas exornat, vel deturpat, quique tuetur aut corrumpit. Aggredior iam elidere, quæ tu contrà produxiſti. Lib.1.c.12

Eſſe quidem noſtrum inter noſtra bona recenſetur, ſed hoc ipſo nomi-
3. ne, quòd ex eo fonte plus iucunditatis, quàm triſtitiæ naturaliter profluit ad nos. Id ſiquidem heſterno ſermone probaui, obſeruans *eſſe* noſtrum abominatum, non modò inamabile, nobis euadere, eâ ſi conditione tenemur, vt ex infecto iam eiuſmodi fonte plus mœroris, quàm ſolatij cogamur exſorbere. Nec adeo *eſſe* noſtrum ad ignobilem medij conditionem vnius conferendæ voluptatis gratiâ commendati prorſus abiecerim. Imò verò voluptas quælibet, vt poſſeſſio boni eſt, ita bonum aliquod ſe antiquius, & per ſe poſſidendum adinueniat oportet. Hîc autem præſtat in memoria recolere res quidem Li.2.c.15
4. aliquas ita demum bonitate pellicere, ſi alijs quibuſdam rebus ſibi congruentibus attexantur, eaſdem verò per ſe ac ſolitarias nullum habere ictum ad amorem commouendum. Haud mihi licet exempla huius effati deriuare ex illis bonis, quæ preſsè ac propriè in finibus bonorum ſunt. Nempe etiamnum ſub iudice inter nos pendet, ecquæ ſint huiuſmodi bona extra iucunditatem. Quapropter quodcumque afferretur exemplum, vtique rem iniudicatam quaſi certam aſſumeret. In bonis alienâ gratiâ expetendis magna eiuſmodi exemplorum ſeges. Viator quidem inter bona connumerat rotam quamlibet vehiculi ſui; non tamen ita vt rotam vnam per ſe pretio aliquo, aut labore dignaretur, ſi tres alias parari poſſe omnino diffideret. Item fac, nitrarium puluerem planè deficere; omnem tunc quidem æſtimationem apud milites abijcient ſcloporum certiſſimi, bombardarum immaniſſimæ, per quæ nunc Germanorum officinæ Martem præ Ioue fulmineum reddunt. Ergo id integrum quò aſpirat viatoris aut bellatoris deſideratio, eſt currus omni inſtrumento habilis, tormentum omni tormentaria materia inſtructum. Et hactenus horum pars aliqua placet, dum aliæ partes rem perfecturæ vel poſſidentur, vel ſperantur.

Similiter integrum bonum eſt beata vita; quam ſimul eſſentia, ſimul
5. voluptas abſoluunt. At hæ ſingulæ partes vim bonorum non habent, ni copulentur. Iam verò quia eſſe aliquid, vel ſeparata voluptate contingit; ideo ipſum *eſſe* vacuitatem hanc expletæ bonitatis diſſimulare non poteſt. At contrà voluptas citra *eſſe*, quaſi germen citra radicem efflorere nequit; adeoque voluptas vt planè ſuam arrogat ſibi bonitatem illam, cuius ipſa voluptas non tota ratio, ſed poſtremus cumulus eſt.

At-

Digitized by Google

Atqui vox Metaphyſicorum concordiſſima: *Omne eſſe eſt bonum*. Bonum vtique, at non ſemper bonum poſſeſſoris, non ſemper inter fines bonorum. Quid? fateor vltro vel res inanimas bonitate reſpergi; aliàs nihil voluntatem, niſi fallendo ineſcarent, vt è ſuperioribus conſtat; adeoque nec poſſent creari à Deo, nunquam falſo & nihil niſi voluntariè creante. Sed non ita fateor eaſdem eſſe bonas ſibi. Sunt illæ quidem in bonis Dei, ſunt in bonis rerum cognoſcentium, quas Deus beneuolè diligit. Id verò ſat eſt, vt ad ſe appetendas Dei voluntatem inflectant.

CAPVT XVII.

Explicatur quodda effatu Ariſtotelis; ac retegitur inſyncera quædā regula quā homo adhibet in cenſendis bonis aut malis.

1\. Reliquum eſt, vt Ariſtotelis auctoritate, qua me premebas, exoluar. Duæ quidem interpretationes occurrunt. Altera eſt *boni* vocabulum eo loco apud Ariſtotelem valuiſſe non id modò, quod deſiderabile ac lætabile re ipſa eſt, ſed etiam proprietatem omnem, quæ talis eſſet, ſi fingamus, rem ea proprietate dotandam deſiderio aut lætitia tangi poſſe. Iam videmus res quaſlibet deſiderij & lætitiæ compotes inclinatas eſſe à Natura ad proſequendum per eiuſmodi affectus finem illum, in quem à Natura diriguntur. Idq; ſapienter factum. Hac enim inclinatione vrgentur ad eum finem abſentem vtique ſectandum, præſentem verò retinendum. Similem igitur inclinationem Natura inanimis quoque rebus impreſſiſſet, eas ſi deſiderationi lætitiæq; concipiendæ habiles reperiſſet. Hac de cauſa, res eiuſmodi in ea verſari conditione, quam illis Natura deſignauit, earum bonum appellamus; quamuis illa ipſa earumdem rerum apta conditio in bonum totius vniuerſitatis à Natura prorſus referatur. Quin familiare loquentibus eſt perfectionem rei vniuſcuiuſque ponderare non tam poſſeſſis dotibus illi rei priuatim conducibilibus, quàm opportunitate ad finem, quo eiuſdem rei artifex aſpirauit. Ita marmor illius ſigni (egregiam hoc loco ſtatuam haud longè ſitam Querengus demonſtrabat) Bernini ſcalpro elaboratum, vtique ab eo dicimus perfectum eſſe: cùm tamen id non aliter Berninus confecerit, niſi plura eiuſdemmodi marmoris fruſta circumcidendo, quorum iunctura re vera magis faciebat ad natiuam inclinationem; adeoq; conſeruationem marmoris. Quin hanc ipſam loquendi conſuetudinem vel in animalium perfectione commetienda retinemus. Quid enim? equus perfici dictitatur Equiſonis induſtria ad frænum ac ferulam erudientis; etſi maiore bono ſuo hanc equus diſciplinam dedoceretur. Ipſa nempe docilitas ſeruitutis primordium eſt equo nunquam famulaturo, ſi nunquam diſceret famulari. 2. 3.

Nimirum igitur in communi ſermone vocatur bonum, & perfectio cuiuſpiam rei non quidquid eam communit vel hilarat, ſed quidquid, etſi cætera noxium, eam aptiùs accommodat ad ſui artificis finem; Et quod huic conſequens eſt, ad bonum hominis, cui artifices atque artes vniuerſæ deſudant. Hunc verò communem loquendi morem reſpexiſſe debuit Ariſtoteles maximè

mè in Rhetorica, quæ diſciplina tota forenſis eſt & popularis, vt ſcitè M.Tullius. 3. de fini in princ.

4. Altera eiuſdem enunciationis Ariſtotelicæ interpretatio, eaque planior, hæc eſt. Ait ille: *Bonum eſt quodcumque appetunt quæ ſenſum habent omnia, aut quæ intellectum habent, aut ſi haberent.* Hæc verò poſtrema clauſula, *aut ſi haberent,* commodùm referri poſſet ad ſolum *intellectum*; quaſi dixerit Ariſtoteles; bonum eſſe animantium (animantium, inquam, non vtique inanimatorum) vel certè quidquid re ipſa eorum appetitionem commouet, vel id modò quod appetitionem commoueret, ſi appetentibus intelligendi perſpicacitas ineſſet.

CAPVT XVIII.

Mundus etiam belluarũ gratia cõditus eſt: quã tamẽ dici poſſit conditus ſoli homini.

1. ERgo proprium quid boni rebus inanimis non poſſidetur: at brutis animantibus, vtique poſſidetur: Ideo in illas vel lenitudinis virtus à nobis geritur, dum humanè accipiuntur, vel crudelitatis vitium, dum ad meram libidinem excruciantur; quemadmodum per te, Cardinalis Illuſtriſſime, demonſtratum eſt *a*: Quod cùm ita ſit; huiuſmodi-ne virtutem à Natura, Deoq; remouebimus? Imò verò hic ipſe lenitudinis ſenſus non alia de cauſa virtutis nomen promeretur in nobis; niſi quia cum ipſius Naturæ ſenſu ac voluntate conſentit. Ergo item Natura quadamtenus belluis benè vult, ac proindè vbi eas genuit, vbi domicilium ac victum eiſdem parauit, ne multa, vbi Mundi machinam finxit, earum itidem quæſiuit emolumentum. a Li.1.c.3

2. Quid eſt igitur, Saracenus interpellauit, cur dictitemus, Mundum hunc hominis priuatim, & non potiùs animalium vniuersè gratia compoſitum?

En cur; incunctanter Querengus. Duo vtique finium genera voluntatem irritant. Aliqui fines vel per ſe atque ab alijs deiuncti ſat deſiderium permouerent. Alij perinde ſe habent ac impulſio, quam puerulus incuteret ingenti nauigio prævalidis ventis acto; quæ ſanè impulſio nihil ex ſe ſola nauigij grauitatem dimoueret, ſed ad ventorum impreſſionem accedens, tantillum vtique nauigij accelerat curſum. Huius rei hanc effingo ſimilitudinem. Ablegatur quiſpiam ſacrorum Antiſtitum à Romano Pontifice ad Poloniæ Regem Internuncius. Ingens vtique labor, ingens ſumptus, ingens incommodum huic exhauriendum obijcitur ex longinquitate itineris, ex diuerſitate Cœli. Verumtamen ſtudio Catholicæ rei promouendæ, honoriſq; ac præmiorum blandiſſima ſpe, quidquid durum ab eo munere abſterret, alacriter
3. deuoratur. Accedit ad eiuſmodi illicia qualis qualis cupiditas inſpiciendi tum pinus (vt fama eſt) ſuccino exſudantes, tum onagros pretioſis vnguium reſegminibus nobiles. Hæc tamen cupiditas per ſe leuior eſt, quàm vt Antiſtitem illum ad remotiſſimas Poloniæ niues abſtraheret: ſed quando alijs vehementioribus inuitamentis ille permouetur, efficit enimuerò cupiditas eiuſmodi, vt paulò libentiùs iter arripiat. Age ſanè. Magno vtique rerum ſumptu

Digitized by Google

immenſoq; opère conſtitura proponebatur Naturæ Mundi fabricatio. Ve-
rumtamen, quando tantæ molis erat, diuinum animal & meliore ſui parte
ſempiternum exiſtere, quod animal ſapientiam præcellentis architecti ad o-
mnem æternitatem demiraretur,& inde virtutis ſemina & perpetuæ beatitatis
fructus decerperet; hac mercede placuit Naturæ inexputabile illud impen-
dium terrarum ad habitationem, belluarum ad ſeruitium ac paſtum, ſyderum
ad inferiorum omnium tuitionem atque vbertatem. At ni homo condere- 4.
tur, enimuero haud tanti erat ſufficere hanc rerum ſupellectilem planè im-
menſam caducis modò abiectiſq; animis nulla pulcherrimi operis admiratio-
ne, nulla opificis notitia, nullo virtutis ſenſu tangendis; & ſolùm ad annos
neſcio quos (hoc eſt, ad momentum comparatè ad æternitatem) ſupra nihi-
lum exituris. Sed quando iam Regale hoc domicilium hominis cauſa exci-
tandum erat,eò libentiùs Natura illud aggreſſa eſt,quod intellexit voluptatem
quoq; hinc emanaturam ad tam infinitos belluarum greges vitalem è ſideribus
auram decerpturos, qui cœlum,mare,terras frequentarent. Hinc iure dicitur
vni homini Mundus exædificatus: homini enim quantumuis ſoli Natura illum
ædificare non abnuiſſet; & hæc eadem,è diuerſo, dempta hominis vtilitate ni-
hil moliri cæterarum animantium vſui laboraſſet.

CAPVT XIX.

Quæritur ratio concludens Mundum vnius hominis gratiâ conditum: & vulgata repudiatur.

PRæclarè quidem, quod rogaueram, explicaſti, Saracenus ait. At vereor, 1.
vt ſolidum ſit fundamentum illud, cui ratio iſthæc prorſus incumbit.
Quidnam, rogo, perſpicuitatis habet, Mundum caritate hominis à Natura
conſtructum, potiùs quàm alio conſilio, de quo nihil neceſſe habuerit nos e-
docere? hoc loco ſcilicet haud immeritò videntur perſtringere Stoicos Epi-
curei. Homo, clamant, per immoderatum ſui amorem inſaniens, poſt ſe re-
rum omnium decorem atque excellentiam numerat; idemque petitor ſimul
ac Iudex, dominium ampliſſimæ huius Vniuerſitatis adiudicat vni ſibi. At ſi
quiſpiam in omnium ſingulatim animantium cogitationes intraret,in ſingulis 2.
fortaſſe reperiret errorem huic ſimilem, & proprio vniuſcuiuſque generi per-
æquè blandientem. Subit animo epigramma quoddam Gabriæ inter Græcos
Epig. 1. Mythologos non ignobilis: ait ille cum leo marmoreus ab homine concul-
caretur,id tanquam roboris excellentiam ab homine leonem cauillante iacta-
tum: cui leo; ſi leones ſculptores eſſent, proh quot ab ipſis homines ſimili
ſpecie fingerentur! hæc ille. Haud minori iure in præſentia interpretari cui-
piam licebit, ſi belluæ philoſopharentur & diſſertarent, vtique pronunciatu-
ras: hominem & quidquid eſt rerum, ſibi conceſſum ac dicatum eſſe. Haud
ſum neſcius certiſſimæ fidei dogmata plurimum ſuffragari poſitioni tuæ; ſed
noſſe adhuc aueo, vtrum-ne radius aliquis philoſophiæ hoc idem oſtendat.

Ita planè Philoſophis id comprobare mos eſt, Querengus reſpondet. Ex-
perimur hauddubiè, hominem plus minuſve, quà proximè, quà longinquè re-

bus

Digitized by Google

bus vniuerſis iuuari. Res igitur vniuerſæ hominis bono ſunt natæ. Nec enim fortuitò ac præter Naturæ conſilium contingere potuit id, quod in ſerie hac vniuerſitatis perpetuò contingit.

3. Tum Saracenus: Diuinus neſcio quis belluarum linguæ peritus retulit mihi, fuiſſe in quadam pulicum Academia ſimili ferè argumento concluſum, vniuerſa in pulicum vtilitatem extructa. Nos, diſputabant, tum ad procreationem, tum ad victum vtimur multis animantibus, & ſcilicet homine ipſo: idq; non rarò, ſed continenter fit, ac proinde non fortuitò, ſed ad conſilium Naturæ. Natura igitur animantes illas, atque inprimis hominem nobis pepetit. At homo, cæteræq; animantes ex reliqua omni rerum vniuerſitate decerpunt emolumentum. Reliqua igitur vniuerſitas edita eſt eorum vſui; atque adeò vſui noſtro, quorum gratia illi ſunt geniti.

At Querengus: Pulex iſte profectò acriùs me remordet, cogitq; confirmare ſententiam hanc validiore munimento, quàm vt pulicum aggreſſiones pertimeſcat.

CAPVT XX.

Experimẽtis confirmatur maxima hominis excellẽtia ſupra oẽs belluas.

1. PRimum pono, cunctis animantibus hominem excellere ac præualere. Querengum vltrà contendentẽ ſic fermè Saracenus inhibuit. Poſitio iſthæc tua non indubia videtur fuiſſe maiori Plinio *a* in ancipiti, ſcilicet vtrum Natura fuerit in hominem amantior parens, eum cæteris imperaturum gignens, an triſtior nouerca, ita eum gignens, vt vnus omnium aliena ex ope emendicaret quidquid ipſa vltrò reliquis elargitur, victum, veſtem, domicilium; vno verbo, in ſingula temporis puncta vitæ conſeruationem.

2. Tum Querengus, vbi poſitionis meæ rationem exaudiueris, patebit, opinor, tibi, quod Plinio ſubobſcurum fuit. Quin Ariſtoteles longè Plinio melior in arcanis Naturæ perueſtigandis, planum facit nobis, non alibi Naturam in nos parentem humaniorem, quàm vbi aſperior nouerca Plinio viſa eſt; idemq; fuiſſe hominem condi animalium Principem, atque animalium egentiſſimum. Quidnam eſt cauſæ, quod homo proſternere valeat animantes innumeris partibus proceriores? quid eſt quod ab illo eiuſmodi machinamenta conficiuntur, quæ nullis leonum aut elephantum viribus confici poſſint? Vtique ſocietas. Perge; quid eſt, cur homo ſit animalium ſocialiſſimus. Mens quidem & ratio in cauſa eſt vt homo ſocietatem inire poſſit eximiam. At verò

3. quod hoc ipſum velit, in cauſa eſt indigentia. Ariſtoteles id obſeruat; atque inde colligit, repugnare duo hæc inter ſe: quod aliquid ſibi ſufficiat, & quod hoc idem ſit membrum ciuilis communitatis: adeoq; ait, illud prius non in alios conuenire poſſe, quam vel in belluam, vel in Deum. Ideo ergo Natura homines mutuæ opis indigentes procreauit, vt eiuſmodi neceſſitate ad mutuum fœdus adacti quiſque f‑uerent animo ſenſa illa ſaluberrima cùm Chremetis optimi ſenis, qui humani à ſe nihil alienum putabat, tum Catonis ſapien-

a Lib. 7. hiſt. c. 1.

1. Poli. c. 2

Terent. Heaut. in princ.

Luc.li.2 pientia perinde ac fortitudine præſtantiſſimi, ſe non ſibi, ſed toti Mundo genitum exiſtimantis: ne multis ideo ſic homines procreauit, vt cunctæ humani generis vires in vnum coaleſcerent, adeoq; in rerũ vniuerſitate dominarentur. Præualet ſanè, vt prædixi, belluis omnibus: quando omnes ſeruitio coërcet: 4.
excellit verò pariter omnibus, tum quia hoc ipſum præualere plurima excellentiæ pars eſt; tum quia tam multa gerit ac machinatur valde mirabiliora, grandiora, firmiora quocunque belluarum machinamento. Accedit, quod eas ingenij acumine longè præuertit. Id verò quanquam nullius probationis indigum videatur, quippe communi hominum conſenſione probatiſſimum; tamen quia hoc ipſum quibuſdam anceps viſum eſt, quaſi hanc hominum conſenſionem humana ipſa non tam ratio, quàm arrogantia conciliauerit; en quomodo id cogam. Concedit vtique homo quibuſdam belluis mem- 5.
brorum robore, concedit ſenſuum aliquorum perſpicacitate. Qui ergo illas & bello ſternat, & artificio ſupergrediatur, ni acriori longè cognoſcendi facultate vigeret, quæ facultas hominem faceret pro adamantinis armis tutiſſimum, pro fulmineis telis pugnaciſſimum, pro magicis inſtrumentis mirificiſſimum inter cæteras animantes? Miramur ſanè quarundam belluarum ſagacitatem, veluti apum fauos, formicarum horrea, equorum ſaltationem ad citharæ modos exactam, columbas tabelligeras, canes, elephan-
Plin.li.8. c.3 4.5. Lipſ.cēt.1 Ep 50. & cēt. ſingulari ad Italos & Hiſp epiſt.59. Scalig. exercit.224 teſque; quorum ſolertia eruditè commemoratur à Plinio inter veteres, à Scaligero, à Lipſio inter recentiores. Atqui hac in re perinde accidit, vt in catis quibuſdam puerulis, quorum prudentiam præ ſenili maturitate celebramus, non quia ſimpliciter multam, ſed quia vtcunque exiguam, pro illa ætatula ſingularem, adeoque ſuſpiciendam magis, quàm Neſtoream Neſtoreis annis quæſitam. Tenet communiter brutas animas caligo tam 6.
cæca, vt in obſcuritate illa tanquam cimmeria qualeſcunque cognitionis ſcintillulæ inſtar meridiani fulgoris emicare videantur. Contemplemur ex vna parte Patagonum aut Iſlandorum hebetiſſimos; tum alia ex parte ſimiarum vaferrimas, elephantorum peringenioſos. Committamus dein vtroſque inter ſe. Mirum quanto interuallo eorum ingenia diſtare animaduertemus. Ecquæ vnquam belluarum nouit varia & perleui oris agitatione bellè ad vnum exprimere, quæcunque fas eſt aut præpotenti Deo moliri, aut noſtris animis comminiſci? tum verò hac colloquendi arte fœdus inire cum alijs eiuſdem generis animantibus tam validum, tam inuictum, vt terrigenæ neſcio qui ſex non amplius palmis è ſolo extantes, per ædificiorum ſublimitatem penè in ſydera minitentur; vt ijdem conſepultos Naturæ theſauros in Mundi centro populari non pertimeſcant; vt cetos elephantoſque, animatas illas quaſi turres inſulaſque, aggrediantur confidentiſſimè, tantoſq; hoſtes, multis partium millibus proceriores ac robuſtiores ſe, in captiuitatem

Digitized by Google

tem compellant. Et tamen ea recenſeo, quæ vix vlla hominnm obtuſa bar-
7. baries ex vero iactare non poſſit. Ecquando belluarum vel ſolertiſſimæ didicerunt triſtem ſoli aritudinem ita grauidare, vt ex eo decerperent herbarum, florum, arborum, pomorumq; varietatem inenarrabilem, adeoq; terras per ſe inopes ac ſordidas transformarent ſimul in cibariorum penaria, ſimul in gazæ veſtiaria, ſimul in hortos deliciarum? Hæc verò tantopere ſupra belluarum conditionem poſita, agricolarum, hoc eſt, infimi ingenij hominum vulgaria ſunt opera. Quid de liberorum educatione, quid de familiarum regimine, quid de legibus, quid de conuentionibus dicam? Et ſcilicet quid de tot artibus, hoc tantùm non admirandis, quod ex hominum ſolertia faciles iam ſint ac peruagatæ? Verùm finge te repente prognatum in hac terra non alijs affluente muneribus, quàm Naturæ, nihil etiam tum cum induſtria fœderatæ: finge rurſus in ea conditione cultellum tibi parandum eſſe ad quædam duriora, vt vitæ fert vſus, diſſecanda; Et verò ab ea meditatione intelliges, quanto ingenij ſumptu, quot artium,
8. quot opificum labore ſteterit homini vel inſtrumentum tam vulgare: ita vt meritò Virgilius, eo denegato primæ noſtri generis tanquam infantiæ, cecinerit:

Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum. 1. Georg.

& Mundanæ Geneſeôs Scriptor ſanctiſſimus in ea breuiuſcula narratione conſignandum exiſtimauerit immortali hominum memoriæ nomen Tubalcaimi, quòd peritus artifex fuerit, *in cuncta opera æris & ferri.* Prætereo artium ciuiliores, lectioreſque; quibus tamen omnes ferè gentes excultæ ſunt. Vt inter actuoſas Muſicen, Picturam, Sculpturam, Plumariam, Architecturam, Militarem; inter ſpectatiuas verò Aſtrologiam, Arithmeticen, Geometriam, Phyſicen. Quæ porrò artes tantum habent ſubtilitatis, tamque verſantur in ſublimi, vix vt humanus animus, dum in earum opificia ſedulò intuetur, illarum ſe repertorem poſſeſſoremq; audeat appellare vel credere.

Conferantur iam in ſagacitatis certamen, ſi vultis, formicarum horrea, equorum ſaltatiunculæ, vulpium technæ: tum verò haud tardum dictu exiſtimabimus, hoc vno titulo à nobis ea nonnunquam ſuſpecta, & præ humanis habita, quòd non hominum, ſed belluarum opera eſſent: perinde quaſi, quidquid è duobus raritate conſpectius, hoc idem foret exuperantia præſtabilius. Id verò ſi eſſet, quid ni Bononienſis lapidis iubar vt præ Sole demiramur, ita Sole ſplendidius arbitraremur?

Præſtat ergo ſummopere homo cæteris animantibus poteſtate, præſtat ſcientiâ, &, quod horum conſequens eſt, præſtat iucunditate. Nimirum præ-

Digitized by Google

ſtantia poteſtatis ac ſcientiæ, quemadmodum ſi abſit, bonorum omnium flagrantiſſimè quæritur, ita cùm adeſt, iucundiſſimè poſſidetur.

CAPVT XXI.

Homo inter oēs animantes plurimū delectationis vel è ſenſib. elicit. Et nō nulla ſuꝑ ſenſuum natura.

a Eth. li. 3 c. 10. Prob. ſect 28. c. pen.

IVuat adijcere vel ex ipſis ſenſibus redire homini iucunditatis opulentiam præ cæteris animantibus Et quidem de guſtu tactuq; probatio eſt in promptu: quando hi duo ſenſus homini quàm vlli belluarum argutiores obtigere, 1.
vt Philoſophi conſentiunt. Præterquam quod artium ope vnus viuentium homo tum callet, adeoq; aſſequitur cunctos planè voluptatis articulos, tum quidquid vel palato inguſtabile, vel tractatu aſperum, commodè arcet. In alijs verò tribus ſenſibus, quorum acumen aliquæ belluarum ſupra homines gerunt, adeo minuſculâ illæ quidem oblectatione continguntur, vt eam in nullo numero Ariſtoteles *a* habuerit, quippe non ſemel docens ex auditu, odoratu ac viſu nihil per ſe belluas exhilarari, niſi quantum per eos identidem norunt propinquitatem cuiuſpiam ſenſilis tactioni vel palato blandituri; nimirum eo pacto, quo nidor famelicos recreat, cum tamen hic idem malaciſſantes perturbet. Sic fermè Ariſtoteles cenſuit. Quamuis verò plura mihi experimenta ſuadeant, etiam ex illis tribus ſenſibus belluas detracto quocunque reſpectu ad guſtationes tactionesq; aliquid ſolatij decerpere; tamen & hæc ipſa 2.
experimenta, &ſcilicet efficax ratio id ipſum ſolatij in ſumma quadā exiguitate concludunt. An videmus canes, ſimias, vrſos, aliasq; id genus belluas Principum familiaritate vulgò dignatas, perinde geſtire ſimphonijs modulatiſſimis regalia tecta circumſonantibus, ſicuti adſtantes homines geſtiunt? Cernimus-ne frequenter belluas eiuſmodi ſedulò intentas, hilares, plaudentes auidè, appropinquantes? adeo hæc non cernimus, vix vt aliquo veriſimilitudinis gradu præcellat fabuloſum Orphei aut Arionis canentis imperium in feras aut piſces, quàm Amphionis in ſaxa. Haud, opinor, cuipiam noſtrûm belluas meditanti tale aliquod ſpectaculum obtigit, quale de Ammonij aſello Damaſcius memorat, illum ſcilicet, contrà ac eſt in prouerbio, *Aſinus ad lyram*, adeo ad carmina ſolitum geſtire, vt vel maximè famelicus ad eorum modulationes cibum aſpernaretur. Ecquis vnquam obſeruauit ab ipſis belluis tabulas, ſigna, aulæa, ædes ipſas mira arte compoſitas, floralia, fontes, pulcherrima denique viſus blandimenta curioſè circumſpici? Nihil tale: imò verò belluæ haudquidquam libentiùs incolunt Principum conclauia, quàm ſtabula. Odoribus itidem vix 3.
aut ne vix quidem tenentur. Quid plura? nos quoque ſi memoriâ repetamus infantiam noſtram, hoc eſt, ætatem præ intelligentiæ tenebris à belluarum conditione modicè diſparem; recordabimur enimuero, tum nos vnis ferè tactionibus & guſtationibus iucunditatem omnem ponderaſſe.

apud Photium 242 in vita Iſidori.

Talia vtique hac de re ſeſe offerunt experimenta, quibus adhuc ratio ipſa egregiè conſentit. Nihil attinet de olfactu diſputare; eius nempe delectamentum incurioſè quæritur etiam ab homine: ideo fortaſſe, quia nec vitæ conſer- 4.

uatio

natio indiget eiuſmodi ſenſu, quemadmodum guſtu tactuque; nec ſcientia beneficio illius promouetur, ſicut oculorum aut aurium: itaque adnotare licet infinitè frequentiorem artium atque artificum turbam cuilibet ex alijs quatuor ſenſibus, quàm olfactui dicatam. Iam, quod ad viſum atque auditum pertinet, animaduertendum eſt, præcipuam, quam hi ſenſus tribuunt, volu-
5. ptatem, non in aſpectu ipſo aut auditione contineri, ſed in obſeruatione animi, quæ inde oritur. Vbinam reſidet Muſicæ delectatio? ſcilicet in proportione vocum quà inter ſe, quà comparatè ad pauſas vocibus intermixtas. Non igitur delectatio iſthæc ſita eſt vnquam in ſenſili vſquequaque præſenti, quo ſenſili finitur exterior ſenſus; ſed partim quoque in ſonitu ſilentioq; præterito, quibuſcum in memoria ſeruatis præſens ipſum ſenſile ab animo componitur. At belluarum interior ſenſus rudior eſt, quàm vt probè adnotet ac dimetiatur ſubtiliſſimos hoſce leporis apices, per quos Laureti Gregorijque nunc voces, quocunque volunt, Romanorum animos agunt, pleniq; ſemper theatri fræna ſuaui quadam tyrannide moderantur. Item quidnam eſt, quod ſpectabilium rerum pulchritudinem efficit? Credo apta ratio partium angulorum colorumq; inter ſe, adiecto interdum viuido rerum expreſſarum imitamento. At hæc omnia belluarum ſenſui vel cæca vel perobſcura. Vix ergo belluæ voluptatem aliquam ab oculis libant.

CAPVT XXII.

Cõficitur hominem vera ductũ ratione. nõ aũt fallaci ſui ipſi⁹ amore deceptũ putare ſe animãtiũ fœliciſſimũ. Immodicus amor ſui minuit non auget ꝑſuaſionẽ ꝓpria fœlicitatis.

AVdis non proferri à me deliramenta animorum impotenti ſuimet generis amore deſipientium veriùs, quàm philoſophantium; ſed conſe-
1. ctarias rationes ac manifeſtas, quæ homini principatum nobilitatis ac fœlicitatis vincunt inter mortales. Imò verò ſi rem attentè putaueris, intelliges, reor, quòd ſe homines impensè ament, non ideo beatiores, quàm verè ſint, ſed miſeriores ſibi videri. Idcirco enim nemo ſua ſorte contentus, & alienæ quaſi lautiori perpetuò inuidus. Ita ſanè haud cuipiam hominum ſui beneuolentia in animum induxit, humanam conditionem angelica potiorem: at belluina deteriorem, vtique induxit; tum verò, qui nulli extiterunt, eos omnium eſſe fortunatiſſimos perſuaſit; Nec obſcurum dictu eſt, cur noſtrimet impotens amor noſtræ nobis opinionem fœlicitatis extenuet. Fœlix ille demum habetur, qui bonis affluit, ad merita & vota. Quot gradibus abeſt ab eiuſmo-
2. di affluentia, totidem gradibus ad infœlicitatem deprimitur. Atqui vehementior beneuolentia erga nos ipſos, & meritorum æſtimationem, & votorum confidentiam enormiter auget: itaque efficit, vt poſſeſſum bonum infra vota ſit, infra merita videatur: ac proinde tanta ſtatum illum infœlicitate contaminat, quantum diſtat id boni ab eo bonitatis culmine, ad quod votis anhelamus, & quod meritis nos attigiſſe iam credimus.

Ob-

Digitized by Google

CAPVT XXIII.

Concluditur Mundũ hominis gratia fabricatũ à Natura; idemq; cõprobatur ex peculiari facultate naturaliter homini tributa res mouendi & collocãdi, qua facultate dominiũ cõtinetur a 1.p.q.110 art.2.& 3

OBtinuiſſe me arbitror, homini quàm cæteris mortalibus longè amplius emolumentum ex hac vniuerſitate creari. Quod ſi ita eſt, homini inprimis hæc vniuerſitas naturaliter conſtructa. Quantum enim, aut imprudentiæ, aut certè imbecillitatis foret, Mundum ita fabricatum eſſe, vt eos magis iuuaret, quibus fabricator ipſe minus ſtuduiſſet? iuxtà ac ſi Architectus quiſpiam Ædes extrueret commodiores vtique famulorum gregi ſibi neglecto, quàm Domino, cui vnicè laborauerat. 1.

Hic Andreas: Si das veniam; iſthuc idem paucis confirmare aueo. Rei 2. cuiuſpiam dominatus vniuerſus ferè verſatur in facultate rem illam dimouendi, collocandi, eandemq; his denique modis corrumpendi. Corpora enim incorporalibus mentibus hoc, non amplius, parent, quòd ab his pro arbitratu cientur, ſicuti docet S. Thomas *a*. Ideo tum Angeli, tum hominum animæ (quin & belluarum, vtpote quæ non nihil ſupra corporatæ materiæ humilitatem efferuntur) vnam tantummodo collocationem arbitratu ſuo proximè in corporibus efficiunt. Ipſa tamen collocatione ſequeſtra quidquid aliud effectorum in illis perficiunt. Propinquitas enim (quæ vtique collocatione continetur) inter efficientem cauſam ac rem ſubiectam ſupremus cumulus attributorum, ſeu, vt aiunt, vltima circumſtantia eſt, qua poſita illico alterius qualitates in alteram inducuntur. Cuinam igitur inter animantes dominium corporatæ vniuerſitatis obueniſſe dicendum eſt? Scilicet cui Natura arbitrarium fecit, corpora hæc ciere ac locare; ſed hoc præ cæteris arbitrarium eſt homini. Hic vtique montes complanat, fluuios inhibet, ſiccat freta; hic merces, patrio ereptas Orbi, famulaturas pertrahit alieno; hic feras omnes; quo loci libuerit detinere valet, motionesq; illarum pro lubentia moderari? itaque illas imperio ſubiectas habet.

Homo igitur à Natura dominium Vniuerſitatis accepit.

CAPVT XXIV.

Ex poſtrema ratione colligitur hominẽ non perinde Cœli ac terræ dominũ eſſe, & diiudicatur controuerſia in quodã apologo à Demoſthene propoſita.

COnfirmationem affers non minoris doctrinæ, quàm elegantiæ plenam, Querengus inquit. Caue tamen, ne per iſthęc fortè liceat exagitare rationem eximij cuiuſdam Theologi *a* ex tuis. Docuit is verum ac proprium ſtellarum Solisque dominatum ineſſe homini: quippe cui iure licet inde lumen, inde vitales halitus carpere: Id verò dominationis haudquaquam repudiatum intelligi quocunque ne ampliſſimo quidem eodemque arctiſſimo religioſæ paupertatis ſacramento. Hoc autem poſtremum eo probat, quia ſacramentum eiuſmodi earum rerum dominia tantùm ſubducit, quarum rerum ditione diuites à pauperibus inter mortales ſegregantur; at non earum, quas Natura peræquè tradidit vniuerſis. In hunc ille modum philoſophatur. At enim, ſi, vt mones, dominij vis ac ratio poſita eſt in facultate ciendi, tangendi, collocandi & corrumpendi, quando nihil horum homini licet in cœleſtia, haud 1.
2.

ſanè

a *Card. de Lugo de Iuſtit. & Iur. diſp. 6. ſect. 1. & alij apud ipſum.*

ſanè in cœleſtibus homo naturaliter dominatur. Nec verò facultas in Cœlum intuendi propitiosq; illinc afflatus delibandi argumentum ſuppeditat verioris dominij, quàm poteſtas; aut contemplandi elegantem alienæ domus faciem, aut de via ex alieno igne calorem excipiendi. Quò fit, vt Cœlum hominis bono conditum dici poſſit, hominis ditioni traditum dici non poſſit. Nec inter diuina eloquia tantundem iuris inueniemus ad vindicandam nobis Cęli quantum terræ dominationem. Quin potiùs *Cœlum Cœli Domino, terram autem datam filijs hominum*, diſertè monemur.

3. Hic Saracenus: An poſſimus ex hac tua ratione litem illam commentitiam profligare, quam Demoſthenes Athenienſibus propoſuit, dum damnati Ariſtidis defenſioni aures pernegabant: donec Demoſthenes, exprobrans auditoribus attentione ac voluptate ſuſpenſis, quòd aures nugis darent, cauſæ, in qua ciuis ſalus agebatur, occluderent, dicendi veniam hac arte, amici ſalutem eloquentiâ tandem expugnauit.

4. Tum Querengus: Indicas, reor, cùm Demoſthenes, vt faſtidioſas & præiudicio concluſas populi aures reſeraret, audiendum hoc thema commentus eſt. Megarenſis neſcio quis, qui ſtudij cauſa Athenis degebat, præferuido æſtatis tempore reuocatur in patriam. Is verò, cùm aſellum conduxiſſet, & vnà cum pedite locatore viam teneret loco ſummè aprico, & canicularibus radijs inclementiùs euerberato, quieſcere voluit aliquantulum, aſelli vmbrâ protectus. At locator obſtitit, cauſatus videlicet aſellum à ſe, non aſelli vmbram, elocatum, adeòq; vmbræ dominium ſibi remanſiſſe, ſibiq; proinde per illam æſtus intolerantiam qualecunque illud vmbræ ſolatium iure deberi. Hoc nimirum thema erat confictæ litis, quam callidus orator expoſuit. Et quidem, eiuſmodi litis dijudicationem è ſuperioribus poſitionibus noſtris pendere, ſcitè obſeruaſti. Conductori profectò ius aderat; vtpote cui conductio diurnum aſelli vſum vindicabat; ac proinde facultatem quoque eius mouendi collocandique pro arbitratu. Licebat ergo conductori aſellum alicubi ſiſtere, quantumuis locatore inuito. Porrò autem, cùm via eſſet publica, licebat ei pariter eò loci ſe conſtituere, ad quem locum aſelli vmbra pertingeret: nec verò inde poterat expelli à locatore. Siquidem è communi via nemini ius eſt exturbandi alium, niſi hic vel tranſitum viatoribus inhibeat, vel aliud quippiam commodi lege aut conſuetudine cunctis permiſſi.

Rudolph. Agric. li. 3 Dialect. c. 3.

CAPVT XXV.

An Mundus Angelorũ gratiâ ſit procreatus. Et rationes quæ dubium reddunt, num Angelus homine præſtantior ſit.

1. SEd vt ad inceptum redeam: Quando iam liquet hominum potiùs, quàm belluarum vtilitate Mundum extitiſſe; Proximum eſt indagare num fortè hic ipſe Mundus præ illis vtriſque in alias celſioris notæ Naturas primario reſpectu dirigatur.

Sumo vt compertum id, ſuper quo ambigere fides vetat, Cœleſtes orbes

 mente

2. de Cœlo t. 13. mente animoq; non eſſe imbutos, quales fortaſſe Ariſtoteli, certè Origeni viſi ſunt. Nempe Origenem ſexta Synodus inter generales hoc nomine damnauit. 2. cōt. gēt. c. 70. Quod ſi Aquinas hunc locum è dogmatis fidei eximit, eò id ſcribit quoniam Aquinatis æuo canon ille damnationis à reliquis laudatæ Synodi actis Li. 17 c. 27 abſceſſerat; quæ nunc acta penes Nicephorum nihil mutilata leguntur.

Ergo cunctis corporum generibus iam perluſtratis, inter res effectas Angeli, ſiue *Intelligentiæ*, quas vocant, ſoli iam reliqui ſunt ad quæſtionem. Hos quidem facilè hominibus nobilitate prætulerim, vtpote doloris mortiſq; minimè vectigales.

Hic verò interloquitur Saracenus. Ni Angeli potioribus titulis comprobarent nobilitatem ſuam humanâ celſiorem, næ ego haud facilè ipſis decederem. 2.

Quod enim ſuper dolore diſſeris, vel eum dolorem ais, qui ſolo in corpore tanquam in infima contignatione bacchatur, quiq; ſolus preſsè vocatur *dolor*; vel mœſtitiam peræquè intelligis, quæ ſupremam animi Regiam funeſtare non timet. Hæc ſanè poſterior qualis deſæuire poſſit in Angelos, nobiliſſimus Angelorum ſuo malo iamdiu experitur. Quod ſi Angeli ab illo priori dolore immunes viuunt, ſenſili pariter voluptate priuantur. Neque verò immunitatem illam hac priuatione libenter mihi pararem: quando abs te probatum eſt, animantium vitam plus recreari voluptate, quàm dolore ſollicitari. Quare vtroque ſubtracto, vtique iactura lucrum excedit.

Iam de morte; an ne aliud eſt homines mori, quàm corpus deponere, & 3.
ipſam Angelorum conditionem ſubire? Alterum ergo fateamur oportet, vel humanam conditionem Angelica fœliciorem, vel hominis mortem inter ſecunda, non inter aduerſa numerandam.

CAPVT XXVI. *Quanti habenda ſit cõmunis opinio.*

Exoſculor enimuero, Querengus ait, ingenium iſthuc à vulgari opinione nihil abreptum, nec reueritum dictata neſcio quæ non animis ingenita, ſed infixa. Quiſnam riſu temperet, dum optimi aliqui homines, qui philoſophiam, vt dicitur, pictam viderunt, vociferantur perſpectum eſſe ſponte ſua, nec indigum probationis, quidquid ipſi frequenter exaudiuere à Doctoribus perpaucis, à quibus inſtituti ſunt: interdum ne poteſtate quidem vocum, quas confidentiſſimè iactant, comprehenſa? Perinde quaſi idem philoſophi actoriſq; officium eſſet, quæcunque tradita fuerint, eadem fideliter & abſque hæſitantia pronunciare. Sed quam in te virtutem laudo, ea vtique procliuis eſt, vt in vitium excidat non minus philoſophiæ alendæ pernicioſum, quàm litterarijs colloquijs ingratum: Id vitij eſt, communia ſtomachari, & ſuperbo quodam teneri ſtudio non tantùm iudicandi, ſed ſcilicet damnandi publica litteratorum decreta. Par eſt in hac re Iuriſconſultos imitari. Hi nempe grauioribus in controuerſijs nec abſolutæ probationis auctoritatem deferunt, nec vehe- 1.

mentis

mentis coniecturæ momentum adimunt, communi mortalium famæ: Intelliges verò, ni fallor, paucis à me ſubiectis, quæ duo argumenta produxi, vt hominibus Angelos anteferrem, ea vtique rata eſſe.

CAPVT XXVII.

Senſus, adeoq; ſenſilis voluptatis doloriſq; vacuitas probat in Angelo fœlicitatē humanâ ſuperiorem.

1. REpetamus primum illorum. Bifariam diuidere licet ſenſuum voluptatem. Altera efflorct ab ea veritatis comprehenſione, quam ſenſuum viſa nobis important. Ideoq; Ariſtoteles cùm ſuos de Metaphyſica libros auſpicetur ab effato illo percelebri: *Omnis homo naturâ ſcire deſiderat*; id porrò confirmare inſtat per amorem illum natiuum, quo ſenſus noſtros amplexamur, & præcipuè oculum, qui plus rerum ac varietatum, quàm ſinguli cæterorum ſenſuum, dignoſcit. At de hac delectatione ſciendi iterum hodie nobis incidet
2. diſputatio. Altera voluptas, quam ſenſus illinunt, ſcatet ex coniunctione cum rebus vitæ noſtræ proficientibus, eamque voluptatem inprimis Tactus & Guſtatus impertiunt, tanquam gemini vitæ tutores à Natura deſignati. Quin ſi delectamenta illa extra gaudium addiſcendi, quæ non modò in olfactu, in auribus, in oculis, ſed in ipſo guſtatu naſci videntur, excutiamus, conſtabit ea denique in vnam Tactus vtilitatem collimare, qui tanquam baſis eſt ac fundamentum animalis vitæ, vt Ariſtoteles vidit; ita vt quæcunque tactum offendunt, hæc eadem vitæ vniuerſæ peſtem moliantur. Ergo cibus ille plerumque Guſtatum delectat, qui ſubinde ſtomacho ingeſtus, ac per venas diditus Tactum recreabit: concentus ille aures mulcet, flos ille ſuauiter olet, fulgor ille aſpectu blanditur, qui attemperata iaculabilis aëris inciſione, qui halitibus ad nares ac cerebrum fuſis, qui igniculis (*vitales ſpiritus appellant*) ad pupulam aduocatis, blandas tactiones in eiuſmodi membris efficiunt.

3. His expoſitis; Hæcne poſterior voluptas dolorem excedat in animantibus, incertum habeo. Talis enim voluptas tactui conſulens re ipſa medicamentum eſt doloris. Obſeruauit id Plato *a*, confirmauitq; Ariſtoteles *b*; qui præterea; ideo hæc, inquit, cæteris delectationibus acrior, quia medicamentorum eſt vt acria ſint: eoq; bili laborantes inhiant præ alijs in eius generis voluptatem, ſcilicet vt in medelam acrimoniæ perpetuò ſeſe mordentis. Quod ſi ita eſt, vt cuique beatiùs videretur nunquam ægrotare, quàm per medicamenta morbos alleuantia ſuauibus motiunculis titillari; non ſecus optabilior iudicari poſſet ſenſus indolentia, quàm ſimul dolor, ſimul doloris leuamentum voluptas.

a in Phileto. *b vide 7. Eth. præſertim c.14.*

4. Verùm, vtut res iſta ſe habeat, dolor eiuſmodi vtique humanam ſortem infra angelicam ſi non ponit, certè demonſtrat. Id ita conficio. Quonam ex vlcere quilibet dolor tandem erumpit? videlicet ex defectu neceſſarij cuiuſpiam boni. Idcirco ſi amor vehemens fuerit, vt rei amatæ poſſeſſionem amanti neceſſariam, ita eiuſmodi rei vacuitatem dolendam efficit. Neque aliam ob rem amicos *neceſſarios*, amicitiam *neceſſitudinem* appellari Gellio placet. *Li.13.c.3.* Ergo dolor ſenſilium rerum cauſâ hominem afficiens, indicat hominem ſen-

Digitized by Google

ſilibus indigere. Non ſic Angelus. Hic enim quamuis non exors dolendi vniuerſè ſit, vti lapis, nullo tamen dolore contrahitur, ex cuiuſpiam rei ſenſilis præſentia vel abſentia; Ergo neutrius indiget: adeoq; minore premitur indigentia, quàm homo; &, quod proximum eſt, maiore fœlicitate potitur. Vt enim fœlicitas affatim ſufficere ſibi debet, ita quantùm ponitur indigentiæ, tantundem adimitur fœlicitatis. Vides-ne, ſenſilem dolorem, quo Angelus vacat, homo afficitur, argumentum eſſe fœlicitatis Angelicæ, humanam exuperantis?

Altera porrò voluptas, quam ſenſus parit, dum ſcientiam parit, ea vtique 5.
voluptas non eſt, cui ſenſilis cruciatus opponitur. Et quidem longè vberiùs quàm in nobis redundat in Angelis; quorum ſcientia non minùs amplitudine, quàm perſpicuitate ſcientiam noſtram prætergreditur Sed plura de hoc in poſterioris argumenti examen protinus anneɛtendum.

CAPVT XXVIII. Quò mortalitas præbet homini Angelo fœlicitate cõcedere. Probaturq; humanos animos naturâ incũdiores fore nexos corpori, quã auulſos.

Exequor ergo argumentum alterum ex hominum interitu & Angelorum 1.
immortalitate deſumptum. Quando à Natura veluti pronuba, ſi fas eſt dicere, corpori anima locata eſt, diffiteri non poſſumus, animam tali connubio iuuari. Nullam enim conſociationem Natura molitur, niſi è re conſociatarum partium, aut certè illius, quæ nobilior, ipſiq; Naturæ carior; qualis haud dubiè anima eſt inter ea duo, ex quibus homo cumulatur. Quod ſi aliter philoſophemur, periculum eſt ne proruamus in errorem illum Platonicorum, qui etiam inter Chriſtianos fefellit Origenem, docentium animam in corpore tanquam in carcere concluſam.

Hoc igitur conſtituto, eiuſmodi emolumentum ex corpore in animam deueniens excogitari aliud nequit præter rerum ſimulacra in animam corporeis inſtrumentis inuecta. Mors igitur per ſe animo nociua eſt, quippe quæ illos veluti canales reſcindit, per quos noua rerum viſa continenter in animum immigrabant. Ita vt functæ animæ ijs modò imaginibus rerum ad omnem æternitatem inſtructæ ſint, quas imagines, dum vita permanſit, ſenſus detulere.
Hoc nobiles Peripatetici, hoc Theologi perinſignes de ſtatu illo ſentiunt, in 2.
quo ſuapte natura, & ſeparato quolibet gratuito Dei munere, ſolutus membris animus verſaretur: niſi quantum Deus, prout liberatum mentium quaſi ampliſſimæ Reipublicæ moderator ac Princeps, etiamſi nos gratuita adoptione ſuique perſpicuo non dignaretur aſpectu; tamen, ſicut animos improborum plecteret, ſic & probos remuneraretur. Nec alia vtique remuneratio congruentior cogitari poteſt, quàm vt augeret Deus tunc ſcientiæ cenſum, quem animus ex benè peracta vita retuliſſet. Veruntamen, hoc ſemoto fœlicitatis
additamento, quod non ad communem Naturæ dotem, ſed ad propriam 3.
quorundam virtutis mercedem pertineret, ea quę produxi, ſuadent, humanum animum per ſe minùs iucunditatis, quàm in hac vita, poſito corpore retenturum. Neque ad hanc perſuaſionem confirmandam de nihilo eſt horror ille

impotentiſſimus, quo naturâ mortem non modò vt malam, ſed vt ærumnarum deterrimam auerſamur; quo videlicet horrore incuſſo nullum validius telum leges inuenere ad ſceleroſorum nequitiam coërcendam. Hanc porrò lautiorem ſuperſtitum, quàm defunctorum partem feſtiuè Homerus tum indicauit, dum Circęis præſtigijs Vlyſſi repræſentantur Græcorum manes, & ſcilicet imperioſa Achillis vmbra. Quippe tum efferre Ithacus inſtitit magnæ illius animæ ſortem, quaſi tot defunctorum Principum in Elyſio Regnatricis. At enim (Achilles ore ſubtriſti) carior mihi foret bubulci conditio inter viuentes, quàm Regis inter Umbras. *Hom. Odyſſ.lias.*

4. Intelligis, falſum eſſe, quod ſumpſeras; mortem ſuapte natura homines tanquam in Angelos immutare. Angeli ſiquidem, vtpote mentes à corpore naturaliter alienæ, maiore compendio excipiunt rerum imagines, illasq; nitidiores ac ſpirantiores, quàm eas quæ ſenſu, lutulento veluti penicillo, noſtris in animis expinguntur. Haudquaquam Angelo, vt homini, breuis tantùm ætatula, ſed æternitas infinita nouas quotidie rerum identidem prodeuntium notitias, pulcherrimum quaſi vectigal, pendit: & ſcenæ tam decoræ, tam variæ ſiparium ad horam nobis reductum, Angelis ſpectatoribus nunquam obducitur.

CAPVT XXIX.

Mundus non Angelorũ, ſed hominũ gratia cõditus eſt.

1. ATqui vt Angeli nobis antecellant, non ideò corpoream hanc Vniuerſitatem ipſis addixerim.

Vt hoc obtineam, duo mihi ſunt euincenda. Alterum; haud Angelorum gratia homines procreatos: hoc enim ſi eſſet, quæcunque hominum commodo extructa ſunt, hæc ipſa Angelos porrò reſpicerent tanquam finem, adeoq; tanquam priores in opificis cura. Alterum, quod mihi probandum video, eſt, ne per ſe quidem, & proximè muta hæc corpora in Angelorum potiùs, quàm in hominum vſum confecta eſſe.

2. Prioris capitis demonſtrationem ſic inſtituo. Homo vtique Angelis procreatus altero ex his nominibus cenſeri poſſet, nimirum vel, vt ope, ac tanquam famulatu ſuo aliquam Angelorum indigentiam expleret, vel, vt iucundum ſui ſpectaculum Angelis contemplantibus exhiberet. Porrò illud primum haudquaquam ita ſe habet: quin veriùs Angeli, vt creditur, Cœlum voluentes hominibus opitulantur. Nec rurſus veri ſimilitudinem præfert hoc alterum. Etenim credibile eſt, rem quamlibet à Natura præcipuè referri in id boni, quod res illa præcipuè confert. Iam verò plus boni eſt ex nihilo emergere animum ſempiternæ fœlicitati natum, quàm exinde huiuſmet rei notitiam accreſcere Angelo iam aliunde ſat fœlicitatis poſſidenti. Illud ergo ſuperius, hoc eſt, conditi hominis bonum, potiùs quàm hoc inferius, ſcilicet Angeli contemplantis ſolatium, Natura quæſiuit in primis. Huius rei ſimilitudinem aliquam inſpiciamus in ijs rebus, quæ ſua ſponte, atque ipſo experimento

 nobis

nobis pateſcunt. Duo ſint aulici apud Principem, vt munere, ita & principali beneuolentia atque æſtimatione diſpares. Tum Rex minorem eiuſmodi aulicorum cooptet ad talem dignitatem, ad quam quicunque cooptantur, neſcio quid munuſculi perſoluere debent Magiſtratui per maiorem illum aulicum adminiſtrato. His ita poſitis; vtrius bonum Regi fuiſſe videatur antiquius in ea cooptatione? Credo equidem non aulici merito ac re præhabiti à Rege; ſed alterius, qui & ipſe aliquo in pretio eſt, & ex cooptatione illa ſummè præ altero iuuatur. Ita planè quamuis homo, & merito ſuo, & Naturæ caritate poſt Angelum ſit, tamen non vſque adeo aſpernabilis eſt, quin magno eum honore, magnoq; amore Natura dignetur. Quæcunque igitur Naturæ opera præter modum homini, quàm Angelo magis conduxerint, enimuero non tam in Angelos, quàm in homines ſpectare credenda ſunt nobis; quantum in rebus minimè perſpicuis aſſequi licet coniecturâ. 3.

Speciem refragaturi præ ſe ferebat, hîc Saracenus: cùm Querengus 4. ſentio, ait, in quo reſiſtas: videlicet obijcere meditaris: pariter procreationem belluarum, ac præſertim quarundam prope nobis inutilium multo plus ipſis, quàm homini quæſtuoſam; & nihilominus affirmatum à me nuper, belluarum artifici in eiuſmodi ſtructura non tam cordi fuiſſe illarum, quàm hominis bonum.

Tum Saracenus: Si ſcrupulum, quo ſollicitor, tam bellè depuleris, quàm acutè vidiſti, nihil ſupererit, in quo repugnem.

Haud inobſeruatum tibi, arbitror, Querengus perrexit, caput illud, cu- 5. ius operâ concluſi, homines Angelorum ergo non eſſe genitos, in hoc demum recidiſſe: *Quoties duo & merito quopiam honeſtantur, & in pretio ſunt, licet diſpari, penes aliquem tertium; toties dum is tertius aliquid agit ſummoperè vtilius minori, minoris vtique præcipuâ causâ id actum interpretari debemus.* At in eo exemplo, quod retorques, duo ex annumeratis attributis deſiderantur. Alterum, vt belluarum ortus plus maximoperè belluis ipſis, quàm homini proficiat. Id enim fortaſſe ita eſt pro ea temporis anguſtia, quam belluarum vita contingit. Sed cùm belluæ de vita quid minimum libent, humanus animus è contrario, quas ex belluarum vſu notitias haurit ſemel, eaſdem porrò æternùm deguſtet, humani huius delectamenti imperdita leuitas videtur belluini emolumenti fluxum illud pondus fermè coæquare.

Alterum attributum, quod hîc deſideratur, eſt; vt res illa, cui plus expedit 6. belluarum confectura, non planè aſpernabilis ſit, & nullius æris, vt aiunt. Natura vtique non nihil caritatis gerit etiam in belluas. Sed caritas illa per ſe, vt expoſui, tam frigidula eſt, tam eneruis, vt ex ſe ſola nihil beneficiorum procrearet. At initium illud infinitum, quod poſui, amorem aliquem petit feruidum, neruoſumque. Exemplis hoc illuſtrabo. Proponuntur Bacchanalibus 7. ferijs palmaria curſoria perquam ſumptuoſa, maiore vtique competitorum victo-

Digitized by Google

victorumque, quàm ſpectatorum profectu. Hos verò & illos diligit quadamtenus ludorum auctor, nimirum Princeps. Nemo tamen dubitabit, quin tales ludi ſpectatorum cauſa inprimis adornentur. In ſpectatoribus enim vniuerſus populus eſt, quem Princeps amantiſſimè in oculis habet, quando & ipſe Princeps in Populi bonum inſtitutus eſt, & ipſi populo principatum acceptum debet. At competitores, victoresve ſunt neſcio qui è plebecula perpauci; nec Principi nominatim cogniti. Quocirca incredibile eſt horum reſpectu ludos ab eo tam ſumptuosè parari.

8. Iam euincenda mihi ſupereſt poſitio altera ad concludendum neceſſaria; hoc eſt, corpora homine inferiora, non proximè tanquam in primarium finem à Natura dirigi in oblectationem Angelorum. Et verò vt id obtineam, nihil attinet indictas adhuc mihi rationes commentari. Quo argumento ſuperiorem poſitionem confeci, hoc ipſo in præſens vti licebit. Corporatus hic Mundus neceſſarius, non modò percommodus, homini eſt, ſummaque induſtriâ talis examuſſim fabrefactus viſitur, qualis ex vſu hominum deſiderabatur. Angeli verò etiam nullo edito Mundo viuere, atque adeo beatè viuere potuiſſent; neque hic definitè præ alio quopiam Mundo erat Angelis idoneus. Quis ergo diffiteatur Mundum hunc hominibus præcipuè iuuandis ædificatum? Neque verò illa roboris exuperantia, qua præ homine Angelus pollet, quaque ciere poteſt, tum hominem ipſum, tum corpora vniuerſa, euincit in Angelo dominatum aliquem ſupremum in corpora; vt cuipiam videri poſſet ad conſtitutas iam poſitiones. Quippe hominem vtique videmus liberè vtentem eiuſmodi vi, quam ille naturâ ſortitus eſt mouendi pro arbitratu & commodo quæcunque inferiora: Angeli contrà nihil exercent eiuſmodi vim ac robur, præterquam in quibuſdam motionibus ipſi homini proficientibus. Ergo credibiliter cenſebit, quicunque arbitrabitur, Naturæ conditorem ac principem Deum circumſcripſiſſe Angelis intra limites vtilitatis humanæ eiuſmodi virium vſum ac facultatem.

CAPVT XXX.

Iniuriũ eſt Deo, aſſerere creata omnia nihil eſſe niſi media in Deum tanq̃ in ſinẽ directa

1. IIs hucuſque nobis fuit non ſuper cuiuſpiam fundi, ſed ſuper Mundi vindicatione, aduerſus effectas eiuſdem Mundi partes, atque, vt ita dicam, priuatos ciues. Iam verò effector ipſe ac Princeps vniuerſorum in iudicium euocatur. Contra litigatorem tantum quis obtineat? Imò verò quis non obtineat, quando ipſemet ſua ſponte causâ cedit? Non nemo animum induxit, quidquid procreatum eſt, nihil efferri ſupra humilitatem medij in Deum tanquam in poſtremum finem bonorum intendentis. Etenim quæcunque poſtremum finem præeunt, ea vtique media ſunt: licet perinde omnino in illis contingat, ac nonnullis cum beneficiarijs Dynaſtis agitur, qui, vt à ſupremo Principe longiùs abſunt, ita ſui iuris, ac nemini addicti putantur. Non aliter quædam bona fines interdum vulgo appellantur, quia finis ille, in quem reuera diriguntur, nec propinquus eſt, nec vtique manifeſtus.

Digitized by Google

Veruntamen adeo Mundus hic non gerit conditionem medij in Deum tanquam in finem intenti, vt idipſum aſſerere diuinam abijciat Maieſtatem. Quid ni ita ſit? In hoc tandem ſita eſt ratio medij, vt finem efficiat. Tantundem proinde remotum eſt à diuina granditate, vt medij alicuius opportunitatem, atque vt cuiuſpiam cauſæ efficientiam excipiat Deus. 2.

Alij cautiùs, rem quamlibet procreatam medijs annumerant, non quidem Dei eſſentiam, ſed Dei gaudium conficientibus: Id ipſum tamen planiſſimè explodit ratio illa toties inter nos repetita: oportere vt gaudio cuicunq; bonum aliquod lętabile præeat; Quamobrem non antea gaudere Deus poteſt, quàm is bonum aliquod ſuum re ipſa poſitum cernat. Non ergo ad Dei gaudium permouendum ſatis valent media ipſa, vtpote quæ non tam bonitatem, quàm bonorum grauiditatem gerunt.

CAPVT XXXI.

Vt quæratur num ſoli Deo cõueniat vt ſit finis cui, Mundo aũt vniuerſo vt ſit finis q; examinatur, an exteriora poſſint eſſe in finibus bonorum, & nominatim alienus amor erga nos.

a 1 Eth. c 8

b Lib. 1. c. 45.

Dionyſ. Syracuſ.

Qvæ cùm ita ſint, id ſupereſt dubitationis, Num res effectæ vniuerſæ quando vti finem, *cuius gratiâ*, quem aiunt, Deum non quærunt; non in alium certè *finem cui*, quàm in Deum reuoluantur; eatenus generatæ, quo generatori ſunt bonæ. 1.

Et quidem res quælibet exterior ex veris bonis, veriſque perfectionibus vulgò expungitur. Quòd ſi bona tantùm illa intelligamus, quæ intimè fœlicitatem conflant, & ipſe conuenio, & verò Ariſtoteles *a* conuenit. At ſi notionem boni amplificemus ad quæcunque non falſus animus concupiſcit, ea vtique notio exteriùs quoque ſeſe expandit. Vtar porrò ad id confirmandum regulâ illâ, qua Saracenus *b* explorauit, num pulchritudo ſpectatori ſit in finibus bonorum, an in medijs. Id omnino (diſputabat ille) in finibus bonorum eſt, 2.
quo detracto, non acquieſceret animus, licet fructus omnes inde ſperatos aliunde caperet. Quippe tum conſtabit, rem illam non ab oſtentatis tantùm emolumentis, ſed ſuomet nomine commendari.

Porrò duæ omnino ſunt res exteriores, in quibus hanc proprietatem inuenio, veri boni finiſq; indicem: amor atque honor. Nemo vnus eſt, qui amari non amet, quantumuis amore nihil frugifero. Quam deerrantes Epicuræi, cùm bonum amicitiæ vniuerſum intra mutuas amicorum vtilitates contraxere! Hæc ſi vnicuique proponatur conditio, vt eaſdem omnes ad vnam percipiat vtilitates, quibus amicitia opipara eſt, ſed intelligens nullius animum ingenuâ beneuolentiâ ſibi coniunctum, an non vt inſulſam illico earundem vtilitatum dulcedinem aſpernabitur, nec ſe fortunatorum in ordine cenſebit? Vulgatum eſt de Regnatore illo, qui demiratus memorabile amicorum par, mutuò ſeſe medullitus diligentium, & in hoc vno diſſidentium, quod vterque ſui capitis iacturâ redimere certaret alienum, optauit enimuero illorum conditionem pro ſua quantumuis regali, adeoq; cæteris bonis longè omnium refertiſſimâ. Nec tantùm placet in alijs amica & beneuola noſtri caritas, quæ 3.

noſtro-

noſtrorum bonorum ſtudioſa eſt, ſed vel amor ille, quo nos tanquam diligentis bonum diligimur. Mitto, quæ inter mortales exempla hoc demonſtrant vt cogitatu prona, ſic memoratu fœda: ſanctiora petamus è Cœlo. Ipſe Deus vel ſic ſe amantibus, & gratiam habet & refert. Quid multa? Durandus hunc ipſum Dei amorem amantium delectationi ſtudentem in abſolutæ caritatis loco habuit, quæ vel à ſacramento ſeiuncta Dei perduellem in filium reformat: quanquam hæc opinio in magna fautorum ſolitudine iacet: Et ſanè iſtiuſmodi amor adeo eſt imperfectus, vix vt amoris titulum promereatur. Nimirum acutè Martialis in Philomuſum. *in 4. diſt. 17. q. 2.*

Delectas, Philomuſe, non amaris. *Li. 3. ep 61 apud Rad.*

1. HOnor itidem proh quale Numen, quantaque ſuperſtitione mortalibus cultum! Et quidem ſuâ, non afferendorum bonorum gratiâ; quando eius Numinis ad aras bona omnia, & ſcilicet vitam ipſam alacriter immolamus. Honorem hoc loco non ſic anguſtè concludo, vt is à fama gloriaq; ſeparetur, ſed alienam interiorem qualemcunque noſtrę excellentiæ perſuaſionem ac reuerentiam intelligo. Hæc enim ſua vi ſatis ſuperq; mortales rapit. Porrò quem nudius tertius de gloria ſermonem habuimus, is præſtat ne de hac re amplius effari neceſſe habeam. Haud ergo de nihilo videatur illa Senecæ controuerſia: ſi fingamus ab Antonianis ſicarijs oblatam Tullio ſalutem per diuinæ Philippicæ deflagrationem obliuionemq; perpetuam: num eo euentu fuiſſet ſua ipſius, an pulcherrimi operis vita ſcriptori præhabenda. Neque verò idem Tullius leuiculum appellet Demoſthenem, qui recreabatur femellæ hydriam geſtantis voculâ ſociæ in aurem inſuſurrante: *Hic eſt ille Demoſthenes.* *CAPVT XXXII. Honor quoq; in finib bonorũ eſt.* *Li. 1. c. 23 24.* *Suaſoria penul. & vlt.* *5 Tuſcul.*

Et quidem haud ſapientiùs, quàm beneuolentiùs Natura alienæ in nos caritatis atque exiſtimationis nos cupidos genuit. Expediebat namque in pretio eſſe præ argento atque auro metalla huiuſmodi; (ſi fas eſt dicere) nec vi rapienda, nec imperio vectigalia. Beneficentia vtique ac virtus venæ illæ ſunt, ex quibus eiuſmodi metalla eliciuntur. Quocirca & amoris conciliandi cupido beneficijs homines mutuò deuincit, & honoris cura per ardua virtutis etiam inertes compellit.

1. NEque verò ab hoc natiuo amationis honoriſq; ſtudio Deus ipſe alienus: non ita ſanè vt bona hæc naturaliter depereat acriore illa deſideratione, quam memorauimus, quæ rem deſideratam deſiderantibus neceſſariam reddit, eâq; carentes excruciat. Nempe aliarum ab ſe rerum neceſſitatem nullam admittit Deus; vberrimam ſibi fœlicitatem, vel in cæterorum nihilo retenturus. Quæ igitur Deo inſita in ſui amorem atque honorem perſequendum inclinatio, ea vtique lenior eſt, quàm vt ipſum, vel ad hæc paranda compellat, vel non paratis contriſtet. Et verò commodum talis inclinatio pertinuit ad Deum. *CAPVT XXXIII. Cur Deũ delectet amor, quo diligitur, honos quo colitur.*

Digitized by Google

Sanè quidem Saracenus ait, quoniam amoto eiuſce inclinationis ictu nihil Deus extra ſe moliretur, quippe tunc nullâ ſui tactûs illecebrâ ad aliquid moliendum: qua ſine illecebra deſiderium concipere nemo poteſt, nec quidquam velle.

Haud profectò veram rei cauſam memoras, interceſſit Querengus. 2.
Namque ſupremus rerum Arbiter, ipſaque rerum omnium Natura Deus eſt. Quocirca naturales Dei affectiones haudquaquam ad vtilitatem cæterorum contigêre; quin ad ipſius Dei commodum & delectamentum affectiones aliarum rerum exiguntur.

Verior ergo cauſa, cur inclinatio illa Deum addecebat, ea eſt; quod aliàs nulla Deo, nec agendi poteſtas, nec volendi libertas: adeoque nec honeſtas, nec laudis meritum; quæ omnia probum libertatis vſum conſequuntur.

Deficeret quidem poteſtas, hoc ipſo quod libertas deficeret. Vna quippe atque adeo eadem diuinæ poteſtatis ac libertatis ſubiecta materies. Nec enim Deo poteſtas eſt creandi aliquid quod ab ipſo procreatore non liberè, ſed neceſſariò manet: aliàs nempe alterum à ſe Deum procrearet. Perge porrò amota eiuſmodi inclinatione amoris atque honoris à Deo, libertatem illico amoueri, ſic efficio. Libertas generatim omnis in ſola rerum bonarum notione dominatur: Deus autem, quippe rerum apex & culmen ab ea quam obtinet celſitate nimium ſe deijcere poſſet, ſi vel ſolo effectarum rerum bono moueri poſſet; illico enim eam ſibi detraheret excellentiam, vt ſupremus ſit omnium finis: quin finem ſupremum ſuum ſibi proponeret effectum illud, in cuius bonum vnicè conniteretur. En quomodo nulla Deo efficiendi poteſtas ac libertas nulla, ſi bonum Dei exterius nullum.

CAPVT XXXIV
An Deus potuerit creare res tantū ſenſu aut ratione carentes.

Tvm Cardinalis in Querengum intuens. Quæ hactenus diſſeruiſti, eò delabi videntur, vt negemus potuiſſe creari à Deo res tantùm ſenſu atque 1.
adeò ratione vacuas. Quibus enim nihil ſentire, his vtique conuenit, per ſe atque alijs infectis, nihil prodeſſe; non quidem ſibi prodeſſent, quandoquidem bono affici eorum non eſt vti decreuimus: nec item prodeſſent Deo; Nempe in eiuſmodi rebus nulla eſt Dei vel reuerentia vel caritas, quæ duo, per te, bonum Dei exterius finiunt. Tum animalia rationis expertia bono quidem ſuo fruuntur aliquo; at bonum Deo (ſiquidem ſola extiterint) afferunt nullum. Scilicet haud magis, quàm ſtirpes aut lapides Dei venerationem vel amorem norunt; quando nec Deum ipſum norunt. Quocirca, ſi, vt nuper diſputabas, quæ Deo nihil bona, ea vtique Deo inamabilia, ſicq; vnus Dei amor rerum effector; quid aliud ſequitur, niſi circa ea quæ ratione carent, cæteris infectis, Dei efficientiam verſari nequaquam poſſe?

Querengus contrà: Annuerem fortaſſe, ni audaciùs videretur immenſam Dei potentiam humana ratiocinatione breuiuſculo tanquam palmo, velle 2.

Digitized by Google

metiri. Hoc enim diſtant corporum magnitudo, atque aliæ rerum perfectiones: illa minorem, hæc maiorem ſeſe menſuram poſcunt. Id compertiſſimum: poſſe Deum efficere, quæcunque efficere poſſe expetendum eſt; nec aliqua diuinæ poteſtati negari, quòd huius vires, ſed quòd eorum bonitas deſideretur. Vno verbo, illa Deus non poteſt, quæ vt à Deo fieri poſſint, indigna ſunt. Vltra hos fines audere ingenijs nullum hac in re fidei lumen conſectantibus tantundem ſtultitiæ habetur mihi, quàm cimmerijs in tenebris curſu certare.

CAPVT XXXV.

Q̃uo non repugnẽt hæc duo: Vnũ Deũ eſſe finem extremũ vniuerſorũ: & ab eodẽ diligi res effectas amore beneuolentia, ac multa fieri earum gratiâ.

1. TElam ergo repetens, quam ordimur, nodum in præſentia offendo Andreæ vindici parem. Scilicet ex vna parte nefas eſt inficiari, quæ Deus extra ſe agit, non ſua vnius, ſed & rerum effectarum cauſa a[illegible]re: alioqui nulla Deo in nos amicitia & beneuolentia, contrà quàm diuina eloquia teſtificantur: cuius præterea conſequens eſſet; nullam pariter Deo collatorum beneficiorum gratiam à nobis deberi; nec enim aliquis iure ab altero gratiam repoſcat, propter ea, quæ molitus eſt vt ſibi, non vt alteri gratificaretur.

2. Contrà verò, ſi aliquo pacto rerum effectarum bonum per ſe ac ſua ſponte allicit Deum; quo hic iure ſupremi finis decus ac titulum ſibi vni reſeruat? qui ſanè titulus conſenſione ſapientum æquè tanquam proprius addicitur diuinæ bonitati, ac ſupremi principij titulus diuinæ poteſtati? Quæ cùm Querengus dixiſſet, in Andream coniecit oculos, ceu quid referret expectans.

3. Tum ille: Quas propoſuiſti ambages, iam pridem in ore ſunt litteratorum, vt noſti, quippe non minùs cogitatu pronæ, quàm explicatu operoſæ. Dicam quid probabilius rear inter multa, quæ diutina commentatio mihi identidem obiecit.

Scis vtique volentem facultatem cumprimum alicuius finis deſiderio capta eſt, confeſtim altero è duobus mediorum generibus finem illum aucupari: hæc ſunt, vel quæ ipſa exteriùs, vel quæ interiùs agit. Et porrò dilectum finem per exteriores actiones quæri, vt frequentiſſimum eſt, ita in rem præſentem explicandum nihil confert. Alterum rarius, at nobis accommodatius, videlicet; ipſam volentem facultatem ſuiſmet appetitionibus, tanquam retibus, finem capere, quem venatur. Protritum huius rei exemplum adhibeo. Transfixus decidit in prelio miles iamiam expiraturus animam flagitijs maculoſam, & tartaro debitam. Inceſſit hunc actutum cupido, vt ſe ante obitum cum Deo pacificet, adeoq; immortali ſupplicio ſubducat. Quò facere id poſſit, id vnum videt, vt *contritione*, quam vocant, Deum placet, noxas expurget. Hoc igitur medium eligit, adhibet, voti compos excedit. Tunc quidem huius medij ſelectio appellatur in Gymnaſijs *voluntas imperans:* at verò ipſa contritio, *voluntas imperata*. Porrò ſæpe accidit, vti nominatim in caſu deſcripto, vni cuidam

4. fini amicè beneuoleq; dilecto ſtudere voluntatem imperantem, alij rurſus fini voluntatem imperatam. Ita enim cura illa æternæ ſalutis eâ gratiâ contritio-

Digitized by Google

nem deligens atque imperans, affectio eiuſmodi eſt, quæ adamat ceu *finem cui* hominem ipſum talia ſibi curantem. At contritio, quam cura eadem animo imperat tanquam vnicè opportunam ad culpas expiandas, deteſtetur eas oportet ſolâ Dei eaſdem auerſantis caritate; itaque finis ille, cui contritio ſeruit, eſt ipſe Deus, in quem ipſa peramanter effunditur.

Ex hiſce initijs confido, exprimere poſſe me ſat lucis ad locum, in quo hæremus, illuſtrandum. Sanè ad illam voluntatem pertinere videtur, vt ſupremi finis dignitatem conferat, quæ voluntas primo effectori, hoc eſt, Deo, exoritur prima. Age ſanè; Deus per omnium antiquiſſimam arbitrij ſui voluntatem vnicè amans quod ſummè amabile, nimirum ſeipſum, concupiuit ſibi venerationem atque amorem effectarum rerum; quibus duobus continetur quantum exteriora ad eius bonum afferre poſſunt. Vidit porrò hæc duo parabilia eſſe per beneficia ab ſe conferenda benefico vtique animo, & non proprij tantùm compendij ſtudioſo; Ita enim intellexit oblatum iri procreatis animis plurimum cauſæ ſimul ad deamandum infinitum illud bonum ſuo illos amore prouocans in amicitiam, ſimul ad perſanctè colendam hanc ipſam auguſtiſſimi Numinis caritatem in nos, tanquam in vmbratiles neſcio quas icunculas ex nihilo ab ſe conflatas. Vt autem hoc vidit, ita eiuſmodi caritatem in res effectas delegit tanquam vnicè idoneam ad eum gloriæ ſuæ cumulum obtinendum (gloriam appello cum Scholis vniuerſum Dei exterius bonum) quem ſibi cumulum voluntate præſtituit. Cernis, quàm bellè ad hunc modum titulus extremi finis quadret in Deum, vtpote in ſcopum vltimum illius voluntatis, quæ prima extitit quaſi vena rerum effectarum. Item cernis, quanto iure idem Deus beneficijs ſibi nexos tenet creatos animos, quippe quibus per complures ab ea prima voluntate voluntates gratificari ex animo, atque amicè curauit. Haud tamen ideo negauerim quamlibet eiuſmodi voluntatem ſimul quoque Dei gloriam affectaſſe At nihil obſcuratur amicitiæ candor, quòd vnâ & eâdem operâ & proprium & amici commodum, vbi ſimul conſpirant, conſectemur.

Quàm benè, Querengus exclamat, te mihi adiutorem adoptaui; quando quæſtionum prærupta emollire ingenio ſic vales, vt iucundè, non tantùm facilè, decurrantur!

Sol interea medio iam dominabatur in Cœlo. Quoniam verò Cardinalis præceperat architriclino, vt horâ conſuetâ dapibus menſam inſtrueret, ſeq; aduocaret ad prandium; ex improuiſo architriclinus inter hæc omnino Querengi verba comparuit, mantile muneris inſigne de more præferens dexterâ. Tum Cardinalis vultu id ſibi ſubmoleſtum declarans: Pomeridiano tempore, ait, commodiùs te audiemus, Querenge. Nunc enim architriclinus monet, ſtomachi clepſydram exinanitam; adeoq; ceſſandum. Hæc effatus ſimul ille, ſimul hoſpites pranſuri commigrant in ædiculas graphicè inibi à Cardinali nuper extructas.

tructas. Et verò quando ruri degebant, ſuâ Cardinalis eo die Saracenum dignatus eſt menſâ, quæ vti ſplendida erat ac voluptuaria per ſe, ita neglecta atque inſulſa ad eorum labra, quibus nihil conditum præter litterarias diſputationes.

LIBRI TERTII
Pars Poſterior.

1. REmotâ menſâ breue ac dulce colloquium. Deinde in cubiculum quiſque ſibi attributum receſſere, vbi mixta neſcio quæ cum ſplendore ſimplicitas, ſimul loco, ſimul Domino congruens, voluptatem geminabat. Nec diu fuit, cùm Cardinalis per feſtiuam quandam comitatem ad ſingulorum cubicula ſuperuenit, ac ſecum eductis placuit ſedes collocari in porticu ſignis ac tabulis perornatâ, infinitamq; planiciem oculis ſubijciente. Quoniam verò congreſſus in plures horas parabatur, ſat citò Cardinalis iuſſit Saracenum pariter aſſidere; in ſella tamen demiſſiore, & brachiorum adminiculis vacante pro Magnatum ritu. Interim

CAPVT XXXVI Reſumitur diſputatio, & ponitur hoc effatū: hæc tria tantū numerari in bonis phyſicis rei inhærentib. videlicet eſſe, cognoſcere, oblectari & modus hoc demōſtrandi.

2. Querengum compellauit, vt ordiretur. Is verò: Equidem ſi iam conſentimus in ijs deſignandis rebus, quas Natura beneuolè diligit, & ideo appellantur *finis cui*: ſcrutabor deinceps bona illa, quæ rebus ad hunc modum dilectis deſiderantur merito ſuo, atque vt *finis cuius gratiâ*: eaq; interſtinguam ab ijs bonis, quibus amor omnis ex fructu; & quæ proinde *media* nominantur. Tuæ ſubinde inueſtigationi ſepono (Andream verò compellabat) quaſi auream diſputationis noſtræ coronidem, beatitatem hominis naturalem: centrum videlicet moralis philoſophiæ; quod centrum vbi te duce tenuerimus, nihil erit quò vltrà contendamus.

3. Age igitur exequor (ita enim heri præſtitutum eſt nobis) naturalia bona; vtpote quibus bonitas moralis vniuerſa, vt re, ita & notione poſterior eſt atque adnixa.

Tria numero bonorum genera finis appellatione donarem, quod aliàs præſignificaui: nimirum hæc ipſa: *Eſſe, cognitionem, voluptatem*: loquor hîc bona interiora & fœlicitatem componentia: exteriora enim bona omnia in hoc tandem par concluſimus; *honorem* atque *amorem*.

Quod pono, vt videtis, duobus capitibus continetur. Alterum caput exigit ex finibus bonorum, quidquid verſatur extra illa tria; alterum hæc ipſa tria in huius nominis poſſeſſionem immittit.

Prius caput aggredior: de quo vt pauca ſint ſatis, præſtant vtique tam mul-

Digitized by Google

Lib.1.c.11 12. & 13. multa, tam præclara, quæ tu, Cardinalis Illuſtriſſime, hac de re primo noſtræ diſceptationis die habuiſti.

In arctum ergo colligens ea fermè, quæ abs Te vberiùs tractata, curſim luſtrabo decem illas rerum cohortes (categoriæ vocantur) in quas cohortes Philoſophi vniuerſum rerum agmen distributè ſecernunt: non alium inter eas ordinem ſeruaturus, quàm qui commodior in præſens.

CAPVT XXXVII. *Prædicta poſitio cõfirmatur luſtratis decẽ illis cõmunib. rerũ categorijs quarũ 9. hoc in cap. examinãtur.*

PRimùm ſanè, *locus* ac *ſitus* vi ſua nihil expetuntur. Quis enim penſi habeat in Italia potiùs viuere, quàm in India, ſedere potiùs quàm ſtare, niſi aut propinquarum rerum, aut commoditatis gratiâ? Nec ſecùs accidit de *Quantitate*, quæ tertiam adiungit Categoriam. Quippe cùm eatenus placeat ſtaturam nanciſci proceriorem, breuiorem, habitiorem, graciliorem; quò aliqua earum plus, quàm alia confert, vel ad incolumitatem, vel ad dexteritatem, vel ad ſpeciem. 1.

De Temporis Categoria: Si committamus inter ſe duas ætates omnino pares, non aliâ gratiâ malim in altera illarum definitè viuere, niſi propter certa quædam commoda vel incommoda ad me obuentura, ex rebus coæqualibus vni potiùs, quàm alteri ætati. Quod ſi inter duas ætates diuturnitate impares optio cadat; porrò tunc non ſolùm *temporis* attributum, ſed ipſum *eſſe* agitur: itaque diuturnior ætas præoptanda, quia per hanc mihi meum *eſſe* pleniùs atque ampliùs poſſidebitur.

Tum verò de *Habitus* Categoria nihil attinet dubitare. Nempe *Habitus* exterius quoddam additamentum eſt, cui ſua tantùm effecta pretium vindicant: nimirum ſi vel honeſtamentum affert, ceu Senatori purpura, vel concinnitatem, ceu matronę ſtola, vel firmitatem, ceu militi arma, vel fomentum, ceu frigidiuſculo goſſipina. 2.

Neque idem operoſiùs oſtendam in *Actionis* & *Paſſionis*, vti vulgò dicitur, Categorijs. Nimirum pro effecti quà probitate, quà pernicie actionem noſtram amamus, vel aſpernamur; Eoq; in bonis Herculis non numeratur, natos trucidaſſe, quos furor pro monſtris amenti ſuppoſuerat. Item *Paſſio* triſtem aut ſecundam appellationem ſortitur ad naturam illius affectionis, qua patientem imbuit. Ita calefactionem in beneficij loco ab igne per hiemem accipimus & quæritamus; hanc ipſam æſtate ceu peſtem exoſi. 3.

Sequitur Categoria illa, quam *ad aliquid* Ariſtoteles, *Relationem*, barbarè quidem, ſed neruoſè Scholaſtici nominarunt: in qua eadem proprietas, quam in reliquis demonſtraui, nihil obſcurior apparet. Vel enim nexus iſti, quos *relationes* dictitant, non re, ſed cogitatione tantùm aliquid addunt alijs rerum Categorijs, vt nobiles Philoſophi rentur: & tunc quidẽ peculiari ſuper ijs nexibus quæſtioni ne locus quidem: vel quidquam addunt, quod alijs videtur: Et certè id addunt, quod per ſe illecebram habet nullam; ſed ita fermè placet,

vt

Digitized by Google

vt pulſus inturbatus lætabilis eſt, quippe non ſuâ gratiâ, ſed bonæ valetudinis,
4. quam conſequitur, atque adeo quam ſignificat. Sic omnino ſimilitudinis nexus cum Angelo bonum eſt hominis, non niſi quia tali nexu hi duo colligantur facultatis intelligentis communione, quæ facultas ingens eſt bonum. Cæterùm ſimilitudo vniuersè, ne illa quidem, quæ cum rebus optimis illico bona eſt, niſi ea ipſa ſimilitudo conſtituta ſit in proprietatibus optimis. Monet ſanè de hoc Ariſtoteles in Topicis, cónfirmareq; id non reſpuit exemplo tum aſini quadrupedum deſpicatiſſimi, eiuſdemq; ſimillimi equo quadrupedum nobiliſſimo, cuius origo digna veteribus viſa, quæ Numini tribueretur; Tum exemplo ſimiæ ſimillimæ inter belluas homini animantium Regi. Ex quo Ennianum illud apud Tullium. *Lib.8.c.2*

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis? *1 de Nat. Deor.*

5. Nexus pariter originis, ſeu conſanguinitatis nihil momenti ſuo nutu habet ad deſiderium, ſed quatenus nos aut nobilitate decorat, aut cognatorum amore atque hæreditatibus auget. Fac eiuſmodi bona remaneant; nihil vltra cordi erit nexum illum retinere. Vultis hac de re exemplum vnicè maximum? Negant ſatis communiter Theologi, nexum hunc phyſicum in Deipara erga Diuinum Filium, poſtquam is à nece ſurrexit (nec verò ſecus philoſophantur de cæteris matribus, poſtquam earum liberi in extremo Iudicio reuixerint.) Quippe, cùm talem nexum abruperit Chriſti mors, cumque idem Chriſtus poſtea non materna fœcunditate, ſed diuinitus in vitam ſit reuocatus, profectò nulla extitit cauſa, quæ nexum eundem ſemel diſciſſum reſarciret. Nil tamen (addunt) id fraudi eſt eximiæ Parenti; cui nempe reſeruatur integra, & apud præcelſam ſobolem beneuolentia, & apud res omnes effectas veneratio.

Non ergo ſua ſponte, ſed gratia effectorum ſibi adhærentium deſideratur nexus iſte, quem *relationem* appellant.

6. Duæ peragendæ nobis Categoriæ: *Subſtantia & qualitas*. De ſubſtantia profectò nihil opus eſt dicere. Siquidem *ſubſtantia* noſtra & *eſſe* noſtrum idem ſunt. Ipſe igitur, qui *eſſe* in bonis cenſeo, ſubſtantiam ex bonis inducere nec debeo, nec poſſum. Id tamen præterire non libet; ipſum *eſſe* noſtrum, ſi perquam preſsè loquamur ea vna vi contineri, quæ cognoſcit atque appetit, obuoluta hiſce artubus, cuius nomen eſt *Anima*. Hoc Ariſtoteles non ſemel docuit: idemque docuerat Plato 5. de Repub. ideo militibus interdicens cæſorum hoſtium cadauera diſpoliare, quod diceret, veros hoſtes ex illis iam corporibus auolaſſe. Sed hoc idem Natura ipſa diſertè docet. Mutatur perpetuò corpus animæ circumdatum, & in fruſtula dilabitur, ceu trita tunica, quam Natura continenter farcit ex depoſitis aliorum viuentium veſtibus: id enim denique ſunt alimenta, quibus reficimur. Nec tamen interea mori nobis videmur, nec in alios homines degeneraſſe, niſi per abuſionem illam, qua *6.Eth.c.2 10Eth.c.7 & alibi paſſim.*

Poë-

Digitized by Google

Poëtæ redeuntem Solem alium à pridiano appellant. Haud puto dolenter ferremus, ſi nos quotidie aliud atque aliud amiciret corpus conſimile prorſus heſterno, quod vſque abiret in nihilum. At non ita leuiter toleraremus hanc denunciationem: vertendam in nihilum hanc animam vice alterius animæ perſimilis in hæc membra noſtra ſuffectæ: eo enim euentu nihil magis nos ipſos extaturos, vitamque producturos arbitraremur, quàm ſi vnà cum anima corpus ipſum fieret nihil. Iam, hoc admiſſo diſcrimine, inter id quod nos propriè ſumus, & inter corpus quo tegimur; corpus vtique eò non ampliùs in bonorum numero habetur, quò nauum inſtrumentum eſt ad actiones nobis proficientes. Nemo enim cenſuerit in ærumnis virorum quorundam ſanctimoniâ illuſtrium, quod corde vacarint, hoc eſt, membrorum principe; dum interim diuina vis ceu cordis vicaria vitales functiones belliſſimè peragebat. 7.

CAPVT XXXVIII. *Idē oſtenditur in categoria Qualitatis: & cuiuſmodi bonum ſit Potentia.*

DEcurſis alijs, in vna Qualitatis Categoria tandem conſiſtimus; cui ad recentiorum conſuetudinem vel illas accenſeo, quas Ariſtoteli non *qualitates*, ſed *paſſiones* viſum eſt appellare *a*, vt pudorem, turbamentum, lætitiam, alioſq; ſubitarioſ affectus appetentis facultatis; nec non ſenſus mentiſq; viſiones ac perceptiones. Igitur aliquas qualitatum Ariſtoteles nominauit *potentias, habitus, affectiones*, ſiue, vt cum Scholaſticis loquar, *diſpoſitiones*, quæ vniuerſæ ad aliquid agendum inſtruunt: ceu deſcendendi potentia ſeu grauitas in lapide, quæ illum defert ad centrum; ceu habitus ſcientiæ in Philoſopho, quæ probam in eo ratiocinationem parit; ceu dexteritas in adoleſcente, quæ ſi arte vſuq; excolatur, concinnam ſaltationem ac palæſtram efficit. Has porrò qualitates non ſuo merito amari, ſed illorum operum, quorum illæ nobis initia ſunt, præclarè abs te, Cardinalis Illuſtriſſime, confirmatum eſt pridiano ſermone. Fingamus enim, vt aiebas, Achillem perpetuò compeditum, vel ſedi affixum, quomodo infœlix Theſeus: tunc quidem videbitur nobis Achilles ab natiua pedum velocitate longo vſu perfectâ nihil claudo fortunatior. 1.

a in Categoria de Quali.

Li.1.c.11.

Hoc loco Saracenus obſtitit in hunc modum. Si potentiam ſumis extrinſecùs impeditam; hæc ſanè potentia non erit niſi manca & inchoata. Nec enim ita loqui mos eſt, vt cuiuſpiam rei efficiendæ potentiam tribuamus alicui qui ab ea re quocunque tandem obſtaculo prohibetur, ceu impeditus à curſu. At ſi de potentia loqueris conſummata expeditaque, falſum puto quacunque illam amabilitate deſtitui, præterquam ſeruili & quæſtuoſa, adeoque, ſi re ipſa nihil efficiat, aſpernandâ. 2.

Complures vtique vel eam poteſtatem ſibi cupiunt, cuius effectum horrent. Sic enim

& qui nolunt occidere quenquam,
Poſſe volunt.

Iuuen. ſat.10.

An

An non præclarum in Deo eſt poteſtate continere Mundos alios, quanquam voluntate repudiatos?

3. Sic Saracenus. At incunctanter Querengus: Bifariam potentias diſtribuere licet. Aliæ quidem *neceſſariæ* nuncupantur ; quæ tantundem planè agunt, quantum valent. Veluti Sol aut glacies nihil vehementiùs illuminare, vel frigefacere poſſunt, quàm alterve illuminet, alterave frigefaciat. Neque verò in eiuſmodi neceſſarijs potentijs id vſuvenit, quod exponebas; hoc eſt, vt quod poſſe placet, agere non placeat : eiuſmodi enim *poſſe* ipſa eſt agendi neceſſitas. Cæterùm, haud reor, cuique noſtrûm penſi futuram concoquendi facultatem in ſtomacho, ſi certè prænoſcet, Angeli operâ cibos inibi ſemper opportunè conterentis ſupplendum ſtomachum ea facultate deſtitutum.

4. Aliæ ſunt potentiæ, quarum vſus arbitrarius eſt poſſeſſori, ceu poteſtas occidendi, de qua laudatus à te Poëta. Hæ porrò amantur alienâ gratiâ non ſua; ſcilicet ſi non gratiâ vſus, at certè iucunditatis. Etenim priuſquam deliberemus quid peroptandum inter plures cogitabiles euentus, iucundiſſimum eſt vniuerſos noſtra in manu poſitos circumſpicere extra diſcrimen illius triſtitiæ, quam inferunt vota poteſtatem prætergreſſa. Accedit ad hanc cauſam, conducere, vt quædam nominatim, alijs nocitura ſi fiant, poſſimus, vel cùm nolumus; tum ad reuerentiam quandiu nobis arbitraria cernuntur; tum ad grati animi vicem, vbi iam benignè abſtinuimus.

Denique honeſtas ac virtus extra liberam boni electionem non habentur: liberè autem eligere, eſt ita eligere, vt poteſtas adſit non eligendi. Ideo collaudat diuinus Eccleſiaſtes eum nominatim, *qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit.* At verò hoc itidem emolumentum, quod ex poteſtate redit, haud vnquam in ea finis bonitatem oſtendit, ſed medij honeſtorum operum conficientis. Quocirca flagitioſis hominibus expediret, honeſtè agendi facultate caruiſſe; ſimul enim & culpâ probroq; malè actorum carerent. *Cap. 31.*

5. Quod ſpectat ad Dei poteſtatem, de qua dicebas; vel eam conſideras, vt re idem omnino, ac eſt Diuina Natura, & hac ratione perinde amabile Deo eſt, vt poſſit, atque vt ſit Deus; Vel hæc duo cogitatione diſtinguens percunctaris à me, quî tandem norim Deo hanc poteſtatem ineſſe, quippe vel ſine illa idem perfectionis retenturo ; quando poteſtatem per ſe à rei perfectione penitus diuido: Et huic percunctationi ſatisfaciunt ea, quæ modò diſſerebam. Si enim poteſtas hæc Deo deficeret, deficeret pariter gaudium illud, quo perfunditur, dum hunc alioſque innumerabiles mundos contemplatus, intelligit ad quemcunque ex illis voluntatem adijciat, ſibi vires adeſſe, planè ſecurus tri-
6. ſtitiæ voti fruſtrationem comitantis. Quod ſi porrò inſtes: Quid attinuit ineſſe Deo poteſtatem deligendi alium ab hoc Mundo; ad ſummum, alia volendi, ac vult, quando per me poteſtas vi ſua nihil auget bonitatis? reſpondeo, id

Digitized by Google

ſummopere attinuiſſe, ſimul ad virtutem atque honeſtatem, quæ libertate continentur, vt prædixi; ſimul vt Deus id ipſum, quod gerit, gerere poſſit. Hoc poſtremum ita explano. *Effici poſſe*, ac *neceſſariò eſſe*, naturâ pugnant inter ſe. Ideoque æternus Dei Filius haudquaquam *effectus* dicitur, quinimo veriſſimè eſt Deus; quippe non Dei libertate, ſed neceſſitate progenitus. Non ergo poſſet Deus hanc vniuerſitatem efficere, ſi neceſſarium foret hanc vniuerſitatem exiſtere, ac proinde ſi Deo liberum non eſſet illam nec voluntate præſtituere, nec re procreare.

Accedit, quod antea prædictum eſt, fructum eſſe exteriorum operum ex Deo manantium honorationes atque amationes, quibus ipſe viciſſim colitur. Iam certum eſt, eò vehementiùs inuitamentum nobis exhiberi ad amandum honorandumq; effectorem noſtrum, quò ingentior eſt poſſibilium rerum caterua, ex qua nos nominatim delecti ſumus, qui in rerum vniuerſitate ac luce verſaremur. Igitur quod libera poteſtas Dei pertineat ad omnia poſſibilia (hoc eſt, ad ea omnia, quæ in ſua notione duo inuicem pugnantia non claudunt) perutile medium fuit, quò res effectæ ingens Deo vectigal amoris atque honorationis rependant.

Tenetis ergo, quemadmodum poteſtas omnis, quà poteſtatis rationem habet, mutuetur amabilitatem ſuam, vel ab effectis ex ſe prodeuntibus, vel ab alio fructu, quem confert; propriam verò, & à prouentu ſegregatam bonitatem non habeat.

Tranſeo ad alias qualitatum ſpecies, quarum aliquæ ab Ariſtotele dicuntur *paſſiua*, vel quia per eas commotus ſenſus aliquid patiatur, vt per calorem 7. Tactus, per dulcedinem Guſtus; vel quia ex aliqua perturbatione, quam animus patitur, oriantur, veluti pallor ex timore, rubor ex verecundia. Aliquas verò ad figuram ſpectare dixit, ceu rotunditatem, curuitatem, & ſimiles.

Ex his ergo vniuerſis nonnullæ vitam tuentur: eiuſmodi ſunt quatuor illæ *principes* nuncupatæ, & forſitan aliæ ex eodem genere minùs perſpicuæ: aliquæ recreant ſenſum, cui inſident, vt hæ ipſæ quatuor, quarum apta inhærens temperatio Tactui iucunda. Aliæ verò non tam membra, quibus adhærent, quàm alienum ſenſum, quo tenentur, oblectant: ceu figura, vel color. Plures denique ex his omnibus adiuuant ad rectè ac ſolerter agendum, quo titulo ad primum ex enumeratis qualitatum ordinibus redigi poſſunt: veluti figura humoris cryſtallini, quæ plurimi eſt ad viſionem. Sed modò ex vno, mo- 8. dò ex alio ex emolumentis à me indicatis, id conſtat prædictas qualitates ad vnam omnes non niſi mediorum amabilitate reſpergi. Etenim calor ille, qui perfectio leonis habetur, cuius vitam fouet; hic ipſe piſcium labes ac peſtis eſſet, quibus vitam adimeret: idem cordi bonus, quippe ad eius munia perutilis, idem cerebro malus, quippe huius officia perturbans. Nigritiem pariter, exemplum à te allatum vſurpo, Cardinalis Illuſtriſſime, Commorinenſibus experitam,

Digitized by Google

tam, vtpote qua præditi aſpicientibus perplacent, eandem noſtrates aſpernantur, vtpote per quam oculos offenderent incolarum. Similiter figura ſemicircularis (an veriùs hyperbolica?) in bonis oculi eſt, cui perſpicacitatem affert, atqui hęc eadem proh quàm peruerſa foret ac monſtroſa in pede, cuius ingreſſum impediret ac deturparet.

Nulla ergo qualitas præter cognoſcentis atque appetentis facultatis operationes, ſuo nomine adamatur.

CAPVT XXXIX

Idē cōcluditur de illis qualitatib. quæ ſimul ſūt opationes animæ; Itē oſtenditur, in quocunq; amore ac ſpe gaudium contineri.

1. IAm de appetitionibus paucula. Et quidem appetitus operatio nulla ſuauitatem ſapit, niſi tres huiuſmodi; amor, ſpes, gaudium. Atqui perinde hîc accidit, atque in recenſendis Cœli luminibus: præter Solem namque alij etiam Planetæ annumerantur; ſed reuera illorum iubar non aliud quàm Solis eſt iubar. Sic, reor, inter animi affectiones gaudium eſſe quaſi Solem illum, qui natiua luce & mentem exhilarat, & ad ſui deſiderationem incendit; has verò proprietates hactenus ad amorem ac ſpem quoque pertinere, quò hæc ambo nonnullis quaſi gaudij ſcintillulis irradiantur. Amor enim quicunque vel amicitia eſt, vel concupiſcentia. Et amicitiæ quidem affectus omnis gaudium continet, quod aliàs oſtendi *a*. Item concupiſcentia nulla excitatur, quin præeat meditatio rei animum allicientis, ac proin cogitatu iucundæ. Quò factum eſt, vt amorem filium Pulchritudinis canerent: cuius Pulchritudinis notio hæc ipſa eſt, vt placeat ſe contemplanti. Quocirca qualiſcunque poſſeſſio illa, ſeu boni, ſeu pulchri mauis dicere, quam poſſeſſionem cogitatio ipſa nobis tradit, aliquo nos gaudio contingit, vt aliàs cum Ariſtotele *b* obſeruatum eſt à nobis: ſed prout eiuſmodi poſſeſſio inchoata non plena eſt, ita gaudium largitur, non plenum, ſed inchoatum, cuius nomen eſt *amor*. Hic ſubinde cupiditatem irritat conſummatæ poſſeſſionis, conſummatum gaudium parituræ. Hæc de Amore.

a Li.1.c39 *b* 1.Rhet. c.11. 2Rhet.c.1

De Spe autem, an non & ipſa gaudio madet, quippe futuri ſucceſſus dulcedinem vel hauriens, vel ſi cautior fuerit libans? Quare gaudium ſpei admixtum (ſi placet ſimilitudinem Solis adhuc exequi) comparari poteſt cum crepuſculis Auroram præuertentibus, ac propinquam prænunciantibus.

CAPVT XL.

Poſtq̄ exacta ſunt è finib. bonorū omnia alia ab illis tribus; pbatur hanc appellationem pertinere ad illa tria.

1. PEr hæc pauca ijs adiecta, quæ Illuſtriſſimus Cardinalis habuit eodem ſuper argumento, videor mihi primam ſponſionis meæ partem impleuiſſe: cunctis videlicet ex boni tanquam Capitolio depulſis præter Triumviros à me renunciatos. Sequitur, vt hos ipſos Triumviros iure ac ritè renunciatos oſtendam. Et quidem haud quæ tria numeraui bona, ea peræquè ſingula bonitatis pretium nanciſcuntur. Quin hac in familia *bonorum*, natu primum infima ſortitum, tertiò (ſcilicet vltimò) genitum primas tenet. Quodnam bonum ex hiſce

tribus poſtremo naſcitur? Gaudium ſanè. At hoc ipſum lautiſſima portio amabilitatis contingit. Vnius gaudij eſt, vt fœlicitati ſufficiat: ſine illo bona omnia planè inſulſa, ceu exoticarum auium quæſitiſſimæ ſine ignis coctura. Si mortalibus proponeretur vtrum ex his mallent, vel ſcientiam refertiſſimam, ac cætera omnia præclara, nullo tamen gaudij lepore delibuta, vel immortale gau- 2.
dium nullâ dotatum ſcientiâ, nullâ excellentia; Ecquis non hoc poſterius, vt fecundiſſimum deligeret, prius illud tanquam inamabile repudiaret? Gaudium vtique ipſa bonorum poſſeſſio eſt; quid autem boni ſapiunt bona niſi poſſeſſa? Ideo nullum bonum ita deſiderabile, quin ad percipiendum gaudium referatur. Ac proinde tantundem ſonare cenſentur eiuſmodi voces: *rem illam cupio*, ac *re illa gauderem*. Atqui non id modò habet gaudium, vt boni poſſeſſio ſit: in ipſis quoque principibus bonis gaudium eſt, nouumq; gaudium ex ſe parit, quo nos gaudere gaudemus.

Proximum eſt, vt de ſcientia dicam, quæ per ſe ſola non ita expetitur, vt 3.
cuipiam conquirenda videretur etiam præciſa omni ſpe gaudendi: Alio tamen modo ea per ſe amari dicitur, ac proinde in finibus bonorum collocatur. Scientia nimirum illico gaudium tribuit, vel nullo emolumento poſſeſſoribus oſtentato.

Ipſum verò *Eſſe*, vt bonorum antiquitate primum eſt, ſic amabilitate mi- 4.
nimum, quod monebam; nec enim ſemper lætabile nobis videtur, quod aliqui ſimus. An Phalaridis tauro incluſi, an Tartaro diſcruciati, eſſe, quàm non eſſe mallent? Atqui ſcientia præ ignoratione cunctis placet; licet vel per ſenſus cruciamenta, vel per animi ægritudines in ærumnoſam vitam incidere poſſit, (quod expedire tuum erit, Andrea, vbi naturalis beatitudinis ingenium, atque elementa demonſtrabis.) At, denunciata iam grauiſſima infœlicitate quacunque, vnuſquiſque mallet eam ſubire quadamtenus erectus in ſcientiæ luce, quàm in ignorationis obſcuritate deiectus. Ea ſanè, quæ ſciuntur, cùm ſcienti noxia, interdum contriſtant; ſcientia ipſa ſemper amatur.

CAPVT XLI.

Quò in finib. bonorũ ſit quacũq; ſcientia etiam infortuniorum.

a Li. 1. c. 12

b in Enchirid. pſertim c. 8.

Memini equidem (tum Cardinalem reuerenter conſpectabat) quæ tu 1.
his aduerſa protuliſti *a*, confirmans tum auctoritate, tum exemplis, bonum ac beneficum dolum eſſe aliquando, non modò inſontem atque innoxium, amicos de ipſorum calamitatibus celare: quo efficiebas eiuſmodi ſcientiam tunc in bonis non recenſendam: quandoquidem bonum omne ſua vacuitate optabilius eſſe debet; neque adeo hæc vnquam beneficij materia eſt. Porrò celebris fuit Epicteti Stoici vox *b*: non rebus, ſed opinionibus rerum mortales perturbari; Quod vtique is non abſimili ratione comprobauit; nimirum ex luctu in hominum animos ingruente non tam ab infortunijs, quàm ab infortuniorum renunciatione. Sed hæc ratio ne decipiat, operoſè excutienda eſt. Id vt expediam, exemplum eſto. Renunciatur Catoni Cæſaris 2.
victoria.

victoria. Nuncius hic Catonis animum eo luctu percellit, vt vitam ſibi præcidat, patriæ libertati ſupereſſe dedignantem. Huius quidem luctus materies eſt Cæſariana victoria; at cauſa propiùs luctum efficiens eſt, non tam victoria ipſa, quàm victoriæ notitia Catonem ſubiens: antequam enim id Catoni reſcitum, vicerat vtique Cæſar, nec ideo lugebat Cato. Ea tamen ſuperueniens notitia non lugetur ipſa per ſe, quin amatur à Catone; quem iuuat, poſito ſemel infortunio, veram eius cognitionem obtinere. At verò quoniam, ſicut lætitia ſimul poſſeſſio boni eſt, ſimul bonum præcipuo nomine per ſe adamatum, ita & luctus non poſſeſſio mali tantùm, ſed malum eſt per ſe ingratum atque offendens; ideo Catonis animus cùm reuoluebatur ſupra affectiones ſuas, & ſcilicet ſupra luctum eiuſmodi, tum per hanc animaduerſionem auerſari poterat ſimul ipſum luctum, ſimul notitiam illam, quam luctificam experiebatur; itaq; huius notitiæ vacuitatem exoptare.

3. Iam ſic in Catone deſcriptâ quaſi rerum, quæ paſſim ab animo interiùs geruntur, hiſtoriâ, adnotandum eſt, hac voce, *malum per ſe inuiſum*, haud vniuerſim ſignificari qualemcunque mœroris cauſam; nec item *bonum per ſe amatum* vocari qualemcunque voluptatis cauſam, ſed tantùm res illas animo obiectas, quæ alterutrius affectionis materia ſunt; quippe quæ ſolæ res vel placere dicuntur, vel diſplicere.

Aliæ porrò gaudij ſeu luctus cauſæ nonniſi mediorum bonitatem vel prauitatem ſuſcipiunt; quod ſuperius Catonianum exemplum bellè demon-
4. ſtrat. Dum enim Cato gaudebat, eſſe ſibi veram illam ſcientiam Cæſarianæ victoriæ, nihil ad eiuſmodi gaudium opus erat præcipere animo prouentum aliquem talis ſcientiæ. Et hoc enimuero proprium eſt finis; videlicet etiam nullo effectorum pariendorum reſpectu gaudium afferre. At vbi Catoni cognitio illa incipiebat iam eſſe ingrata, non eam vtique Cato ab eiuſdem cognitionis effectis cogitatione ſeiungebat, quin eam impatibilis mœroris effectricem conſiderabat: Et quidem, non alio nomine diligi aut repudiari, niſi prouentus; idipſum eſt, quod mediorum vel bonitatem, vel prauitatem
5. definit. Imò quoniam voluptatem emere interdum triſtitiâ ipsâ non recuſamus, hinc nobis ad ſcientiam anhelantibus operæ pretium videtur ſciendi gratiâ chartis palleſcere, noctesq; ſerenas euigilare; & quæ duo pretioſiſſima æſtimantur, hæc ipſa pertinaci ſtudio, lento velut igne, conſumere: videndi ſcilicet vſuram, ac viuendi. Hæc autem ideo agimus, quòd eam voluptatem, quam per ſe, ac tanquam finis ſcientia effundit, potiorem ducimus, dolore illo, quem hæc ipſa ſcientia alieno quaſi nomine, atque vt medium nobis aſpergit. Nec alia fortaſſe cauſa eſt, cur videamus ſpectatores tragœdiarum ſuas inter lachrymas tam iucundos ac ſedulos. Nempe acriùs oblectat ſuperiorem animæ partem contemplatio illa rerum granditate, nouitate, varietate mirabilium; quæ res hîc viuida imitatione aſſimulantur, quam angit inferiorem animæ partem

admixtus mœror per hæc eadem luctuoſa violenter expreſſus. Quocirca non vtique ſpectatores lugere gaudent, quòd quiſpiam elegantiùs, quàm veriùs enunciauit; Nullus enim luctus per ſe gaudendi materia eſt: ſed ea cognitione gaudent, cui luctus aliquis indiuiduus iungitur comes.

CAPVT XLII.

Explicatur qua ratione ipſum Eſſe *in finibus bonorum ſit, confirmaturq́; in illa tria duntaxat hoc attributũ cõuenire.*

HOc ergo diſſident *eſſe* ac *ſcire*, quòd *ſcire* noſtrum in quibuſcunque ad- 1.
iunctis per ſe lætabile ſit, *eſſe* noſtrum non item.

Verùm, quamuis merum eſſe non ſatis momenti per ſe afferat ad lætandum, illud tamen (quod alio in loco diſſerui) in finibus bonorum verſatur, vti pars illius cumuli, qui plena lætandi materia eſt. Lætificat nos profectò ſcientia, lætificat lætitia ipſa, ſed eatenus, quò ſimul cum his bonis habemus, vt ſimus. Itaque ſi fingamus ſcientiam aut lætitiam noſtram ſuperfuturam nobis poſthumam in hac rerum vniuerſitate; nihil id lætandum videbitur. Quare integra lætitiæ noſtræ materies, hoc eſt, abſoluta fœlicitas, hæc ipſa tria coniuncta: *Eſſe, Scire, Gaudere*. In qua triade primum illud ſimul finis Naturam gerit, quatenus vnum ex his tribus, ſimul verò medij, quatenus fundamentum & cauſa reliquorum duorum.

Porrò tot ac tales omnino eſſe bonorum fines, quot enunciaui, ſubin- 2.
dicatum reor inter fabularum inuolucra à veteribus Poëtis, hoc eſt, primis infantulæ philoſophiæ nutricijs. Commenti ſunt hi, quòd nemo ignorat, Venerem Amoris Matrem tribus comitatam ancillis eam operosè comentibus; quæ *tres Charites* vocitantur. Earum porrò nomina Thalia, Aglaia, Euphroſina, quaſi viridis, ac *vegetus vigor, lux, lætitia*. Venere, vt ſuſpicor, vtq; obſer-
Li.2.c.12 uatum eſt in heſterno congreſſu, non pulchritudo priuatim, ſed bonitas quælibet in vniuerſum ſignificatur. Vt enim matris eſt materiam fœtui ſufficere, ita bonitas exhibet animo matricem, in qua ille amorem progeneret. Iam tres Gratiæ huic Veneri gratiam & venerem concinnantes, vt illa contemplantium animos in ſui amorem accendat, tres illæ ſunt dotes à me annumeratæ; nimirum *eſſe*, quod *Thalia* deſignat, viridis enim ætas ac vegeta, ea eſt, quæ remotior ac tutior ab interitu, per quem eſſe deſinunt animantes; Tum *ſcientia*, cuius nota minimè obſcura eſt, *Aglaia*, ſeu *lux*; demum *lætitia*, quæ nullo ſequeſtro ſymbolo ſemetipſam *Euphroſinam* Græco ac proprio nomine appellat.

Sed quid eſt, cur inter fabularum vmbras detruſum inquiramus, quod 3.
in ſupremo veritatis Sole luculenter effulget? An non diuinæ Triadôs perſonæ, quæ omnem implent bonitatis menſuram, videntur ſibi tres eiuſmodi præſtantias (licet verè vniuerſis promiſcuas) ſingulæ ſingulas adoptaſſe quodammodo vt proprias? Pater originis expers ita eſt, vt ab ipſo ſint vniuerſa, quæ ſunt. Filius tum gignitur, cùm Patris ſcientiam excipit. Tandem Diuinus Spiritus ita ab vtroque ſpiratur, vt mutuus vtriuſque ſit amor; cuiuſmodi amor

ne

Digitized by Google

ne cogitatione quidem à gaudio diſtinguitur; vt ea concludunt, per quæ hoc ipſum vniuersè comprobaui de amore Cœlicolarum in Deum. Li. 1. c. 39 & 40.

CAPVT XLIII.

Proponuntur nõnulla, quæ videntur probare alia eſſe in finibus bonorum extra illa tria.

1. SIlente iam Querengo, ita fermè ſubijt Andreas. Si renarrare aggrederer quidquid iucundæ admirabilitatis mihi præbuit oratio tua, ne ſyllabam quidem ex ea præterire fas eſſet. Breuiùs exequar quænam ſint, quibus non quantùm in admirationem ac voluptatem, tantundem in aſſenſionem trahor. Duo igitur ſunt, quæ mihi negotium faciunt.

Alterum eſt, cùm depellis ex bonorum finibus alia quæcunque ab illis tribus. Scilicet vereor, ne hic Triumviratus tuus haud æquior ſit vetere illo; neve hic per proſcriptionem minimè legitimam exuat non vitâ ſolùm fortunisq; Romanos aliquot Ciues, ſed quacunque boni communione res omnes Vniuerſitatis indigenas.

2. Næ tu habitus, ac potentias nihili ducis, niſi vnâ effectionum ſuarum gratiâ. Age, rem expendamus. Accipio gemina illa exempla, quibus, vt de Saraceno audiui, Illuſtriſſimus Cardinalis Plutarchum ſequutus, perſtrinxit Epicurum, qui Bonitatis Regiam in ſenſu tanquam in ſuili collocabat. Li. 1. c. 17

Archimedes, deprehenſâ fortè in balneo ſubtracti coronarij auri menſurâ, exultans illico emergit, lætitiâque amens curſitat per fora, per compita, clamitatque: *Inuêni, Inuêni*. Pythagoras perſubtili meditamento demonſtrat, in triangulo orthogono quadratum lateris recto angulo aduerſi planè ſemper æquaturum duo quadrata ſimul aliorum laterum. Quod repertum in tantæ proſperitatis loco habet, vt pro munere Dijs immolet Hecatomben. Iam verò ita ſecùs rem effinge; vt ambo, quam rationem pararunt marte ſuo, eam ex aliena vel librorum, vel præceptoris doctrinâ recepiſſent. An credimus, tanta eos iucunditate triumphaturos. Minimè verò; quando neque cæteri, neque nos perinde triumphauimus, cùm primùm illa eadem edocti ſumus: Non ergo cognitio illa per ſe id omne continet boni; quo animum lætificat; ſed hæc eadem longè carior, cùm fuerit natiui acuminis, ac propriæ ſapientiæ fructus; quorum alterum in potentijs, altera in habitibus eſt. Ergo tum potentiæ, tum habitus ſupra ſeruilem mediorum conditionem prouecta aliquem fœlicitatis cumulum ad ipſas operationes addunt de ſuo.

3. Atqui, dices, non alia de cauſa minor tum extitiſſet Archimedis vel Pythagoræ lætitia, niſi quia minor & gloria. Quocirca pulcram ſibi perpetuamq; mercedem adſciuiſſe viſus eſt Apuleio Thales Mileſius, qui cùm rationem à ſe recens inuentam demonſtrandi quoties Sol magnitudine ſua circulum quem permeat, metiatur, Mandraitum Biennenſem edocuiſſet; iſque inopinata cognitione delectatus optare iuſſiſſet quantam ſibi mercedem vellet; Satis, inquit, mercedis mihi fuerit, ſi, quod à me didiciſti, cùm apud alios protuleris, tum eius me repertorem prædicaueris. Florid. lib. 4.

Age

Age ſanè: hæc vna veræ gloriæ materies, verum bonum: ſi tunc ergo cùm Pythagoras, vel Archimedes, quæ per ſe deprehenderunt, potiùs accepiſſent ab alijs, te iudice bonum planè idem obtinuiſſent, quid eſt cur apud ſapientes rerum æſtimatores gloriæ minus reportaſſent? Ad hæc: finge animo, repertum ab vtroque codicem neſcio quem penitus reconditum, & vniuerſis mortalibus ignotum, vnde commentationes illas eruerint; ita vt eas verè non ab ipſis inuentas eſſe, arcanum foret cunctis imperuium; haud idcirco tunc eorum lætitia redundaſſet, quanta in veris inuentoribus, & quanta in eis re ipſa redundauit. 4.

Aliam video arcem, quò te recipias. Reſpondere poteris, ideo lætabilius, ſi proprio ingenio hæc parta ſint, quia tunc quidem ſpem oſtentant, plura eiuſdem pretij ab eodem ingenio inpoſterum parienda. Similiter enim egregium pomum tum ampliùs delectat, cùm noſtri agri ſeges eſt; quoniam alia conſimilia in noſtro naſcitura ſic pollicetur. Sed hæc etiam defenſio imbecilla. Præterea plurimum differre mathematicæ commentationis inuentum, ac poëticum vel oratorium ſcriptum; huius namque præſtantia eruditum planè ſcriptorem probat, non tyronem, non indiſertum: è diuerſo nihil vetat mathematicam rationem mediocris ingenij fructum eſſe fortuitum. Quocirca qualemcunque Archimedes ac Pythagoras de ingenio ſuo perſuaſionem longo experimento conceperant, eam vix, aut ne vix quidem, in alterutram partem mutare poterat ſucceſſus quiſpiam ſingularis. Verùm præterea, fac Philoſophis illis tam præclara meditamenta, non quidem domi nata, ſed deprehenſa in prima pagina cuiuſpiam voluminis benè longi recens ab ipſis reperti. Sanè haud vana ſpes tum extitiſſet, plura eiuſdem æris commenta per eam lectionem comperiendi. An illi propterea ſimiliter exultaſſent, quemadmodum eiſdem commentis per ſe excogitatis exultarunt? Minimè, opinor: ſicut nemo noſtrûm ſimiliter cum ipſis exultaret, ſi aliqua reperiſſet Ariſtotelis opera iam diu latentia, quibus infinitæ doctrinæ theſaurum contineri arbitraretur. Nimirum quicunque non ſtudio propugnandi ſemel enunciata, ſed ex animo fari velit; quemadmodum tu cæteriq; tecum ſapientiâ inclyti ſoletis (quippe ſecuri exiſtimationis nihil variandæ, quod vnum aliquod effatum verè an ſecus exciderit) minimè diffitebitur, non ſcientiam qualemcunque nobis æqualiter gratam, ſed eam inprimis ſcientiam, quæ verna ſit, non alienigena. An neſcimus iuniorem Cyrum (qualem verò & quantum Regem?) quaſi totidem ſceptris quibuſdam arbuſculis delectatum; quia ſcilicet ſua manu ſatis, eaſdemq; arbuſculas vel apud exteros legatos fuiſſe Cyro ad oſtentationem ac pompam? Imò verò huc tandem non nemo reuocauit eam Naturæ ſanctionem, quæ, niſi peculiaris lex aut conuentio reſiſtat, vnicuique dominium tradit rerum, quas ille vel peperit, vel extruxit, vel adinuenit. Nempe cùm in his rebus dominari quiſpiam debeat, illum Natura cæteris prætulit, quem ſupra cæteros rebus illis gaui- 5. 6. 7.

Cicero de ſen.

Digitized by Google

gauiſurum intellexit; id verò in effectorem ipſum aut inuentorem conuenit; quilibet enim ſuapte natura plus oblectatur effectis inuentisve ſuis, quàm alie-
8. nis. Sed quid attinet pluribus iam confirmare aduerſus te, quod heſterna die Li.2.c.16
te ipſum diſertè affirmantem audiuimus? Nonne docebas, fœlicitatem quoquo modo acquiſitam in res creatas vtique cadere; eandem porrò naturali iure poſſeſſam in faſtigium dignitatis conſcendere, creatæ conditionis humilitati penitus diſſociabile? Ius ergo illud naturale fœlicitatis potiundæ aliquid boni afferret ſupra fœlicitatem ipſam, quod bonum adeo non eſſet purum medium, vt eandem fœlicitatem non quadamtenus, ſed infinitè perficeret.

Quod ſi bonorum per ſe expetendorum numerus triade illa finiretur, nonne vides expungendum ex bonorum finibus cœleſtis gratiæ habitum, quo diuinitus adoptamur; atque adeo & nexum illum diuiniſſimum, quo Chriſtus habet vt naturalis Dei filius iure ſalutetur? ac proinde aſſeuerandum fore, neque Cœlitibus, neque Chriſto quidquam boni defuturum, ſi retento quem habent Dei viſu ac delectatione, alter gratiæ habitum, alter Dei perſonam deponeret, quando neutrum horum eſt id, per quod animæ illæ beatiſſimæ habent vel vt ſint, vel vt ſciant, vel vt gaudeant?

CAPVT XLIV.

Cŏciliantur mutuò dua propoſita ſententia.

1. ANdreas finem loquendi iam fecerat, cùm Cardinalis: Quæ tu proponis, adeo mihi probantur, vt pro eo ac meum eſt, vltro reprobem, quæcunque iſtis aduerſa nudius tertius *a* diſputaui; ni faciam vtique, meam non ſententiam, ſed pertinaciam comprobaturus. Age verò & tu, Querenge, atque aperi, tuum ne pariter animum hæc ipſa perpulerint. Id enim ſi fuerit, conſilium mihi eſt proponere conciliationem quandam, vtriuſque veſtrûm rationibus adſtipulantem. Siquidem quæ à te pariter producta ſunt, adeo me tenent, vt (ſi ſatis intelligo) vtraque ſententia haſtata ſit meliùs, quàm clypeata.

a Li.1.p.1

Ad hæc ſubridens Querengus: Libenter, inquit, concordiæ ſequeſtrum audit, cui tabulæ ab aduerſario nuper exhibitæ inproſperum litis exitum ominantur. Quocirca, etſi defenſiones mihi aliquas ingenium ſuggerit, conſultiùs habeo temperamento per te tranſigendo àcquieſcere, quàm ius meum pertinaciùs experiri.

2. Quid ne ſic exiſtimemus, Cardinalis aggreditur. Bona interiora hæc omnino tria ſunt à Querengo enumerata, nimirum *vt ſimus, vt ſciamus, vt gaudeamus.* Ergo res nulla in medijs bonorum eſt, quæ ad aliquod horum trium non conducat; res nulla in finibus bonorum eſt, per quam aliquod horum trium non poſſideatur. At hæc poſſeſſio dupliciter vſuvenit; vel quaſi horaria & commodata, vel conſtans & tanquam rei propriæ. Poſterior vtique melior ac per ſe optabilior. Nec tamen eiuſmodi poſſeſſionis vis ac ratio indiuidua eſt; per varios gradus pertinet, quorum alius alio celſior. Porrò cuiuſ-

Digitized by Google

quam quantumuis minimi ex his bonis poſſeſſio immunis à qualibet exteriore cauſa eò excellentiæ aſſurgit, vt affatim per hoc vnum Deus, quantuſcunque eſt, abſoluatur. Ideo Theologi ſic interpretantur diuinas litteras, vt Deus Moyſi ſciſcitanti quis ipſe eſſet, hac propemodum ratione ſui naturam definierit: Non quidem attributum aliquod ſingulare ac præclarum ſelegit; quin potiùs attributum de medio ſumptum, & pęnè dixerim de fæce hauſtum; attributum vtique eiuſmodi, quod per omnes rerum ſordes peruagatur, quo nulla mendicitas deſtituta, infra quod nulla humilitas abiecta; Ad ſummam: *eſſe vnum ex multis in vniuerſitate rerum*: mox verò ſubijciens proprietati ſic tenui, ſic inopi, eiuſdem proprietatis poſſeſſionem perfectiſſimam; hoc eſt, Naturâ ſibi ingenitam non ex aliena effectione aut voluntate acceptam, illico eandem proprietatem adeo erexit, adeo amplificauit, adeo opulentauit, vt ex tantula, quæ per ſe erat, excreuerit in infinitum bonum, cunctorumque bonorum ſummam. Haud vllius quantumuis minuſculæ dotis ita regiè potiri, cadit in procreatas naturas. Imò quoniam *eſſe* noſtrum ſternitur ceu fundamentum cunctis alijs bonis; ipſumque *eſſe* non niſi aliena largitate ad res effectas pertinet, conſequens eſt, vt alienæ largitati ſimul acceptum debeatur quidquid perfectionis hoc ſuper fundamento deinceps excitetur. Hæc tamen largitio, per quam res accipiunt, vt aliquæ ſint, bifariam accidit; primò, ita vt illa extra indiuiduum temporis punctum nihil egreſſa, nullum ius creet ad futuram conſeruationem; vtque inſuper eo ipſo momento nihil iuris conferat ad vſurpandam cognitionem vel voluptatem. Et verò hic infimus eſt inter modos poſſidendi munus illud, quo diſcernimur à nihilo: veluti contingeret, ſi aliqua ex animantibus (inanima enim, vtpote boni ſui expertia, non ſunt huius loci) diuinitus ederetur ſine habitu corporis opportuno ad vitam aliquantulum protrahendam, & ſine inſtrumentis ad cognitiones appetitionesq; tum gerendas neceſſarijs. Alter vitæ obtinendæ modus eſſe poteſt, per quem vita ipſa non prorſus gratuito Dei munere, ſed naturali quodam iure retinetur. Quippe liceret quidem Deo ius illud aſpernari; verùm neque mos eſt, neque, ſi ius illud non aſpernetur, dicitur Deus tam propriè munificus, quàm vbi confert vel maiora debitis, vel planè indebita. Ita nullæ referuntur Deo votiuæ tabellæ, quod Mundum conſeruat, quod ratæ per eum ſunt Cœli motiones ac tempeſtatum vices, quod nobis vitam, non pro ſolo arbitratu præcidit. Feſta pariter cùm veteris, tum nouæ Legis omnia ad vnum ſtatuta ſunt, vt gratiæ redderentur vel pro ipſa Mundi procreatione, vel pro alijs Dei beneficijs planè gratuitis. Neque vnquam aut dies conſecrata, aut templum poſitum, aut ſacrificium litatum, vel ad impetranda, vel ad repetenda munera illa, quæ Deus, vtpote Naturæ Arbiter, quadantenus debet.

Note: the marginal numbers 3., 4., 5. stand beside the lines beginning "Moyſi ſciſcitanti…", "largitio, per quam…", and "vita ipſa non prorſus…" respectively.

Tum Andreas: Eſt, vt dicis: Quin ex hoc ipſo Auguſtinus in Pelagium 6.
concludit, diuinum auxilium, quo à peccatis retinemur, beneficium aliud eſſe
ab

ab omni eò, quod Naturæ debetur. Siquidem ait, & innocentiam à Deo nobis anxiè petimus, & integrâ ſeruatâ gratias impensè agimus, cùm tamen quæcunq; Naturæ quaſi repoſcenti Deus perſoluit, nihil admodum ſoleant vel precum argumenta eſſe, vel gratiarum.

7\. Benè habet, Cardinalis exequitur; & ipſum *Gratiæ* nomen, quod priuatim ſibi vindicant eiuſmodi in nos Dei munera Naturâ non flagitante conceſſa, declarat hæc ſanè plus cæteris gratuita eſſe, ampliorem q; gratiæ vicem promereri. Iam verò ita bonum aliquod vſurpare, vt pro eo gratiarum quaſi merces cuipiam rependenda ſit, haudquaquam integra eius boni poſſeſſio videtur, ſed beneficiaria ac ſtipendiaria. Eoq; pertinet quorundam veterum Patrum ſententia ſuſpicantium in eo tandem peccaſſe reprobos Angelos, non quidem quod beatiorem ſibi ſtatum quæſierint, quàm Deus deſtinaſſet, ſed quod hanc ipſam beatitatem proprijs viribus, non diuinâ operâ, contenderint obtinere. *Greg. l. 34 Mora. c17 Auguſ. de Ciui. Dei c. 2.*

CAPVT XLV.

Præcipua cõcluſiões q̃ ex pẽdicta cõciliatione naſcuntur.

1\. QVod ſi ita eſt, ſequitur complexionem principum qualitatum, quæ vitam tuetur, non tantùm in medijs, ſed in finibus bonorum verſari; quippe talis complexio præſtabiliorem vitæ poſſeſſionem nobis confert, quàm ſi diuino miraculo conſeruaremur. Fateor, Querenge, nihil infortunij tum contigiſſe Catharinæ Senenſi, cùm illa abrepto ſibi diuinitus corde propitiâ tamen deſponſi Numinis ope vigebat incolumis. Non quod eius conditio (quemadmodum ipſe concludere nitebaris) tum eſſet cunctis numeris abſoluta; ſed quia defectus ille, qui ſuperuenerat, abundè redimebatur ſignificatione tam illuſtri diuinæ in ipſam beneuolentiæ ac tutelæ. Cæterùm, ſi rem ita fingamus, vt in vtroque ſtatu æqualis Dei charitas aduerſus Catharinam eluxerit, hauddubiè ſatiùs fuiſſet vitam ducere ſuapte naturâ, nòn alieno prorſus beneficio. Quæ depulſio cùm æquè valeat in alia eiuſdemmodi exempla, ideo non mala fide agam, ſi non omnia per te producta ſingulatim recognouero.

2\. Similiter pulchritudo; ſiquidem talis ſit, quæ naturæ, non aſſuetudini hoc debeat vt placeat, enimuero in bonorum finibus continetur. Perfectiùs nempe, ac præoptandum eſt placere merito ſuo, quàm errore alieno: Quid verò naturâ, quid tantùm aſſuetudine placeat, non eſt huius examinis. Porrò aliquid generatim eſſe quod ſuapte natura videnti placet, liquidò ſcimus. An non ante omnem aſſuetudinem gratiùs intuenti eſt Cœlum ſyderibus diſtinctum, quàm taberna fumo ſordeſcens?

3\. Eadem ratio potentias atque habitus cognitionum parentes finibus bonorum adſcribit. Etenim cognoſcere propria vi, non alienâ doctrinâ præclarior quædam eſt cognitionis poſſeſſio: quod abs te, Andrea, mirificè concluſum. Idcirco Deum videre, creatis mentibus non vſquequaque negatum: at

 hic

hic idem Dei viſus videnti naturâ debitus in vnum ex rebus omnibus Deum ſolitariè cadit: quæ communis Theologorum ſententia eſt. Ad hunc tamen ipſum Dei viſum datur adniti creatis mentibus phyſico iure aliquo, non quidem naturâ inſito, ſed diuinitus indito: hoc verò ius phyſicum naſcitur ex habitu illo diuinitus animæ collato, quem gratiam dicunt, & per quem Patri miſericordiarum adoptamur. Qui nimirum habitus, ſi cum eſſentia noſtra conferatur, *gratiæ* notionem habet, quippe naturalis noſtræ perfectionis menſuram lougiſſimè ſupergrediens; At hic idem habitus, ſi conferatur cum Dei viſu, quem efficit, & cum ea, quæ hinc effloret, voluptate, nanciſcitur notionem Naturæ. Is nempe habitus tanquam radix quædam eſt, ita in operationes eiuſmodi naturaliter germinans, ceu naturaliter ignis calefacit, lapis deſcendit. Quocirca nihil magis ad Naturæ ordinem ſe ſe Deus componeret, ſi cuipiam animo vita functo, & cœleſtem hunc habitum obtinenti ſe ſe abderet, quam vbi Chaldæis olim ignibus vſtionem trium puerorum interdixit. Hinc emergit, cur *gratia* hæc *habitualis*, quam vocant, in bonorum finibus numeretur. Præclariùs enim nobiſcum agitur, ſi Deum aſpiciamus ex naturali quopiam iure nobis intimo, licet eiuſce iuris primordia gratuita ſint, & Naturæ indebita, quàm mero Dei beneficio indebito non ſolùm naturæ noſtræ, ſed quibuſcunque adiunctis dotibus naturam noſtram exornantibus. 4.

Quod cùm ita ſit, multò etiam potiori titulo bonum erit per ſe optabile nexus ille intimus, quo humana Chriſti natura Deo colligatur, qui ſcilicet nexus non modò ius infinitè præſtantius inſerit Chriſto Dei aſpiciendi, ſed clarè contenteq; aſpiciendi ſupra omnem modum: & ſuper hæc impetrandi tum ſibi, tum cæteris, quantum bonorum vel omnipotentiæ ſubeſt, vel infinitate continetur. 5.

Habes, Andrea, quod contendebas.

At nihilò ſe minùs verum oſtendit, quod Querengus diſſeruit: hoc eſt, alia bona, ſi ab his tribus diuidantur, illico degenerare, ac bonitatem exuere. Ecquis lætaretur firmiſſima corporis habitudine per ſe Neſtoream ætatem laturâ, ſi vitæ protrahendæ iam expes, intra horam ſecuri ceruicem deberet? Eccui iucundum videretur ſe animo complecti, quantùm olim diſciplinarum totâ Græciâ pertinuit, ſi Deus eidem denunciaret decretum ſibi, vt habitus illi perpetuùm ociarentur, ne vnam quidem edituri cogitationem? Nunquid iuuaret mortalium aliquem, quidquid gratiæ per Angelos diuiſum eſt, id totum in ſe colligere, imò verò per iuncturam intimam qualem habet Chriſtus, Deo conglutinari, atque adeo apotheoſi nequaquam inani in Deum excreſcere, ea tamen lege, vt nec ideo vnquam diuino potiretur aſpectu, neque plus aut charitatis apud Deum, aut reuerentiæ apud alios compararet, nec aliquo augeretur ex cæteris bonis conſtitutis à Querengo inter bonorum fines? Ius ad bonum aliquod id boni, ſi aſſequare, vtique acceptius facit: ſin deſperanter 6. 7.

fru-

Digitized by Google

fruſtreris, hoc idem ius, aut pro nihilo tibi eſt, aut non niſi ad ægrimoniam. Sic enim à Dei aſpectu prohiberi, nulla fuiſſet ærumna peruerſis Angelis, niſi antea ſupra naturæ ſuæ conditionem euectis. Ius illud dono tributum, quo ſemel licuit ad Dei viſum aſpirare, id enimuero priuationem eiuſmodi viſus, vulnificam reddit ac felleam. Ideo (quod vterque dicebamus, Querenge) Achilles perpetuò compeditus miſerior, nedum fœlicior, claudo ſimiliter compedito fieret ab ingenita pernicitate. Hæc namque nocentiores, adeoq; aſperiores Achilli quàm claudo compedes redderet.

8. Sanè tribus illis dotibus, & non aliâ, quæ illarum appendix non ſit, bonum ac beatitatem finiri confeſſum in Gymnaſijs videtur. Chriſtus namque eò beatus dicitur, quia Deum videt, viſoq; fruitur, non verò quia Deo intimè copulatus eſt, Deiq; filius. Quid enim? Si, dum is è Cruce pendebat, ab Deo videndo abſtinuiſſet (quod nonnulli falsò arbitrati) minimè tum beaſſet Chriſtum coniuncta diuinitas; At contrà, ſi Dei perſonam, non Dei viſionem exueret, etiam tum beatitate vel inter cruciatus potiretur. Verùm in hac bonorum æſtimatione ac menſura accidit planè, quod in numeris vulgatum, ad multa per ſimilitudinem inde transfertur. Aliquæ ſiquidem notæ arithmeticæ per ſe ac ſolitariæ pro nihilo ſunt: nec tamen inertes, quoniam vnaquæque illarum ſi ſubijciatur alijs per ſe ſignificabilibus, quem numerum hæ deſignarent, nouies conduplicat. Non aliter naturale ius vel ad vitæ, vel ad cognitionis ac delectationis vſuram ex ſe nullius pretij eſt: idem verò eiuſmodi bonorum poſſeſſioni ſubiectum, illico eorum æſtimationem mirificè auget.

9. Copulet ſibi Deus naturam alicuius hominis eiuſdemmodi copulâ, qua humanam naturam Chriſti: pro ea tamen abſoluta dominatione, quam gerit nullum bonum peculiare tribuat huic homini eiuſce copulationis reſpectu, nihil eum impenſius amet; nihil honoris aut ſcientiæ, nihil iucunditatis aut virtutis adiungat. Equidem illecebram video nullam in tali Diuinitatis adeptione tam iniquis conditionibus eleuata. At Chriſtum, vti nunc ſe habet, vndique perornatum viſione Dei tam perſpicua, delectatione tam inenarrabili, virtute tam triumphali; quem vnum Deus cæterorum vniuerſitate plus diligit, quem vnum iuxtà ac Deum Vniuerſitas cæterorum adorat; eum, inquam, tantis bonis circumfluentem hæc ipſa bona tanquam debita, quin & meritis imparia ob infinitam ab Diuinitatis coniunctione dignitatem, reddunt innumeris partibus beatiorem, quàm ſi eadem vel nullo, vel ſplendido minùs iure poſſiderentur.

CAPVT XLVI.

Altera ſ- cipua ratio aduerſus diſputationem Querengi, probans errorem quoque in bonis verſari.

1. CErtatim Querengo atque Andreæ collaudata eiuſmodi ratio à Cardinali reperta componendi aduerſitatem vtriuſque ſententiæ. Tum ipſe diuturna quiete iam feſſus, adeoque exurgens, alios ad exſpatiandum inuitat per

Digitized by Google

per hortenſem ambulationem , quàm proceræ vtrimque arbores non magis ornabant, quàm muniebant: quippe flexum tractumque iam Solem amœniſſimè defendentes. Nec diu fuit, cùm, oculis in Andream conuerſis ita eum compellat.

Alterum illud, in quo tibi cum Querengi diſputatione diſconuenire prædixeras, exponere ne moreris.

Hîc Andreas. Quod mihi addubitatur, non magis hodiernum, quàm heſternum reſpicit Querengi ſermonem. At heri in tanta rerum granditate ac meditationum nouitate ſub ipſum proponendi tempus meam ſubterfugit aciem. Verùm benè habet, quòd humanæ memoriæ loculamenta non tam conueniant cum liberis campis, quàm cum viuarijs, in quibus quæſita fera ſubducere quidem ſe paululùm poteſt, defugere prorſus non poteſt. Quod heri exciderat, hodie in mentem reuocarunt diſputata nuper à Querengo ſuper eodem loco. Ne multis: Vereor vt conſtanter facias, Querenge, dum, poſitis iam quas edidiſti, boni maliq; definitionibus, poſtea ex cogitationibus mentis veras tantùm amplexaris vt bonum; falſas contrà non tam eleuas ceu minus bonum, quàm damnas vt malum. *Bonum* vtique definieras, *quod præſens animum exhilarat*; malum, *quod contriſtat*. Quomodo igitur error in malis ſit, quippe qui, dum habetur, nequit eſſe triſtandi materies? Haud me fallit, quod contrà paras: Bonum à te ſic expoſitum. *Quod præſens animum*, non vtique qualemcunque, ſed *non falſum exhilarat*: Atqui errorem haberi nunquam ab animo, quin hic ſuper ipſo errore fallatur: Quicunque ſcilicet opinando errant, ij quidem non ſentiunt errare ſe, imò veram aſſenſionem putant errorem ſuum: hoc autem altero errore traducti, priore, quem verum adeoque bonum exiſtimant, delectantur. Age ſanè: Non ſit error in bonorum choro; quî tamen inter mala referatur? is enim ille eſt, qui nunquam materia triſtitiæ ſit. Imò verò, niſi verborum vim ac poteſtatem populo iniuriâ detraxerimus, quî non referatur inter bona? à quopiam-ne non appellari bonum, atque optabile id, quod ſua ſponte (quęcunque tandem ſit cauſa) ſemper animum ſolatio irrorat, nunquam angore contaminat. 2.

Reſpondebitur, credo, Saracenus excepit, errorem inter mala reijciendum, ceu fallacem conſiliarium, cuius inſtinctu plerumque deliberamus noxia & mœrorem allatura. 3.

At hoc nomine, ſubiecit Andreas, error non eſt malus per ſe ac ſponte ſua, ſed ab effectorum ſuorum pernicie inuidiam trahit. Et quidem ſi ex prouentu errorem æſtimemus, quot etiam errores conducibiles? Nonne vtiliter operam ponimus, vt ægrotus falſa opinione morbum extenuet, ne vera periculi notitia periculum augeat? Quot, rogo, Imperatores ſalutariter ſtuduere, vt miles inani credulitate victoriam ſibi pro imminente mox cæde polliceretur, itaque à fiducia validior id verum efficeret, quod vero proximum falsò

cre-

Digitized by Google

credidiſſet. Quis neſcit Hoſtilij factum, qui à Metio Suffetio proditus ac derelictus in prælio, commentus eſt apud ſuos rem ex condicto agi, vt hoſtes vndique clauderentur; eoq; commento cladem in victoriam deceptis immutauit? Præclarè Virgilius. *Liu. lib. 1*

poſſunt, quia poſſe videntur.

Quid multa, quandoquidem ipſemet mihi commemoraſti, comprobatum à te in primo illo congreſſu veſtro, tum ſapientum auctoritate, tum rationibus, errores quibus delectamur, bona eſſe interdum per ſe fœlicitatem abſoluentia? *Li. 1. c. 45*

CAPVT XLVII.

Proponitur eiuſmodi depulſio, vt oſtẽdatur nos errorẽ abſentem fugere & ſẽtẽ auerſari: & exponitur quo poſſit quiſpiam ſẽtire præſentẽ errorẽ ſuum.

1. OBnixus iterum Saracenus: At certè error, quandiu abeſt, non expetitur, quin declinatur: nemo vnus eſt, qui errare ſe cupiat. Ergo non congruit errori definitio boni: ſcilicet id, *quod abſq; errore cognitum inijcit appetitionem ſui abſentis.* Sed potiùs definitio mali; cuius natura eſt *auerſationem irritare.* Neque verò in errore meritò expoſcas alteram quoque partem definitionis mali, quæ eſt, *vt quæcunque res mala dum adeſt, animo ſuper ea non decepto ſit materia triſtitiæ.* Erroris enim (quod tu nuper demonſtraſti) peculiare hoc ipſum eſt, vt animo circa eum non decepto nequeat adeſſe.

2. Fortaſſe non eſt planè, vt dicis (interloquitur Cardinalis.) Poteſt enim præſens error quodammodo agnoſci; & quatenus agnoſcitur, ita etiam conuenit errori, vt præſentiâ ſuâ contriſtet. Quî fieri hoc poſſit, ita deſcribo. Exponat Geometriæ diſcipulus præceptori ſuo multas à ſe adinuentas rationes, quas omnes exiſtimat ratas. Tum præceptor vnam illarum fallacem eſſe generatim enunciet; quæ tamen ea ſit, nominatim ac definitè non deſignet. Eo caſu diſcipulus, quanquam ſuper vera doctoris enunciatione minimè dubius, nullam tamen ex illis aſſenſionibus abijcit: quando & quælibet per ſe veritatem oſtendit; & iudicium doctoris vnam generatim refellentis, cæteras approbantis, vtique ſingulas ſeorſim probabiles facit: Nam de vnaquaque per ſe veroſimilius videtur, eam verſari inter veras, quippe multas, quàm eſſe illammet vnam, quæ ſola eſt falſa. Perſtat ergo diſcipulus in vnaquaque ex aſſenſionibus priſtinis; ſed cùm vniuersè ſciat vnam illarum ſibi imponere, id ſanè dolet, eaq; ſe purgari vehementer cupit. Vides quomodo fieri poſſit, vt error præſens ab ipſis errantibus agnoſcatur, & quomodo in eo euentu mœrorem offundat.

CAPVT XLVIII.

refellitur prædicta depulſio, aliyſq; rationibus confirmatur in errore plus boni eſſe quàm mali.

1. SVbtiliùs, quàm veriùs obſiſtis, Andreas inquit. Ais tu quidem, Saracene, errorem quandiu abſentem declinari, nedum expeti. Veruntamen aut errorem per ſe accipis, aut ſimul cum fructu. Ex fructu quidem expetitur is vtique interdum; Vbi nimirum profuturus videtur, & veluti furtiuam poſſeſſionem

ſionem optati cuiuſpiam boni commodaturus nobis, vtcunque ex falſo verè gaudentibus. Nihil id confirmare laborauerim, ne actum agam: noui enim à te hoc ipſum nudius tertius copioſè demonſtratum. Idem aio de lætitia, quam præbet interdum præſens error; agnitione eiuſmodi qualem cum præſenti errore ſociabilem Illuſtriſſimus Cardinalis nuper obſeruauit. Mihi enim ſi quis probatiſſimæ fidei, mearumq; cogitationum conſcius teſtaretur, me nunc falsâ quadam opinione fruſtratum: reticens quænam illa eſſet, ac tantummodo aſſeuerans, eam & in præſentia mihi iucundam, nec in poſterum nocituram; nihil admodum cuperem illam definitè mihi indicari, vt dulcem errorem cum triſti ſcientia commutarem.

Sin loquimur (idq; præſens tractatio noſtra petere videtur) de bonitate finium propria, quæ nimirum gratiâ ſui deſideratur cùm abeſt, delectat cùm adeſt; hac itidem imbutus videtur error, minus ſanè quàm ſcientia, ſed magis quàm pura puta erroris vacuitas. Quamobrem error neutiquam bonum erit ſcientię par, ſicut neque ſcientia noſtra exæquat bonitate ſcientiam Beatorum; at in bonis, non in malis iure cenſebitur. Præſtat ſiquidem errore potiri, quàm eo carere nullius boni vice: quod ſanè attributum in dolorem, quippe germaniſſimum malum, non conuenit. Quod autem de errore pronunciaui, ſic efficio. Offeratur vnicuique noſtrûm optio eiuſcemodi; vt vel in omnibus, quæ cogitauerit, ludatur errore, vel cogitet plane nihil, perpetuo ſomno, quoad vixerit, præſepultus; Quam partem optabimus, rogo? Equidem ipſe priorem; nec cæteros à me diſſenſuros puto. Error igitur mera ſui vacuitate optabilior. Quod autem fatemur ſuper errore vniuerſim cum vniuerſa erroris priuatione collato, idem fateamur oportet, ſuper quopiam peculiari errore, ſi cum ſua peculiari priuatione conferatur. 2.

Aduerſatus hîc iterum Saracenus. Videor, inquit, certè mihi inaudiſſe, eam dominari ſententiam in ſacris Gymnaſijs, vt Chriſto ac Deiparæ, dum in terris degebant, quin & Cœlicolis vniuerſis, ſociabilem dicant ignorationem aliquam ex eo genere, quæ ab Ariſtotele vocatur *ignoratio negationis*, in ſola nimirum ſcientiæ vacuitate verſantem: quandoquidem ſolius Dei eſt omnem veritatis latebram vno eodemq; mentis obtutu perluſtrare: non tamen illis ita ſociabilem putant eam ignorationem, cui nomen eſt apud eundem Ariſtotelem *ignorantia diſpoſitionis*, quæq; alio vocabulo *error* nuncupatur. Quidni ergo prioris generis ignoratio deterior ſit, quàm poſterioris? 3.

Confeſtim Andreas. Neſcio an conſecutio iſthæc perinde ſuffragantem habeat veritatem, ac doctorum virorum multitudinem. Scilicet ideo mentes illæ fortunatiſſimæ, quas memoraſti, non comprehendunt vera omnia, itaque in aliqua ignoratione verſantur, quia cùm finitę ſint, haudquaquam debuerunt tantam rerum infinitatem cogitatione complecti, quantam ineffabilis Dei ſapientia complectitur. Quęcunque tamen ab ijs cognoſcenda erant, ea par fuit, 4.

vt

Digitized by Google

vt quàm perfectiſſimè cognoſcerentur, non modò non falſa, ſed ne vera qui-
dem, eademquè ancipiti opinatione. Cùm tamen indubium ſit veram ean-
demq; ancipitem opinationem bonum eſſe, non aſpernabile apud nos, vt-
pote quibus plurimas rerum, earumq; præcelſas ac perneceſſarias, negatur ni-
ſi in obſcuro contemplari. Non abſimili modo regale eſt gemmas non alias
geſtare niſi ingentes & quantivis pretij. Non ſanè, quia itidem cæteræ in di-
uitijs non numerentur, & ciuibus expetendæ non ſint; ſed quia pro Regis
maieſtate videtur, vt quoſcunque ille ornatus adhibeat, ij quidem inter priua-
torum ornatus regali tanquam raritate præfulgeant. Ergo non infimus quiſ-
5. que bonitatis gradus ad ſummum quemque celſitatis apicem facit, vbi ſubſti-
tui poſſunt alia bona ex eodem genere præſtantiora: ſicuti non qualecunque
donum dignè obtuleris Principi viro, nec delectatio qualiſcunque, licet inno-
xia, Cœlitibus ritè congrueret. At neque ieiunus ſtomachus vulgaria conte-
mnit, nec mortalium animus perquam inops bonorum, minuſcula dedigna-
tur. Ad ſummam, vt quiſque mallet hallucinari, quàm orbari oculis, ita &
mente: adeoq; optabilius, ac re ipſa optatius videtur, in errore, quàm in ſum-
ma cognitionis ceſſatione verſari; quæ ceſſatio, aut mors eſt, aut morte nihil
proficientior atque amabilior.

CAPVT XLIX.

Vt ſoluatur prædictũ argumentũ, explicatur diſcrimẽ inter triplicẽ mentis operationẽ. Oſtenditur etiam primã apprehẽſionem verſari in bonis, eumq; finem Poëſeos eſſe.

1. TVm Querengus, qui ſuper hoc poſteriore, quod Andreas obiecerat, eò
vſque conticuerat, ſilentibus cæteris ita ſermonem aggreſſus eſt, in An-
dream intuens. Nemo veterum Sophiſtarum, qui deterrima collaudando
gloriam aucupati ſunt, vim prætulit orationis æqualem tuæ pro errore cauſam
dicenti: & quidem pro errore non obtendente veritatis perſonam, vt aſſolet,
ſed manifeſto, nihilque diſſimulante de natiua diſtorſione, cuius vſque adeo
eum diſpudet, vt ne parenti quidem animæ illam aperire vnquam ipſe patiatur.
Enimuero Sophiſtæ illi nonniſi proprium acumen, tu poſitionem tuam egre-
giè comprobaſti; adeoq; acumen tantò validiùs, quantò plus negotij habet,
ingenia vel expugnare, vel quatere, quàm aures titillare. Volentes enim dele-
ctamur, reluctantes premimur; in altero oblatum nobis quaſi obſequium ac-
2. ceptum habentes; ab altero intentata quaſi vincula repellentes. Rationem v-
tique tuam falſam puto, errorem non puto: quippe à te, vt interpretor, inge-
nio adinuentam, non aſſenſione probatam. Veruntamen ſi errori cuicunque
tantundem ſubtilitatis ineſſet, equidem rationem iſtam tuam amplexatus vt
veram, non tantùm vt argutam, errores vniuerſos inter animi bona laudarem.

Indicabo, ſi placet, vbinam latere ſuſpicer eiuſmodi rationis pulchrum
& præcallidum dolum. Atque vt via & ordine procedamus, oportet nonnulla
primùm exponere, quæ tyronibus, non ſolùm vobis, compertiſſima ſunt.
Quippe humilibus fundamentis vulgari materia compoſitis niti debet, ædifi-
cium quodcunque præaltum ac ſingulare.

Digitized by Google

Triplex omnino eſt cogitandi modus. Primus quidem vocatur (licet parùm Latinè) *pura apprehenſio*, vt quæ ſuis quaſi manibus res obiectas apprehendit; hæ autem ſint, nec-ne ſint, neque ait, neque negat. Eiuſcemodi cognitione percurrunt plerique lectorum Homeri, Virgilijque narrationes, incerti videlicet, quænam illarum ex hiſtoria deriuatæ, quænam ingenio ſcriptoris effictæ; adeoq; nullam definitè potiùs veram, quàm falſam arbitrantes. 3.

Alter cogitandi modus vocatur *iudicium*: nempe tanquam iudex è tribunali, ſic animus per eiuſmodi cognitionem, & vera, & falſa dijudicat. Et quamuis hoc latè pertineat ad cognitiones planè vniuerſas, puris apprehenſionibus exceptis: quatenus tamen hoc alterum cogitandi genus à tertio mox recolendo dirimitur, eas tantùm complectitur aſſenſiones; quæ non ex alijs quibuſdam aſſenſionibus emergunt, ceu ex initijs conſecutiones, ſed quæ ab ſimplice rerum ſpecie in animo expreſſâ conſurgunt. Veluti, cùm iudico, me nunc viuere, moueri, eloqui; omne totum eſſe quid maius, quàm partem: ad quæ aſſerenda impellor à cuiuſdammodi tantùm ſimplice talium rerum apprehenſione, quam parit in me, vel experimentum ipſum, vt accidit in primis tribus earum aſſenſionum, quas recenſui, vel natiuus manifeſtusq; nexus inter rem ſubiectam & rem affirmatam, vt accidit in poſtrema. De his autem aſſenſionibus, quæ nulla probatione indigent, ſed ſua ſponte liquent, amplè tu quidem heſterna die contra Scepticos. 4.

Denique alia quædam iudicia tertium genus conficientia *diſcurſus* (nihil magis Latinè) nuncupantur: tranſlato nomine ex motu, per quem loco ciemur. Vt enim in eo motu per proximum quempiam locum ad alium remotiorem diſcurrit corpus, ſic animus per poſitiones illas protinus manifeſtas, ipſique animo tanquam admotas, & in limine poſitas à Natura, diſcurrit continenter ad alias aliasque longiùs diſſitas ac retruſas. Et verò ad hoc tertium genus pertinent omnes ferè aſſenſiones noſtræ. Enunciationes enim illæ per ſe notæ, ſic demum perpaucæ ſunt, paucitatem vt ſuam vbertate rependant: atque vt paucis fontibus tanta fluuiorum immenſitas prodit, non aliter tot humani ingenij artes, tot diſciplinæ, quà contemplatrices, quà actuoſæ, quantæcunque ſunt, ex paucis initijs naſcuntur. 5.

Porrò tres eiuſmodi cogitationum formæ, vnaquæque pro ſe plus minusve, humanum animum exornant. Secunda tamen cæteris melior, atque vna omnium Diuinæ mentis indigena. Tertia verò excellit primæ. Satiùs namque rem tenere, licet nonniſi rebus alijs eam tradentibus, quàm planè rem illam ignorare. Veruntamen pura itidem apprehenſio per ſe nec planè aſpernabilis, nec illætabilis. An non id experimur in commentis Poëtarum? Nulla eſt hominum ætas, ſexus aut ordo nullus, quem fabulæ non capiant, quem ſcena non teneat. Non quia figmenta illa ſolerter concinnata, ſic mortalibus imponant, vt pro veris judicentur, quod aliqui primæ notæ ſcriptores 6.

exi-

exiſtimarunt. Percontemur vtique ex ijs, qui, vt datis fabulis adſtent, famem, ſudorem, confertæq; turbæ preſſum in leui habent; ex ijs, qui oculos ſomno furati, eoſdem decantatis Rolandi furoribus, liberatæq; Hieroſolymæ caſibus impendunt; percontemur, inquam, credant-ne alteri quidem actores illos (ipſorum audientium ſodales interdum) eſſe vel Belliſarium poſt triumphos emendicantem, vel Solimanum inſontis filij cruore pollutum; alteri verò, Nubium-ne populorum vſui ſaxorum in equos factam eſſe metamorphoſim, aut Fortunam veram eſſe aſpectabilemque mulierem, quæ nautam agens Rinaldi veſtigatores in alium terrarum orbem aduexerit. Proculdubio vtique
7. negabunt. Et verò ſi quis adeo hebes, cui mendacijs tam palmaribus illudatur, pictiùs certè ac limatiùs poëmata conſcripta ſunt, quàm vt ad eiuſmodi homuncionum captum referri videantur. Addite, quod ſi Poëſis in hoc intenderet, vt figmenta pro veris caſibus venditaret, appeteret illa quidem ac ſtrueret tanquam ſibi propoſitum opus mendacium ipſum, hoc eſt, flagitium naturali diuinaq; lege nunquam ſoluendâ prohibitum. Etenim ratio mendacij hoc vno tandem continetur; ſi falſum enuncies eo ſtudio, vt id pro vero ſupponas: Quod ſi de Poëſeôs natura fateri non renuas, cur Poëſim, artem ſcilicet intimè vitioſam optimæ Rerumpublicarum amplexentur; cur viri ſanctitate clariſſimi eandem commendent, adeoque vſurpent. Haud hîc mihi animus definire quidnam Poëſi Græcæ primum naſcenti quæſitum: dum fortaſſe & mortalium inſcitia inſignitè rudis, & nugæ à ſuperſtitione conſecratæ fidem Poëtis obtinebant. Adeoque videmus tum Homeri Poëſim à Platonis Republica exulaſſe ceu probroſam Cœlo, & indecora de Numinibus tradentem. Sed eius loquor finem Poëſeôs, quæ poſtmodum eruditioribus ætatibus adoleuit, quæque nunc viget; dum ſcilicet eius commenta, nec fidem apud auditores, nec mulctam apud Magiſtratus, nec reprehenſionem apud probos inueniunt.

8. Nimirum igitur id Poëſis nunc agit, vt mortalium animos ſplendidè picturatos reddat imaginibus quibuſdam nouis, magnificis, admirandis. Hoc autem in tanti beneficij loco ponit genus humanum, vt Poëtis præ omnium diſciplinarum cultoribus gratiam referendam exiſtimauerit; eorum carminibus ab annorum rubigine cuſtoditis impenſiore ſtudio, quàm cæterarum quarumcunque vel ſcientiarum lucubrationibus, vel artium opificijs; eorumque frontibus non tam lauro, quàm diuinitatis opinione redimitis. Vſque adeo præclarum homines ducunt, ſplendidis meditationibus animum paſcere, quantumuis interim ſcientiæ veritatiſq; ieiunum.

CAPVT L.

Cur ſi Poëſis primā appreben-

1. IMperare mihi non poſſum, quin, te differentem interturbem, Saracenus inquit ore ſic admirabundo, tanquam aliquid ſummè inopinatum aures per-

ſionem non verò indicium attentat, & veriſimile ſectetur, & animi affectiones moueat.

Digitized by Google

perculerit. Quid verò iuuat fabulas ad veriſimilitudinem fingere, ſi fabulatoris votum non eſt vt hæ veritatem aſſimulent? Inutilis erit planè, ſi vera doces, Poëtica imitatio, quam tamen Poëſeôs animam Scriptores appellant. Ad hoc, figmenta omnino comperta, nec veritatem ſimulantia, qua vnquam efficacitate animos irritabunt? Miſericordiâ quidem tangi, eſt alienas miſerias cum ſuo corde communicare. Quis ergo eis miſereatur, quos neque miſeros, neque vlla calamitate laborantes perſpicuè norit?

Quæ opponis, occurrit Querengus, nimium probant; quocirca nihil probant, ſi veræ ſunt Dialecticorum voces. Nonne Pictura ſolertiſſima quædam imitatio eſt vnicè gratiam habens ab exprimendis examuſſim lineamentis, coloribus, geſtibus, quin etiam interiùs reconditis affectionibus eorum, qui delineantur in tabula? Nec tamen id Picturæ propoſitum eſt, vt pro ſolidis adumbrata ſubijciat, & perinde hominibus illudat, vt olim illuſit auiculis illis vuas à Zeuxi depictas roſtro appetentibus, aut equis canibusq; memoratis à Plinio hinnientibus aut latrantibus ad aſpectum equorum & canum graphicè expictorum, quos veros rebantur ac viuos. Et tamen imagines pictæ, licet ſe pictas non diſſimulent, animos vehementer afficiunt: cuius affectionis quà probæ, quà improbæ teſtimonium perhibent modò piæ lachrymæ, quas è religioſis animis eliciunt ſpirantia patientis Chriſti ſimulachra, modò lethales flammæ, quas in adoleſcentium pectoribus accendunt impudicæ tabulæ, hoc ipſo ab aliquibus magno coëmptæ, quod ſint conſopitæ libidinis irritamenta: adeo in hac Adami fæce interdum ipſa peccandi cupido pretioſa eſt. 2.

Alia igitur eſt cauſa, cur Poëſis & Pictura tam ſedulò verum imitentur, & per eam imitationem blando quodam imperio animos circumflectant. Mitto blandam illam geſtientis animi voluptatem ex notatione callidi atque artificioſi imitamenti continuò emergentem; cuius voluptatis nomine ficta veris identidem præhabemus. Sed loquor voluptatem ac perturbationes illas, quæ ante notationem atque animaduerſionem eiuſmodi à figmentis verum ſolerter imitantibus in animo procreantur. Nempe quo viuidior cognitio eſt, eò & perfectior & iucundior, & ſcilicet magis flexanima. Ideoque (vt ex arte Horatiana protritum emanauit in verbum) 3.

Segniùs irritant animos immiſſa per aures,
Quàm, quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Spirantiorem quippe imaginem ſui res obiecta delineat in mente per ſpeciem ſui vegetam, & tunc primum ab ſe ad oculos miſſam, quàm per alias obliteratas iam & ſenio elanguidas, quæ ab auribus voce perculſis excitantur in memoria. Neque alia ratione aut Poëtarum fabulæ aut Pictorum effigies, quò ſimiliùs referent in attributis quibuſcunque vel tenuiſſimis veras res & experimento cognitas ab harum contemplatoribus aut ab illarum auditoribus; eò 4.

Digitized by Google

acriùs vrgebunt mobiles earundem rerum icunculas, quæ per alias aliasq́; memoriæ plagas diſtractæ torpebant. Et porrò vehementiorem eiuſmodi icuncularum impreſſionem conſequitur &efficacior cogitatio, & commotior perturbatio.

Neque verò ad perturbationem commouendam neceſſe eſt, verum duci, quod proponitur, quemadmodum ipſe propugnabas. Id vtique Stoicis præclarè animaduerſum Epicteto inprimis lib. 5. diſputationum ab Arriano congeſtarum planiſſimè ad Zenonis & Chryſippi doctrinam. Haud negant profectò illi timorem palloremve in ſapientem cadere inter fulminum fragores atque inter furentis maris inſaniam: & tamen eam vocem religioſiſſimè ſeruant; *nil malorum extra peccata verſari*. Ne duo hæc effata videantur aduerſa, duplicem ibi timorem Epictetus diſtinguit. Alterum ortum ex opinione imminentis mali; & hunc omnino timorem à ſapientis animo ſeueriſſimè arcet. Alterum porrò ex neruoſa quadam violentaq́; imminentis mali ſpecie exteriùs obuerſante, licet nil penitiùs, quàm in phantaſiam ingreſsâ, nec ab a-
3 nimo probatâ, quin falſitatis damnatâ. Hunc enimuero timorem Epictetus cum ſapiente ſociabilem docet. Nec aliter bonus ille Stoicus Gellij comes ex- Li.14.c.1
cuſauit perturbationem facie proditam in ſummo naufragij diſcrimine, dum per Ionium conuehebantur. Huic verò Stoicorum rationi prorſus experien-
5. tia ſuffragatur. Præter exempla, quæ hac de re nuper induxi; quot ſunt, qui horrore intolerabili contremiſcunt, ſi vel incomitati per noctem ambulent, vel iuxta demortui cadauer decumbant? quibus tamen ſic timentibus planiſſimum eſt, neque Orcum nocturnum in triuijs inſidiari tranſeuntes deuoraturum; neque mortuis ad lædendos viuentes robur manſiſſe. At ſimul vehemens cogitatio rerum illarum naturâ triſtium, quæ tum propiùs obuerſantur, ſimul recordatio horridularum fabellarum, quæ à nutricibus identidem renarratæ cereis puerorum animis altè inhæſerunt, pauorem violenter extorquent ab inferiori parte animæ; ſuperiore interim parte, quippe ſecurâ diſcriminis, impauidâ atque in tranquillo. Et hanc ipſam affectionum diuerſitatem
6. inter geminas illas animæ partes (quæ geminæ animæ ob id Platoni ſunt viſæ) indicare Virgilius voluit comparatione illa inter quercum à ventis circumflantibus caudice inconcuſſam, frondibus orbatam, atque inter Troianum Heroëm, cui

Mens immota manet, lachrymæ voluuntur inanes.

7. His, quæ diſſerui, plurimùm ſuffragatur auctoritas Quintiliani, Latino- Lib.6.c.2
rum Rhetorum facilè principis, & quod huic proximum eſt, perturbationum mouendarum ſcientiſſimi. Hic porrò aſpernatus quæcunque ſuper excitandis affectibus alij ſcripſerant, eam artem vniuerſam hac vna finit præceptione, quam, inquit, non aliquo tradente, ſed experimento meo, ac Natura ipſa duce accepi. Iubet nimirum ille, Oratorem per phantaſias quaſdam, ſeu viſiones

vehementiſſimas proponere ſibi euentum illum, ſuper quo Auditores commotos vellet; ac ſedulò obijcere primò ſibi, tum verò Auditoribus ſingularia quædam, quæ in eo euentu accidiſſe credibile eſt; vt ex deſcriptione huiuſmodi conſurgat energia illa, quæ non tam dicere videtur; quàm oſtendere · per hanc enim & ipſe ardebit, & alios incendet. Neque aliunde oriri putat hic ipſe Quintilianus pellaciam illam quorundam perinſignium hiſtrionum adeo ılexanimam. Ij nempe, ait, ſic animo enixè arripiunt factum illud, quod agentes aſſimulant, vt miſericordiam, terrorem, iram experiantur in ſe non tantùm ſponte, dum perſonam ſuſtinentes melius exprimunt ore, quod verè in animo ſentiunt, ſed etiam inuiti poſtquam perſonam depoſuere. Et quidem ætate noſtra Torquatum Taſſum dum verſus effunderet, limphaticorum ritu commotum ſcimus; & neſcio quid ſimile de Bernardino Stefonio plures mihi teſtantur. Videte, quantùm prima apprehenſio, vel ſola, dominetur in appetitum, ac proinde quanti, vel ſola, facienda ſit tum à iucunditate, tum ab efficacitate.

Fateor ſanè haud me Quintiliano ſubſcribere, quod eo vno documento ars omnis Oratorum in permouendis affectibus contineatur. Sufficit ea quidem Poëtæ, ſufficit Hiſtrioni, qui conſtantem duraturamq; perturbationem excitare nihil laborant. At Orator acriorem petit ignem accendere, quàm ex vino ſtillatitio ſuſcitatum; ne fortè vaneſcat, antequam aut iudex pronunciauerit, aut auditor deliberationem peregerit. Quare longè præſtat Oratorem vti ad ciendas perturbationes argumentorum vi ac neruis ſecundùm Ariſtotelis documenta, hoc eſt, Rhetoris iuxtà ac Philoſophi longè Quintiliano præſtabilioris. Quod vtique multis ſacris Oratoribus inobſeruatum, in cauſa eſt, quod vberem ex audientium oculis fletum, at ſterilem ex operibus fructum frequenter eliciant. 8.

CAPVT LI.

colligitur ex prædictis cur Poëſis cũ laude ſectetur minuſcula illa ſingularia, q̃ negligũtur ab Hiſtoria; & quale nã veriſimile Poëſis quærat.

SAracenus nihil iam diſſentiens; Ratio iſthæc tua, inquit, explanat mihi, cur minuſcula quædam ſingularia, quibus tanquam arenulis Hiſtoria ſordeſceret, gemmarum inſtar Epicam Poëſim illuſtrent: ita vt fermè horum nomine habeat Homerus, quod Virgilio præfertur. Nempe Hiſtoriæ finis eſt rependere lectoribus, quod ſenſum effugit: dum ſcilicet temporis vel loci diſtantia eorum oculis auribusve ſubduxit caſus ab hiſtoria repoſitos. Quare non niſi grandia, vti ſenſibus tenere, ſic & ab hiſtoria doceri curamus. Atqui humana memoria breuiuſculus tanquam alueolus, haud vtiliter accipiet cuiuſuis æris nummos; quando ne aureos quidem omnes, hoc eſt, illuſtriores notitias, præ ſua paruitate vel capit, vel ſeruat. Poëſis verò, cuius præcipuum ſtudium eſt, vt admirabilia non tam cogitemus, quàm cernamus, conſultiſſimè adhibet eam leniculorum expreſſionem, quæ fabulam vero ſimillimam effingat; Nec ſanè vero qualicunque: id enim ad Poëſeôs finem inutile: ſed vero 1.

legen-

Digitized by Google

legentibus vel audientibus explorato; Vt hoc modo eiuſmodi veri ſimulachra aliàs ab eo in animis relicta ſuſcitentur ex quodam fœdere, quo animales haſce rerum imagines inter ſe ſimiles Natura colligauit: quæ ſimulachra deinceps coniuncta, ad viuum delineent in anima rem, quæ agitur, aut refertur.

2. Mirum eſt, ſubiecit Querengus, Caſteluetri ingenium ſanè peracutum poſtquam probè notauit diuerſum iſtum Epicæ Poëſeôs atque Hiſtoriæ morem, non modò eius diuerſitatis cauſam à te indicatam non vidiſſe, ſed pronunciaſſe, ideo *imitationis* nomen Epicæ Poëſi conuenire, quod huius narratio hiſtoricam narrationem imitetur ac ſimulet: ideoque Ariſtotelem expoſtulare non timeat, quod Hiſtoricam artem Poëticæ non præmiſerit. Vt enim, inquit, verum veroſimili natura & notione prius, adeoque exemplar exemplo; ſic ars verum narrandi, quæ dicitur Hiſtoria prænoſcenda eſt, quàm ars concinnendarum fabularum, hoc eſt, Poëſis; vt nimirum edoctis quænam ex veris memorabilia, & quo artificio memoranda, confeſtim pateat quænam veri figmenta, & quomodò contexere oporteat. At enim, ſi Poëſis hiſtoriam imitatur ac ſimulat, quid cauſæ eſt, cur altera ſectetur minuta illa & immemorabilia, quæ altera negligit?

3. Veruntamen talem-ne virum ac tantum latuiſſe, ficta quidem imitationes verorum eſſe, at non æque fictorum expreſſionem imitari expreſſionem veritatis? Ita enim nil opus eſt, verbi cauſa, vt pictor phantaſticus iconicam pingendi artem apprimè teneat: quando iconicæ picturæ eſt res imitari, quales omnino ſunt, modò pulchræ, modò informes; cùm è diuerſo phantaſticus pictor tales formare debeat imagines, quæ aſſimulent, non quidem ex toto, ſed è ſingulis partibus ſolitariè conſideratis, rem qualemcunque ſeu præſentem, ſeu præteritam; modò iucundam aſpectu: ac proinde alia atque alia præcepta vtrique arti ſeruanda.

Hiſtoriæ quidem eſt ea facta narrare, quæ legentibus expedit ſcire; neque verò tanti habet, vt eadem neruosè vehementerque cogitentur, ne ſeui fructu à propoſito ſibi fine longiùs auertatur. Eapropter & minuſcula præterit, & tranſlationibus modicè vtitur, & ſimilitudinibus adiunctiſq; otioſis religiosè abſtinet. Poëſis contrà id vnum laborat, vt ea cogitemus, quæ cogitare delectat: quoniam verò cogitationis delectatio naſcitur potiſſimum ex ipſius cogitationis tum perſpicuitate ac robore, tum cogitatæ rei venuſtate atque admirabilitate, ideo non eos quidem euentus Poëſis effingit, qui ſi veri eſſent, vtiliter noſcerentur, ſed eos inprimis, qui licet falſi, cogitatu tamen ſint periucundi: ac proinde ſatagit, vt eoſdem ad viuum exprimat, atque ob oculos ponat. Quod vt efficiat, eos vtique ſedulò delineat per minima quæque attributa & circumſtantias, tum verò eoſdem tranſlatis, ſimilitudinibus proſopopeijs, adiunctis, omni denique figurarum ornatu ac lumine, exoticis tanquam

quam coloribus, pingit. Neque forſan imitatio illa Poëſeôs propria, de qua vſque adeo in Scholis diſputatur, aliud tandem eſt quàm huiuſmodi *energia*, vel ſi dicere malis, *euidentia*, cuius beneficio narrata videntur potiùs quàm audiuntur. Sed hæc non ſunt huius loci.

Hæc verò in cauſa ſunt, quod ſi quiſpiam Hiſtoricus Principis viri nauigationem denarrans, ita epulum curioſè deſcriberet, vti deſcribitur à Virgilio Æneæ conuiuium apud Didonem, adiectis potationum inuitamentis & cantibus, haud leuiùs notaretur quàm Corius pro illo ſuo tam capitulatim enarrato in Valentinæ Vicecomitis nuptijs. Contrà verò, ſi quiſpiam Poëtarum decantaret turbas illas ac rixas inter patritios plebeioſque, quas cum laude Liuius accuratè perſequitur, nihilo minus faſtidij lectoribus crearet, quàm Codri Theſeis Iuuenali. Vſque adeo Hiſtoria & Poëſis ſine inuicem diſcrepant; tantumq; abeſt, vt Poëſis Veroſimili vtatur ceu quadam perſona, cuius obtentu Hiſtoriam ſe ſimulet, non Poëſim. 4.

Quin etiam ex ijs, quæ diximus, promptum eſt colligere, cur licuerit Tragico inducere Herculem Latinè loquentem, hoc eſt, linguâ nec Herculis patriæ, nec æuo vſurpatâ, cur actoribus liceat in ſcena vocem attollere adeo ſupra conſuetudinem verè colloquentium, & ſcilicet de ſummis arcanis. Vtrumque horum diſſimile vero. At Poëſis hactenus veri ſimiltudinem conſectatur, quò per hanc ſolito efficaciùs ſpectatori exprimitur fabula. Quia verò expreſſio habetur nulla, ſi verba vel non exaudiantur, vel ab exaudientibus non intelligantur, ideo tales à vero diſſimilitudines fini, quem Poëſis quærit, neceſſariæ ſunt, non modò non repugnantes. 5.

parti. 139 ap. Piccol. Neque verò abhorrere ab hac ſententia viſus eſt Ariſtoteles, quippe qui in Poëtica docet, ea etiam quæ ita luculenter & neceſſariò ſunt falſa, vt eiuſmodi falſitatem noſſe ad Poëtam ſpectet, ferenda eſſe vt opportuna, ſi modò Poëſeôs finem promoueant. Quoniam, inquit, ex opportunitate in finem, cætera laudantur aut reprehenduntur. Cuius rei exemplum affert, Troianos ab vno Achille preſſos, interdicente commilitonibus ne ſibi opem afferrent aut loco mouerentur: cùm tamen haud veroſimile vel credibile ſit multa bellatorum millia ad vnius Achillis nutum conſtitiſſe, ceu ſigna, vel truncos. Quod profectò haud veroſimile eſſe poëticæ cognitionis eſt; ad eam nempe attinet id obſeruare, non vtique ad aliam diſciplinam, ceu illud aliud, ceruas cornibus vacare. Subdit verò Ariſtoteles, ſi hic ipſe finis Poëſi parabilis fuerit citra hanc diſſimilitudinem veri, enimuero illam tunc reprehendam. Videtis Poëticæ fabulæ eum ab Ariſtotele finem præſtitui, qui neque idem ſit ac eam credi vt veram, neque omnino flagitet eam credi vt veram; quandoquidem ipſo Ariſtotele auctore, id aliquando germanum poëticæ fabulæ finem promouet, quod ejus fidem planè corrumpit. Sed vnde diſceſſimus, reuertamur. 6.

Stat

CAPVT LII.

Ex prædicto diſcrimine inter puram apprehenſionē ac iudiciū, cōcluditur in errore ipſo apprehenſionē vtiq; contineri bonū, iudicium verò malū.

1. STat ergo, ſimplicem cogitationem rerum eſſe quid boni gratiâ ſuâ. Et quia omnis aſſenſio ſimul etiam cogitatio eſt rei aſſenſæ; ideo cuilibet aſſenſioni quantumuis falſæ bonum aliquod gratiâ ſuâ deſiderabile immixtum. Quod bonum fortaſſe tanti eſt, vt ſi cogitatio nulla niſi deerrans haberi poſſet ab animo, præſtaret vtique maculoſa hæc veſtis, quàm nuditas. At ſi quæcunque in falſa aſſenſione cogitamus, hæc ipſa cogitaremus per ſimplices apprehenſiones, vti veritate vacuas, ita erroris puras; hæ proculdubio errori-
2. bus præoptandæ. Nonne videmus quanti ſit pudoris erraſſe? Quid, niſi eiuſmodi pudor, hominum pertinaciam obfirmat, & pro ſemel enunciatis tanquam pro aris & focis pugnare compellit; adeo vt non modò literarius furor in aperto diſputantes, ceu hoſtes in prælio, committat, ſed etiam hic idem pudor arreptum errorem interiùs foueat, ne animus errorem ponendo, ſibi fateatur erraſſe: cùm tamen haud æquè nos pudeat aliquid antea neſciuiſſe: ideoq; non ita odimus occultos, vti mendaces, licet mendaciolis tantùm innoxijs. Alteri enim ſcientiæ honeſtamentum noſtris animis negant, alteri nos errore commaculant.

CAPVT LIII.

Cōfirmatur ex doctrina ſuprà poſita pulchritudinem in medijs, nō in finibus bonorum eſſe.

1. HOc diſcrimen inter primam apprehenſionem ac iudicium, eum quoque habet vſum vt defendat, quod tu, Saracene, affirmaſti nudius tertius *a*, videlicet pulchritudinem per ſe ſuaq; gratiâ non eſſe contemplantis bonum.

Ita ferme tum colligebas: Perinde contemplans delectatur, modò res obiecta ſic pulchrè ſe habeat vt apparet, modò ſecus. Pulchritudo igitur in medijs bonorum ſiſtit, mutuaturq; amabilitatem omnem ſuam à iucunda cognitione, quam parit.

Hæc tamen ratio parum probabilis videri poſſet. Quilibet enim, vt vidimus, amat potiùs in verum collimare, quàm aberrare. Ergo non tantùm amatur cognitio pulchri, ſed etiam amatur eius veritas. At ſi res obiecta non eam pulchritudinem gereret, quam nobis oſtendit, vtique eius cognitio non eſſet vera. Ergo pulchritudo illa non amatur ceu purum medium: neque iucunda cognitio ipſius totum id boni continet, quod eſt in votis. Hanc enim cognitionem non vtcunque indiſcriminatim volumus, ſed ſcilicet volumus eam præditam veritate, quam veritatem ipſa rei obiectæ pulchritudo intimè componit.

a L. 1. c. 45

2. Hoc, inquam, quod aduerſus te diſputari poſſet, egregiè depellitur per diſcrimen illud nuper expoſitum inter duplex genus cognitionum. Pulchritudo quippe non recreat vti affirmata, ſed vti dilucidè cognita, & quaſi conſpecta, quamuis citra omnem affirmationem. Quare vt maximè conſtaret mihi (id quod in leuioribus ſomnijs interdum accidit) me in præſentia ſomniare, ac proinde, neque ambulationem hanc ita ſplendidè amœnam, neque areolas iſtas peregrinis floribus tam bellè picturatas, neque ſigna illa tam

Digitized by Google

affabrè ſculpta, quidquam eſſe niſi figmenta nocturnis laruis conflata, ſi tamen adhuc eadem viſio, eadem pariter oblectatio in me permaneret. Id frequenter experimur in fabulis, quæ vel efficaci ſtylo narratæ, vel callidis ab hiſtrionibus actæ pulchritudine ſua reficiunt animos, nihil admodum illis vt veris aſſentientes: quod nuper oſtendi. Et quoniam oculi alijq; ſenſus nunquam errant, quippe nihil affirmantes, quod vel in præſtigijs verum non ſit; vti hesterna die Andreas expoſuit; & prima apprehenſio veritatis æquè ac falſitatis eſt expers (id ſumo, quod pluribus ac ſapientioribus Philoſophorum placet) ideo nihil intereſt hominis contemplantis pulchritudinem, quod verè talis ea ſit, qualis in ipſa cogitatione depingitur. Quod ſi animus ab ea neruoſa cogitatione permouetur, vt veram pulchritudinem ibi adeſſe falsò credat, pulchritudo tamen, quà pulchritudo eſt, non oblectat per huiuſmodi errorem, ſed per viuidam illam cogitationem, aut viſionem, quæ remanere poſſet emendato etiam opinionis errore.

Li. 2. c. 27

CAPVT LIV.

Cõfuſa & ambigua vocabula declarare quanti ſit ad philoſophiam.

Maiores iam vicinis è montibus decidebant vmbræ, rigebatq; paulò inclementius cœlum appropinquantis noctis afflatu. Ideo Cardinalis; accitâ ad remigrandum rhedâ, videtur, inquit, aliud ſi ſupereſt hac in re diſputandum, id quidem vſui fore, vt non tam curru vecti, quàm alis perciti redeamus. Sicut enim moleſtia ea tandem res eſt, quæ Tempori facit *Claudo* nomen; ita pennas eidem Voluptas commodat. Nec mora: currum conſcendunt, vbi Saracenus ita Querengum affatur. 1.

Præclarè mihi patrocinatus es; Equidem prius quàm ipſe pro me cauſam diceres, iam in ſinu causâ cecideram. Sed intelligo, quàm verè doceat Ariſtoteles ſophiſticen vniuerſam multiplici, adeoque ancipiti verborum poteſtate contineri; verba enim, ait, numerabilia ſunt, res verò ſignificandæ innumerabiles: qua de cauſa frequenter opus eſt vno eodemque verbo rem aliam atque aliam notari. Ex hac nimirum egeſtate ſermonis Ariſtoteli obſeruatâ fit nonnunquam diſputantibus perinde illudi, ac Romano cuipiam, qui Neapoli hoſpes morabatur. Hic ſanè quadam die præcepto ieiunio ſacrâ manſerat penes amicum Neapolitanum ad multam noctem, epiſtolis communi ſuper negotio ſcriptitandis. Quibus confectis, audit amicum illum famulo præcipientem, vt quiddam afferret, eoq; ad id appellandum vtentem vocabulo, quo Romæ adeoq; in reliqua Italia nominatur placenta dulciaria ex amygdalis. Enimuero tum Romanus ratus inuitari ſic obliquè ſe ab amico cœnulæ apud eum ſumendæ, confeſtim officij causâ refragari, & amici famulum enixè rogare, ne rem illam apportaret. At famulus hero obſequutus, alueolum detulit, vbi epiſtolare inſtrumentum ad litteras obſignandas aſſeruatur. Eiuſmodi namque alueoli tali vocabulo Neapoli nuncupantur. Quocirca Romanus ex dulciarijs, quæ verbis palam recuſarat, ſpe tacita deuorauerat, nihil niſi fruſtrationis & pudoris amaritiem deguſtauit.

1 Elĕc. c. 1 2.

Sed

Digitized by Google

3\. Sed præter conſimiles fallacias, quas linguarum vel dialectorum diuerſitas nectit, aliæ inſuper in vnâ & eâdem linguâ ac dialecto ex verborum inopia naſcuntur. Huc verò non malè reuocauerimus ſophiſmata extructa per nomina quædam generalia, quæ modò pro vniuerſo genere, modò pro vnâ tantùm eius parte accipiuntur. Ita, quia hoc nomen *cognitio* tam puris apprehenſionibus, quàm etiam aſſenſionibus commune eſt, ego ſanè cùm intelligerem pulchritudinis delectamentum in cognitione verſari, cognitionem verò magis expetendam, ſi cum re obiecta conſentiat; neceſſariò ex his colligi opinabar, cognitionem pulchri, qua delectamur, eſſe vtique optabiliorem, ſi pulchrum ipſum, quod cognoſcitur, verum ſit, non euanidum prorſus & fictum. Nec obſeruabam, cùm dicimus, eam cognitionem eſſe meliorem, quæ congruit cum re obiecta, tum quidem hoc nomen *cognitio* non ſonare genus vniuerſum, ſed ſpeciem tantùmmodo præcipuam, hoc eſt, *aſſenſionem*. Puta enim apprehenſio, quippe negationi iuxtà & affirmationi ſociabilis, non magis congruit cum re obiecta, ſi hæc eſt, quàm ſi non eſt. Atque hinc denique
4\. apparet, quàm ſapienter ſubtiliores quidam Philoſophi, ob id ipſum *Nominales* appellati, id præcipuè in omni quæſtione laborauerint, vt multiplicem nominum ſignificationem interſtinguerent; hac induſtria bonam partem & quæſtionum & argumentorum enodantes; non ſine aliqua inuidia apud alias philoſophantium ſectas.

CAPVT LV. *Cur aliq errores licet detecti laudē pariāt errāti: Quid ſignificet ingenium. Quidqd ſingulare ſapiētum eſt, id ōne in apprehenſione, nō in aſſēſione verſatur.*

1\. VNum habeo ſuper errore adhuc mihi imperſpicuum. Si quilibet error errantis eſt malum, quid eſt quod aliqui errores præſertim in tyronibus commendantur: ceu cùm diſcipulus ex quapiam concluſione à ſe adinuentâ, mendoſâ quidem, ſed veritatem oſtendente, & explicatu perarduâ, in falſam aſſenſionem traducitur. Tunc enim à condiſcipulis, adeoq; à præceptore laudatur, nedum culpetur.

2\. Plura ſunt, quæ iſthuc efficiunt, Querengus reſpondit. Primùm ſanè tum laudatur ingenium diſcipuli ſcrutatum rationes adeo retruſas & à vulgari acie planè remotas. Etenim eximium illud Naturæ donum, quod vocamus *ingenium*, in eo planè verſatur, vt per ſolertes apprehenſiones ea nectantur, quæ prorſus videbantur aliena; deprehenſis occultis quibuſdam amicitiæ veſtigijs in ipſa rerum mutuò pugnantium aduerſitate, introſpecta vnitate aliqua Naturæ in ſumma generum diſſimilitudine; retecto fœdere aliquo, & cognatione cæteris inaſpectâ.
3\. Nimirum callidè Natura conglutinauit inter ſe quaſcunque vel maximè diſſitas effectorum ſuorum formas: & huc fortaſſe pertinuit aurea illa Homeri catena. Neque in hac rerum vniuerſitate inuenias rem vſque adeo ſolitariam, & à cæteris ſegregatam, quin inter philoſophiæ labyrinthos filum aliquod aureum ſuppeditet, quo ad cuiuſlibet alterius rei vel ſummè alienæ latentiſq; notionem adducamur. Veruntamen fila eiuſmodi aurea,

quantùm ex materia lucent, tantundem ex tenuitate diſparent. Ars porrò qua dignoſcantur, octo libris Ariſtotelicæ Topicæ continetur: ibi enim ſedes indicantur argumentorum ad diſputandum probabiliter ſuper vnaquaque re in vtramque ſententiam. At enim quæ cibi, quæ pharmaci vtilitas, ni calor inſit ſtomacho ad perficiendum? Ita planè quæ artis, quæ præceptorum vtilitas, vbi torpet ingenium? Ergo nulla ſolertior Topice, quàm natiuum acumen ingenij. Quid-nam, rogo, exiſtimatis vſque adeo commendari, ex. gr. in Euclide? Iudicium-ne in aſſentiendo mathematicis rationibus ſuis. Nihil minus. Ea eſt illarum euidentia, quæ planè cogit aſſenſum, neque vlla tyronis eſt tarditas, quin eas ritè ſemel intellectas confeſtim probet. Haud igitur eas approbaſſe, ſed inueniſſe, laus Euclidis eſt ſumma; cuius ipſe laudis nomine nulli mortalium decedit ingenij gloriâ. Quin ſi locus pateretur, demonſtrarem in hac apprehendendi fœlicitate ac celeritate ſcientiam vniuerſam, quà contemplatricem, qua actuoſam contineri; atque adeo ex eiuſdem dotis vacuitate amentiam omnem proficiſci; quidquid Galenus arbitretur per illam vitalium munerum varietatem varijs cerebri ventriculis ab eo aſſignatam. Non id quidem aio, mentis perfectionem in ſimplice cogitatione non in aſſenſu conſummari: at aſſeuero aſſenſionum diuerſitatem (niſi appetitus mentem flectat in alterutram partem) ex apprehenſionum diuerſitate pendere: ideóque naturâlem hanc dotem, qua ad probè multumque apprehendendum inſtruimur, id ipſum omnino eſſe, quo donari poſſumus à Natura, vt probè multumque iudicemus. Ita ex. gr. altricis facultatis extremum bonum non in eo eſt, vt cibus concoquatur, ſed vt ex eo proba nutricatio exiſtat; in altrice tamen facultate laudatur præcipuè ſtomachi vis ad concoquendum: probam quippe concoctionem proba nutricatio conſequitur. Imò verò in ipſo exemplo à te producto error diſcipuli manat ex aliquo apprehenſionis vitio: quippe non occurrunt diſcipulo rationes illæ, quæ occurrentes præceptori errorem aperiunt diſcipulo incompertum. Quin ipſe præceptor, vbi diſcipuli ſophiſma diſſoluit, atque errorem excutit, haudquaquam per ſe veram aſſenſionem in diſcipuli mentem inducit, ſed hoc tantùm verbis efficit, vt in animo diſcipuli excitetur cogitatio illarum rationum, quæ ritè apprehenſæ veram in eo procreant aſſenſionem. Haud enim aliud vtilitatis impertiunt nobis quà ſermones, quà ſcripturæ virorum ſapientum. Tota vocum & characterum efficacitas in eo verſatur, vt aurium, vel oculorum operâ cieantur in phantaſia certarum rerum imagines, eoque modo iungantur, vt hæc vel illa cogitatio in audientibus vel legentibus erumpat. Quidquid poſtea in animo perficitur, nihil efficiente ſermone, ſcriptove perficitur, ſed vnam effectricem habet Naturam.

In the margin, keyed to the lines above: 4. (beside "in-ſit ſtomacho"), 5. (beside "demonſtrarem"), 6. (beside "aliquo").

in Menone. Ideo Socrates apud Platonem contendebat, ſcientiam noſtram, quantacunque eſt, meram eſſe recordationem. Quippe adoleſcentem, cui ſtude- 7.

bat

bat imponere, interrogabat eiuſmodi ſolertiâ, vt opportunis cogitationibus in eo procreatis, exprimeret ille confeſtim ex adoleſcentis animo atque ore affirmationes aut negationes veras ac ratas, perinde ac ſi quæſtiones illæ adoleſcentis animo longè antea patuiſſent. Id verò quod tunc interrogantis præceptoris obtinebat induſtria, id ipſum diſcipuli nonnunquam efficit perſpicacia, vſque adeo ſolertis ac celeris ad ritè apprehendenda quæcunque traduntur à præceptore, vt veris dictis perinde aſſentiat, ac ſi, quæ audit, non primùm diſceret, ſed multò antè percepta recordaretur. Quod ipſum de Moyſe puero, & Ægyptijs literis operam dante, meminit Philo. *li. 1. de vita Moyſis.*

8. In eo igitur exemplo, quod poſuiſti, laudatur acumen diſcipuli rimati rationem, illam quamuis fallacem, certè abditam credibilemque, ac minimè obuiam. Et ſanè quamuis acumen illud ingenij plus damni, quàm compendij tunc afferat adoleſcenti, inde tamen haud leuis affulget ſpes redemptum iri hoc damnum longè maiori fructu inpoſterum extituro. Id enim frequenter vſuvenit; quiſquis in excogitando ſagacior, hic idem, quippe ſubtiliori acie inſtructus, item in iudicando melior, & ſcientiæ opibus tandem copioſior ac ditior. Præclarè Quintilianus in re non abſimili: *Si qua dicta ſunt iuueniliter, pro indole accipiuntur.* *Li. 12. c. 5* Ita ſe res habet; neque verò nouum eſt, ex malo ipſo lætitiam & laudem emergere, id ſi malum potioris boni præferat argumentum. An non gaudemus fame vrgeri, licet fames miſeria demum ſit ac moleſtia, quia fames argumentum eſt vegeti copioſique caloris diu vitam ac valetudinem nobis conſeruaturi? An non laudamus acerrimum tactum in quibuſdam hominibus, qui vel in cubiculo bene occluſo minimam quamque Cœli varietatem ſentiunt; licet vtique malum ſit, ab ea Cœli mutatiuncula cæteris innoxia compungi ac lædi; quia tactus acrior index eſt præſtantioris ingenij?

CAPVT LVI.

Aliqui errores laudātur, quia plus côtinēt veritatis quā erroris.

1. Altera ſubeſt cauſa, cur eiuſmodi errores laudantur; illi cauſæ perſimilis, in quam Philoſophi non incelebres ſalſum maritimæ aquæ ſaporem retulerunt. Aiunt, eiuſmodi ſaporem haud aquæ ab exortu inſitum, ſed inditum è ſalinis mari permixtis. Verè-ne, an falsò ita diſputent, nil definio. Quod pertinet ad rem noſtram, certè ſi eiuſmodi errores, qui laudantur, exquiſitè penituſque rimabimur, eos maiori vtique veritate quàm falſitate conſtantes deprehendemus. Etenim errores eiuſmodi haud puræ primæque ſunt aſſenſiones nulla ex ratiocinatione progenitæ, ſed concluſiones longa ſyllogiſmorum ſerie deſcendentes. Quod ſi aliqua vna ex innumeris enunciationibus, ex quibus eiuſmodi concluſiones naſcuntur, falſa fuerit, continuò concluſio ipſa falſitate corrumpitur. Iam verò in vniuerſa illa ratiocinatione peracutâ, ſed mendoſâ, quam in tyronibus, adeoq; in veteranis interdum demiramur, quot, rogo, vera effata, quot veræ concluſiones immixtæ; & quidem

Digitized by Google

ſingulares, ac vulgo ignoratæ? Sic omnino vitioſæ quædam rationes inſignium Mathematicorum ad demonſtrandum quadratum aliquod circulo æquale, in pretio ſunt, quia multa vera ac pulchra demonſtrant in ſuperioribus ſyllogiſmis ratis atque integris, antequam ad poſteriorem mancum vtiquè fallacemq; deueniant. Quin illa ipſa poſitio, quæ falſa eſt, erit certè probabilis: Quocirca eius probabilitatem noſſe, eſt aliqua germana ſcientia; licet eandem poſitionem non tantùm vt probabilem, ſed vt veram aſſeuerare, aliqua tanquam nebula ſit, quæ huiuſmodi ſcientiæ nitorem inſyncerum reddit ac maculoſum. Ea igitur, quam prædixi, ſcientia ſplendidis hiſce erroribus inuoluta, illud auri occulti eſt, quod ibi laudatur ac placet; adeoq; abundè redimit quidquid ſordidum, atque informe commixta falſitas, ceu lutum auri fodinis innatum, præfert. Scilicet vera illa tam incomperta deprehendere, eximia eſt acutioris ingenij laus: At contrà in falſo tam doloſo cæcoque hallucinari, non eſt huius nominatim hominis, ſed humanæ Naturæ vitium.

Vix ea dicta, cùm ad Arcem ſe perueniſſe iam vident; Tum Cardinalis vtrumque inſpiciens ita eos humanè compellat. Quæ pro Errore, & in Errorem vtrinque tam præclarè diſputaſtis, parum abeſt quin poſt ſe habeant celeberrimas illas Platonis orationes pro Iniuſtitia, & contra Iniuſtitiam.

Quæ dum enunciarentur, è curru deſcenderunt eâ geſtientes lætitiâ, qua dies egregiè conſumptus veſperum ſuauiſſimè condit.

FINIS LIBRI TERTII.

Poſi-

Poſitiones in Tertio Libro firmatæ.

1. Duo munera diſtinguenda ſunt in Natura; alterum *Naturæ peculiaris*, alterum *Naturæ vniuerſalis*. Hæc non ſolum eſſe ſubſtantiarum intendit.

2. Finis cui laborauit Natura vniuerſalis in Mundi ſtructura nihil fuere corpora ſenſus expertia. Hæc enim nec beneuolè amari queunt, nec in ea bonum aut malum illorum cadit. Effatum verò illud, *Omne ens eſt bonum*, non intelligitur preſsè de bonitate in ratione finis, ſed vel in ratione finis, vel medij.

3. Eſſe cuiuslibet ſubſtantiæ eſt *finis qui*, comparatè ad ſuam Naturam peculiarem; & etiam per translationem eſt *finis cui*. Sed comparatè ad Naturam vniuerſalem eſt medium directum in ſuas proprietates atque effecta.

4. Non quilibet finis præſtantior eſt medio ad ſe directo, ſed hæc præſtantia propria eſt finis integri.

5. Tota hæc Vniuerſitas & ſingulæ partes illius extructæ ſunt gratiâ rerum cognoſcentium.

6. In belluas cadit proprium earum bonum ac malum, adeoq; poſſunt beneuolè diligi. Nequeunt tamen amicitiâ cuipiam iungi: Mundus hic etiam earum gratiâ conditus eſt. Preſſiùs tamen ſolius hominis gratiâ conditus dici poteſt.

7. Non quia homo quippiam boni è ſingulis corporibus ad ſe deriuet, ritè concluditur, Mundum hominis gratiâ conformatum; ſed ritè hoc idem concluditur, quia homo plus voluptatis haurit ex hoc Vniuerſo, quàm reliquæ animantes. Imò ipſius hominis bono Natura conſuluit, dum eum inter animalia ſummè egenum procreauit.

8. Etiam è ſenſibus plus voluptatis homini, quàm belluis obuenit. Ipſe animalium eſt potentiſſimus. Potentia ac dominium in rebus effectis nihil aliud tandem eſt niſi facultas mouendi, collocandi, pellendi, adeoq; immutandi & corrumpendi rem illam, in qua dominamur. Hinc ſequitur, hominem naturâ dominum Terræ, non item Cœli.

9. An-

9. Angeli præſtant homini,quia ſecreti à corpore, atque immortales. Humanus animus ſuapte natura minus lætabili conditione vteretur morte obita,quàm dum viuebat in corpore, ſegregato præmio, quod eius operibus honeſtè actis rependeret Deus. Mundum tamen homini, non Angelis conditum ritè probatur.

10. Deo pugnat ita eſſe finem, vt res effectæ cum eo comparatæ ſint media. Poteſt eſſe finis *cui* rerum ab ſe effectarum; Quippe etiam exteriora ſunt aliquando in finibus bonorum, ita vt ſint *fines qui*. Eiuſmodi exteriora ſunt omnino duæ res, Amor atque Honor.

11. Oportuit ſuapte natura placere Deo amorem atque honorem ſuum; alioqui nihil Deus poſſet efficere, neque honeſtè & laudabiliter agere.

12. Solus Deus eſt *finis cui* extremus rerum omnium: ipſe tamen per ingenuam amicitiam diligit res alias ratione vtentes, & earum gratiâ agit.

13. Fines bonorum interiores phyſici tres omnino ſunt: *eſſe*, *cognoſcere*, *delectari*. Quicunque amor ac ſpes delectatione aliqua imbuitur.

14. Nullum bonorum deſiderabile eſt, niſi vt delectationem afferens. Ipſum *eſſe* per ſe non ſemper eſt materia delectationis: ſecùs accidit in *ſcientia*, licet hæc ipſa nonnunquam, ſi conſideretur vt medium, moleſtiam pariat.

15. Bonis prædictis plus eſt ſuauitatis & pretij, aliquo ſi naturali iure & dote aliqua interiore ac propria, quàm ſi alieno planeq; indebito beneficio poſſideantur. Ideo quædam bona præter illa tria deſiderationem mouent ſuo merito, ac tanquam fines, modò iungantur cum aliquo illorum trium.

16. Error ipſe per ſe vniuerſim eſt malus. Interdum tamen plus boni, quàm mali fouet, non quidem quà error, ſed vel quà plus in eo veritatis latet quàm falſitatis, vel quà bonum primæ apprehenſionis proprium in ipſo errore verſatur.

17. Prima apprehenſio eſt in finibus bonorum, atque hunc ipſum finem Poëſis quærit. Ea enim ars haudquaquam ſtudet imponere, ac falſum pro vero ſubijcere, ſed ad viuum res mira-

biles

Digitized by Google

biles vincta dictione repræſentare. In hunc porrò finem veroſimiles fabulas ornat concinnatque.

18. Falſum, vel maximè compertum affectus mouet in nobis viuæ neruoſæq; apprehenſionis operâ.

19. Poëſis non eſt imitatio Hiſtoriæ: quærunt enim hæ artes alium atque alium finem per alia atque alia media.

20. Confirmatur vltima Concluſio Libri primi; pulchritudinem non eſſe bonum aſpicienti optabile gratiâ ſuâ, ſed gratiâ ſuauis viſionis, quam parit.

Digitized by Google

DE BONO
LIBER QVARTVS.

ILLVSTRISS. & REVERENDISS. D. IVLIO ROSPILIOSO Tarſenſi Archiepiſcopo, & pro ſummo Pontifice apud Regem Hiſpaniarum Nuncio.

PARTIS PRIORIS CAPVT PRIMVM.

NOn vnus eſt Solis calor, qui plantas in hortis educit & e- 1.
ducat; ſoli etiam ali eas pinguitudine, & opportunis a-
quarum irrigationibus allui neceſſe eſt. Ita planè vir-
tutes in Vrbibus populiſq; ex vno diuinoq; inſpectu hone-
ſtatis radio florere non ſolent; præmiorum etiam illiciis
vberrimè prouocentur oportet. Proinde, ſiquidem cæ-
tera, quæ apud homines in terris erogari poterant præmia, & numero per-
pauca erant, & ea conditione, naturaq; vt conceſſa ſemel alteri, alteri
ſimul adimerentur, eam ob rem, quò in omnibus inhæreret, atque ado-
leſceret virtus, generis eiuſmodi præmium inuentum commonſtratumq;
à Natura fuit, cuius in humana Republica inexhauſtum perpetuò foret æ-
rarium: adeo vt eius in multos profuſio nihil eam vnquam imminueret
vbertatem, qua digniſſimi etiam alij plurimi liberè poſſent liberaliterq;
ditari. Præmium hoc laus fuit; ille nimirum, cuius vnicè appetentiſſima
eſt natura humana, theſaurus, cuius tanquam vberrima ſemper vena
os humanum eſt.

Hominis tamen ambitio præclarum adeo inuentum ſibi, ſuoq; bono 2.
à Natura commonſtratum eludere atque euertere conata eſt. Hac igitur
poti-

potiri merce, non ſatis cuique hominum fuit: illâ ſolus vnuſquiſque potiri percupijt, neque in ea ſe alteri paſſus eſt parem. Alienam quiſque inopiam diuitias arbitratus eſt ſuas, vniusq; ſui laudi tribuit reliqui generis naturæq; ſuæ infamiam aut obſcuritatem, humanum genus omne cæteris in partibus illaudatum volens & illaudabile. Hinc eſt quod earum nobilium alumni diſciplinarum, quæ pretium præmiumq; gloriam habent, non minus inter ſe diſſident, quàm mechanicarum artium æri nummisq; ſeruientium tractatores, inter quos proinde alterius lucrum artificis, lucrum alteri eiuſdem artis opifici aut demit, aut minuit. Prô quam hæc miſeranda ſcabies eſt, quæ litteratorum animos vlcerat, ſortemq; infælicem ac nomen ſapientiæ propè facit infame. Quid verò?
3. *in plurimos quanquam ſerpat hoc virus; hac ſanè peſte tam ſordidâ tua nunquam inhalata mens fuit, Præſul Illuſtriſſime, Iuli Roſpilioſe. Imò cum & ſcientia doctrinaq; ſingulari, & dignitatis gradu, quo à principalibus epiſtolis Vrbano VIII. cui nunc parentamus, plures annos adfuiſti, cum, inquam, his nominibus titulisq; teſtis ipſe ſis alienæ virtutis ſpectatus pariter, & ſpectandus, Tua ipſius fælicitati duxiſti litteratos viros fauore ſtudioq; complecti, tuæq; gloriæ illos honeſtiſſimis laudibus exornare. Et tu quidem ab optimo remuneratore i eo præmium accepiſti virtutis. Nempe ita planè effectum eſt, vt quod in te Inuidia virus euomeret, non haberet, tuæq; incrementa fortunæ omnium eſſent vota, tua præconia cunctorum voces. Equidem fateor tuum hoc in litteratorum Rempublicam ſingulare promeritum, non minùs quam tot mea tibi debita obſeruantiæ nomina inuitamento mihi fuiſſe, vt meis ex hiſce Libris aliquem, ceu beneuolentiæ argumentum tibi offerrem. Mundanum quicunque ſe cum Socrate facit ac profitetur, eos amare primo loco debet, qui bene de hac rerum vniuerſitate promeriti ſunt; illud animo ſecum reputans, repetensq; memoriâ, ſupra res omnes amandam eſſe virtutem, eamq; demum nihil eſſe, niſi quod hominum vniuerſitati vniuerſim prodeſt.*

Hæ ſunt quæ me rationes impellunt, aliquem vt ex hiſce ingenij mei
4. *fætibus tuo nomini nuncupatum velim. At neque inconſultò quartum hunc inter cæteros librum ad id præſtandum lego. Argumentum ipſius naturalis fælicitas eſt; ille nempe theſaurus, ille triumphus, Regnum illud, ſummum illud bonum, quo ſuos intra limites contentus potiri homo poteſt, nulla ope, gratiaq; vnicè, mereq; cæleſti ad conſortium com-*

 munio-

Digitized by Google

munionemq; diuinitatis euectus. Iam verò dotes illæ, quibus aureis veluti licijs chlamys hæc regia hominis fortunatiſſimi inter mortales texitur, in te præcipuè mihi planè videntur Cœli beneficio fuiſſe congeſtæ. Natalium ſplendor, diuitiarum affluentia, ſermonis comitas, ingenij acumen, prudentiæ pondus, doctrinæ opulentia, morum candor, famæ plauſus, fauor populi, gratia Principum; quodq; rariſſimum decus eſt, fortuna fælicitas inuiſa nemini, in neminem inſolens & ſuperba. Dotes hæ omnes, quæ cuipiam te probè non tenenti de laudatorum more à me videri poſſent expreſſæ, vt aliquod ita mihi Idolum effingerem, non tui vt imaginem imitarer, omnes, inquam, ei qui te percalleat, adeo in te indubitatæ ſpectantur, parcior vt ego earum potiùs enumerator habendus ſim, quam ſtudioſior atque beneuolentior amplificator. Et ego quidem hac in epiſtola, vt in alijs etiam hoc volumine comprehenſis, me à venia qualibet eximo, quæ huiuſmodi dedicationibus ab ipſo dari ſolet vſu, à quo poteſtas omnibus fit, vt in earum ſcriptione laudibus affluant, licet exaggeratis, non tamen ampliùs mendacibus, poſtquam ijs ille magna ex parte primam primigenamq; ſignificationem ademit: meaq; pronunciata legibus ſubijcio ſeueriſſimæ veritatis; ea omnia ſic volens, vt ad ſeueram propriæ vocis ſenſusq; libellam, non ad vſitatæ imminutionis mitiores leges, ſeu ingenua ſeu fallacia pronuncientur. Quin imò de induſtria eos inter eximios viros, quos præcipuâ & obſeruantiâ veneror, & caritate complector, illos nominatim delegi, hiſce libellis inſcribendos ceu Patronos, ſuper quibus vix eſſe queat ſuſpicioni locus, ad eos me potentiæ magis, quàm ſapientiæ, interiorumq; laudum ſplendore pellectum. Quàm enim humilitas abiectioq; ſeruilis eſt fortunam in alijs adorare, tam nobilis magniq; animi eſt alienæ virtuti ſponte ſe facere vectigalem. Tua mihi humanitas certam ſpem facit, meum hoc munus tibi gratum fore, cum magnarum ingentiumq; animarum ſit earum præcipuè, quæ propiùs ad diuinitatem accedunt, hoc etiam imitari Deum, quod ille in excipiendis gratè muneribus, ipſius æſtimatione ducitur largitoris, neque aliam certè ob cauſam gratiùs quàm cœnum à nobis excipit aurum, niſi quod magis quàm cœnum in amore nobis eſt aurum.

Con-

Digitized by Google

1. COnſequuta proximè dies non æquè ſerena & hilaris, ac prior affulſit; at nonnullis inuoluta nubibus, aliquibus etiam demiſſæ pluuiæ guttis aſperſa; Quare locus fuit oblectamentis tantummodo à ſapientia quæſitis, quæ ſupra nubes euectum, nulliq; obnoxium pluuiæ colit olympum; & vel in medijs ipſis turbinibus ſerenitatem facit.

CAPVT II. Plurima de naturali fœlicitate ſõtentia.

Cardinalis igitur pijs in Deum officijs perquam tempeſtiuè perfunctus, quibus ille ſemper primas diei partes conſecrabat, hoſpites Saracenumque magnificentiſſimam conuocari iuſſit in Aulam: Suorum ibi Maiorum inter cæteros maximè nobilium vultus coloribus aſpiciebantur expreſſi, quos Querengus intuitus; Ne tuo, ait, Cardinalis Illuſtriſſime, animo reputes, tibi à me gloriæ tribui, quod eius ipſe ſis arboris fructus, quæ aureos habet ramos, at quod ipſe aureum in hac arbore pomum es; & quod è claris adeo Maioribus originem trahens, talis omnino ſis nepos, qualem à Cœlo ſuæ virtutis præmium talium Auorum vota depopoſciſſent.

2. At Cardinalis modeſtè hiſce laudibus interceptis; Ne ſuo, inquit, Andream tempore defraudemus. Materia ſiquidem immenſa eſt, horæ verò diei breuiuſculæ. Eiq; mox indicauit vultu, ſe in deſiderio ipſius audiendi iam eſſe. Quare Andreas obſequentis in ſpeciem primùm ſeſe demittens, in hanc rationem aggreſſus eſt.

Sententiæ definitioneſque fœlicitatis tam ſanè variæ ac tot fuerunt, vt octodecim ſupra ducentas relatus ab Auguſtino in Libris de Ciuitate Dei Varro percenſuerit; quanquam eas ille contrahit ad duodecim. Atque illas ego ſingulas ſi diſcutere ſingillatim vellem, neque plures ſatis eſſent operi dies, neque alium prolixiore de tædio colligerem fructum, niſi quod aliorum errata damnarem. Variarum igitur ſententiarum auctores perparcè mihi propoſitum eſt afferre; eoque potiùs quod vniuersè accepimus à Natura lumine diſceptabo; Quæ vtique Natura ſi nos vt ad fœlicitatem pertingeremus aptauit, par eſt vt ſatis etiam commonſtrauerit vbinam fœlicitas inueniri poſſit; Cum hæc à nobis induſtria ſolertiaq; perquirenda ſit, non otioſè per inertiam expectanda, vt è Cœlo nobis in ſinum depluat; quod ex Auguſtini ſententia obcæcatis impietate ſua Idololatris fraus ex ipſo Tartaro nata perſuadere tentauit, quæ inter eos Fortunæ numen inuexit, vt homines fœlicitatem ex ipſa poſcentes, eius adipiſcendæ veras honeſtaſque artes negligendo contemnerent.

De Ciuit. Dei l. 4. c. 19.

1. FOelicitatem cum dicimus, optimum, maximeq; cunctis optabilem in hac rerum conditione ſtatum intelligimus. In hac, inquam, rerum conditione; ſcitiſſimè ſiquidem aduertit Ariſtoteles, hac in diſceptatione de hominum

CAPVT III. Fœlicitatis humanæ nomine, haud ſummum ſictitiumq; bonum intelligitur, at ſtatus inter homines inſigniter bonus.

Digitized by Google

non Deorum fœlicitate perquiri: Adeoq; non fictitiam aliquam fœlicitatem quærimus, de qua tunc fortè loquutus eſt Plato, cum dixit, fœlices aut nullos aut rariſſimos inueniri: perinde quaſi Stoici ſapientis inſtar fœlix ipſe ſit, qui ſapiens, vt Stoici autumant, cum Phœnice ſemel vix quinto quoque exoritur ſæculo. At verò de illo quærimus genere fœlicitatis, qua non pauci perfrui homines poſſint, req; ipſa nonnunquam etiam perfruantur. His ita explicatis, 2.
Herod. l. 1 ineptum inſipiensq; effatum illud Solonis fuiſſe conficitur, qui ob iniurias fortunæ omnibus impendentes fœlicem inter mortales vocari poſſe neminem Crœſo reſpondit. Neque inſcitè minùs ij philoſophantur, qui hoc illudve mortalium genus à fœlicitate reijciunt, quod aut omnibus non potiuntur bonis, aut malis omnibus non eximuntur: Quaſi verò nec potens eâdem ratione dicendus ſit, qui terrarum in vniuerſum Orbem imperium non prouexerit, neque ſapiens, qui diſciplinarum artiumque omnium notionem complexionemq; non teneat. Quam igitur indagamus, fœlicitas, non illa in vnum apicem gradus altiſſimi coarctatur, at maior minorve poteſt in ſtatu vario inueniri, neque ipſa bonorum omnium complexione conficitur, at eorum duntaxat, quæ ſi deſint, vita maximè voluptuoſa optabiliſq; eſſe non poteſt. Cætera quidem bona illam ſui poſſeſſione perficiunt, non tamen ſui defectu abſentiaq; confeſtim euertunt. 3.

Illud etiam aduerti fœlicitatis nomine *ſtatum optimum* intelligi, quæ vox *ſtatus* bonum conſtans diuturnumque ſignificat. Quamobrem ſiquidem actus omnes labuntur ac pereunt, in ipſis, quam quærimus, fœlicitas ſita eſſe non poteſt, at ipſorum gratiâ (& in hac ſententia, vt ſuſpicor, loquutus eſt Ariſtoteles, qui eam in actibus collocauit) in ijs nempe animæ facultatibus, ijs in habitibus, in ea fortunæ conditione, è quibus optimi ac iucundiſſimi diu deducendi ſint actus, ijſdemq; praui & moleſti prohibeantur. Ita planè haud ille diues eſt, cui vno tantùm anno ſua prædia faciunt vbertatem, at qui eiuſmodi potitur prædijs, è quibus poſſint ſingulos in annos vberrimi expectari prouentus. Indubitatum quidem eſt, non alio nomine in pretio prædium eſſe, niſi quia prouentum facit; ſed tamen quia teritur hic breui, prædiumq; perſtat, ac nouos perpetuò prouentus facit, poſterius hoc in maiori æſtimatione ponitur dominorum. Atque huc Querengi animaduerſio facit, ſupra finem ipſum media nonnunquam æſtimari. 4.

Hæc ſanè animaduerſio celeberrimas illas infirmat rationes, quæ confici ſolent ad euincendum, nec in virtute ſitam eſſe, nec in diuitijs fœlicitatem, ſiquidem alium in finem meliorem ipſis fuerunt ambæ pariter comparatæ. Si melior hic finis ad quem ipſæ comparatę ſunt, ſtatum faceret diuturnum, conficiens eſſet argumentum; at verò ſi actus eſt ipſe non conſiſtens; at fluxus, non efficit ſanè, quo minùs in ijs, quæ diximus, bonis fœlicitas collocetur.

No-

Digitized by Google

CAPVT IV.

Bonorum vltimorũ numerus.

1. NOmine in hanc rationem explicato, illud memoriâ repetendum iam eſt, ſeptem fuiſſe *bona* hoc à nobis nomine comprehenſa, ſex vtique in rebus conſtituta, ſeptimum quod non res eſt, ſed mera priuatio. Et ex prioribus quidem alia phyſica & nobis inhærentia: ſcilicet tria illa, *Eſſe, ſcire, gaudere.* Alia phyſica item, ſed extra nos, nimirum *amor* & *honor*. Morale vnum, illud eſt *honeſtas actuum*. Septimum, quod mera priuatio, & illud *immunitas* eſt *à malo*. Hoc verò in quinque priuationes diuidi omnino poteſt, *erroris* ſcilicet ac *doloris*, quæ vera, phyſica, intimeque ſunt mala, *culpa*, quod malum eſt verum, intimum ac morale; *odij* atque *infamiæ*, quæ duo mala ſunt extraria. Illæ igitur fœlicitatis erunt partes, quæ ſtatui eiuſmodi bonis affluenti formando conſentient: interque fœlicitatis partes illa omnino potiſſima cenſenda erit, quæ aut ex enumeratis bonis afferat præſtantiſſima, aut eorundem cauſa ſit efficacior ac diuturnior.

Fœlicitas in medijs præcipuè ſita eſt.

2. Quod ſi ex patentiſſimo arguere velimus indicio, duas inter res vtra potior ſit fœlicitatis pars, ita ſtatuamus. Eam eſſe, quæ à viris prudentibus (hoc eſt, ab ijs, qui rariùs erroribus ſeducuntur) cum abeſt, experi vehementiùs ſolet, quæque, cum adeſt, maiori teneri cum lætitia conſueuit: Id enim duorum bonorum, de quo poſſit id aſſeri (quemadmodum de bono ipſius in definitione ſtatuimus) maius omnino bonum, adeoq; pars erit potior fœlicitatis; cuius nomen, egregium illum, qui obtineri poteſt in terris, bonorum cumulum ſonat.

Spes ac timor ipſi præcipuè ſunt affectus, q hominem aut fœlicẽ faciũt, aut infœlicem.

3. Neque hîc præteriri ſilentio debet, ea, quibus prædicta bona comparantur, media, non eam duntaxat ob rem partes fœlicitatis eſſe, quia ſtatum efficiunt diuturnum, ijs redundantem finibus, qui ſui gratiâ expetuntur, ſed alia de cauſa, quæ media ipſa ad finium quodammodo dignitatem extollit. Humana porrò mens futura dum prouidet, ſi bonum facilè ſibi euenturum exiſtimet, ſpe illius concepta futuram inde elicit voluptatem; ſi verò malum, timore ipſo præcipit acerbitatem. Quare quamcunque vtilitatem damnumve afferunt media, quippe, quæ res illæ ſunt, è quibus aut bona ſperamus, aut metuimus mala, illicò fiunt proxima materies vel eius voluptatis, quæ in ipſa ſpe comprehenditur, aut eius moleſtiæ, quæ continetur in metu. Maturæ vindemiæ
4. Vnus homini inter menſes tributum ſoluit October, Vnuſque Iulius frumenti meſſem facit; at verò colonus menſibus diebuſq; ſingulis ſua ſpe meſſem vindemiamq; colligit voluptatis. Fluuius contrà tunc ſolum, cum extra ripam redundat, ſata camporum alluit, inundatque: multò tamen priùs pluuia quælibet fluuio augendo è nubibus deuoluta in ipſa timoris procella coloni mergit affectum: cuius animus quemlibet ad imbrem, funeſta expectatione imminentes ſibi obijcit calamitates. Proinde, quæ ſuapte naturâ mera ſunt media, adeoque haud bonitatem in ſe, prauitatemve continent vllam, ſed bonum ipſæ, malumve tantum efficiunt, gemini huius affectus vi, finium inſtar, in bonum ipſum atque in malum, vt ita dicam, aſſurgunt.

Digitized by Google

Imò ſanè hæc ipſa potiſſima noſtræ quietis inquietiſq; pars eſt ; Cum e- 5.
nim punctum ſit momentumque, quod præſens eſt , vita verò vniuerſa , quod futurum ; vtique bonum malumve futurum pluris quàm præſens facere conſueuimus, oblectarique magis veluti fœlices, aut quaſi infœlices angi ſolemus, quod ita res comparatas aſpicimus , vt vel bona polliceantur , vel mala inpoſterum minitentur , quàm quod aut fruamur altero , aut altero in præſentia cruciemur.

Venio nunc ad ea ſingillatim cenſenda bona , quæ amari coliq; maximè conſueuerunt , quæ inter ſeſe ob eam rem de fœlicitatis nomine ac dignitate concertant.

CAPVT V.

Ea q̃ vitã ſeruant, dolorem etiam arcent: Cur hoc: & q̃nã ea ſint

AB ea, quæ bonorum omnium fons eſt, vitâ aggrediamur. Ea quæ vitam 1.
nobis diuturnam fore pollicentur, illud etiam pariunt bonum, quod dolore nos liberent. Illum, aio, dolorem, qui tangentis eſt ſenſus, & qui cum omnium ſit vehementiſſimus , dolor per antonomaſiam nuncupatur. Cur autem eæ, quæ vitam ſeruant, cauſæ dolorem hunc arceant , in perſpicuo eſt : tactus enim dolor in animantibus à Natura impreſſus eſt, earum quaſi rerum explorator , quæ conſpirant in vitam , vt ſuperiore die Querengus aduertit. Quare illæ ipſæ cauſæ, quæ ſecluſo mortis periculo vitam ponunt in tuto , tactus etiam dolorem expellunt. Harum præcipua cauſarum eſt, corporis vigor, qui tria complectitur , bonam valetudinem , robur , iuuentutem. Deque his in proximo diſſeremus.

CAPVT VI.

Vt intelligatur q̃nam boni genus ſit valetudo, diſceptatur an vita diuturna, q̃ ex ipſa naſcitur, bonum ſit.

FOelix imbecillo in corpore hoſpitium animus ſortiri non poteſt ; fœlici- 1.
tate videlicet naturali. Mortem malum eſſe grauiſſimum , paulò antè Querengus euicit. Iam verò imbecille corpus quid aliud eſt , niſi arx tenuiſſimis ſemirutiſque compacta mœnibus , quæ à morte mox expugnanda atque diripienda circum vndique oppugnetur. Hinc Epicurei , Stoici illinc argumenta iam congerant, ſuaſuri mortem non eſſe timendam. Melior, quàm ij, Natura præceptrix contrariam ſententiam docet , eamq; nos ſequi compellit: Vitam mancipium quoddam malorum propè innumerabilium eſſe pronunciant, optabilem idcirco eſſe , *magnam illam libertatem, cui nomen morti eſt.*
Verùm aut hac ipſe ſententia cunctorum hominum vitam amplecteris , aut 2.
quorundam , qui præcipuè infortunijs affliguntur : ſi horum tantummodo, extra præſentem diſceptationem ſumus , in qua fœlicitatis elementa perquirimus, atque ita vitam illam loquimur , quæ fœlicem vt fabricet ſtatum, aliorum bonorum , coronanda ſit floribus , non malorum horrentium vepribus compungenda. Si verò cunctorum hominum vitam vniuersè lamentabilem criminaris, ingratiſſimum Deo Naturæque animum expromis, qui quòd ſeruaris, beneficium iniuriam arbitraris , pro quo beneficio vel ipſæ feræ , ſi humanis

aut

Digitized by Google

aut vocibus aut mente pollerent, gratiſſimas Deo laudes omnino perſoluerent; cuius etiam beneficij cauſa & funduntur Cœlo preces, & votiuæ protholis tabellæ frequentiſſimè ſuſpenduntur.

3. Aiunt deinde, *Vita cum conditione mortis data eſt*, quæ verba ſunt Senecæ Stoici.

Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vſu. Lucret. l. 3.

vt cecinit Epicuręus; adeoq; fruſtra nos angi ob præuiſam, minimè iniuſtam ineluctabilemque iacturam, quæ Regibus etiam ac ſapientibus omnibus eſt communis: quo in exaggerando argumento cachinnos mihi mouet Lucretius ita conficiens: *Ipſe Epicurus obit*: quem ille Deum diuiniſſimum adorabat. At eiuſmodi dictata, in quibus tot ac tantorum eloquentia ſe profudit, & quæ grandibus laudatiſq; ad miraculum vſque ſententijs oratorum declamationes, Lyricorum odas, choros Tragicorum accumulant, mentiti demum auri ſplendida ſunt ornamenta. Age: illud, quod euitari mors nulla ratione poſſit, adeoq; eam ob rem fruſtra nos angi, illam denique vim habet, ne idcirco aliquis commoueatur, quam haberet quicunque inter æternos cruciatus agentibus eo argumento dolorem diſſuaderet, quod malum illud remedio careat, idemq; dolore non minuatur modò, ſed augeatur. Perinde quaſi liberum cuique ſit, poſtquam aliquid malum ſenſerit, eo non angi, & ipſa mœſtitudo ſponte à nobis ceu calamitatum pharmacum eligatur.

4. Cætera verò argumenta nuper expoſita, magis vtique ad rem videntur, quando per eiuſmodi argumenta depelli à morte mali videtur exiſtimatio, hoc eſt iaculum illud, à quo mœſtitiæ vulnus infligitur. Ne ea quidem tamen ſatis firma; haud enim re ipſa euincunt mortem non eſſe malum: tantumq; ijs conficitur, quantum ſi vt cæcitatem nequaquam abhorrendam eſſe ſuaderetur, in hunc modum ratiocinatio fieret. Cæcitas cum ſurditate, ſideratione, amentia non coniungitur, ea igitur non eſt malum. Eiuſdem modi prædicta ſunt argumenta. Mors nulli meo iuri vim infert, *vita ſiquidem cum conditione mortis data eſt à Natura*: neque malum eſt aut inexpectatum, quod iaculo non præuiſo magis feriat, aut ſingulare, quod me ſupra cæteros Cœlo, Fortunæq; oſtendat inuiſum: indubitatum quippe cuilibet eſt, & ſe, & ſecum cæteros omnes aliquando eſſe morituros. Bene eſt, quid tamen? hoc tantum verè poterit confici; Mors non eiuſmodi malum eſt, quod, quæcunque excogitari poſſint cruciamenta, ſecum ferat: ſed tamen haud ita conficitur, eam non eſſe malum, & quidem graue, ac proinde timendum omnibus & abhorrendum.

5. Parturientium etiam dolores Naturæ conditione proueniunt; Reginis vtique ſunt communes, eoſque tolerantibus iam præuiſi. Nec tamen huiuſmodi argumentorum lenimento parturientis fœminæ ſtridor ac querimonia conquieſcit. Ipſe Solis æſtus Regibus non parcit, & ſingulis annis lata lege, fatóq; reducitur: Nihilominus ille & præſens angit, & propinquus extimeſcitur.

Reſpondere his Aduerſarij poſſent mortem non ſolidum eſſe malum, vt ij, quos in exemplum retuli, dolores; at meram boni nobis à Natura vſui, non dono traditi, vacuitatem: Quare huc illud Horatij de fortuna faceret.

li.3.od.29 *Laudo manentem: ſi celeres quatit*
Pennas, reſigno quæ dedit.

Siquidem (& hic vnus ex ijs eſt locis, in quo ſibi maximè triumphare videntur) nullo nomine miſeræ cenſentur tot myriades hominum, quæ procreari poſſent, neque tamen vitam hanc vnquam ne breuiſſimè quidem deguſtabunt, neque vlla nos infœlicitate premebamur ſæculis illis temporum infinitis, quibus non adhuc emerſeramus in vitam.

At hæc etiam argumenta, animos vt perſtringant, lucem aliquam (an fucum?) è Lucretij, Tullij ac Senecæ verbis expectant. Malum verò illi ſit eloquentiæ, quæ non ad illuſtrandam, ſed ad corrumpendam veram philoſophiam callidè adhibetur. Meritò quidem illa exploditur à Stoicis; ſapienterq; eadem prudentioribus à fabulis Mercurio furi ſimul ac furunculorum Numini, tribuitur. Ea nos examinemus attentè. 6.

Mortem meram eſſe priuationem, aſſentio: At aurium ſurditas, oculorum cæcitas, membrorum iactura priuationes etiam, & minoris boni ſunt, quàm quod à morte nobis adimitur. Quare per hyperbolen ſuâ tubâ digniſſimam cæcitatis malum exaggeraſſe ſibi viſus eſt in Oedipo Statius, qui illam mortem imperfectam appellauit. Et tamen huiuſmodi ob euenta quicunque angi mortales nolit, eorum animos & corda veneficio aliquo permutet omnino neceſſe eſt. Dolorem Natura rebus ingenuit, quæ nobis auferunt vitam, & tu ipſi obluctatus Naturæ priuatione huiuſmodi impendente non dolere nos iubes? Potiatur diu quis prædio, dignitate, Imperio, eo tamen pacto, vt omnia, cùm ita videatur largitori, deponat; an non cum dolore illa ſibi repetentem audiret, à quo priſtinam iterum deijceretur in pauperiem & humilitatem? Ita noſter comparatus eſt animus; non illum ſtatus, tranſitus ipſi exhilarant & perturbant. Adipiſci potiùs bonum, quàm poſſidere ſuaue eſt: Eiuſdem nos angit iactura potiùs, quàm vacuitas. Et quemadmodum (vt eſt in prouerbio) quod dulciſſimum fuerat vinum, id, cùm corrumpitur, vehementiſſimè aceſcit: ita quæ deliciæ ſunt iucundiſſimæ, eæ, cùm amittuntur, acerbiſſima fiunt penitus infortunia. Relatus inter Ciues ruſticus, elatum ſe ad fœlicitatem putat. Vir Princeps priuati ad conditionem equitis inclinatus, quamuis ipſo Ciue ſit maior, ſuam tamen queritur infœlicitatem. Hic omnium hominum eſt affectus; Eum quicunque damnauerit, cum ipſa Natura contendat, quæ illum nobis impreſſit: nequit igitur non commoueri vitæ poſſeſſor, ſi eius è poſſeſſione iuſto licet imperio ipſum Natura deturbet: quando eadem ratione Aulicus perturbatur, qui non ex huius vniuerſitatis commercio, ſed è ſui Principis domo tantum eijcitur. Et ſanè qui nunc procreari poſſunt

(Margin notes: *Theb. l. 11* beside "ſimam cæcitatis malum…"; 7. beside "militatem? Ita noſter…")

Digitized by Google

ſunt homines, ij quidem malo huiuſmodi non premuntur, neque nos illo antequam naſceremur, preſſi tunc ſumus: idque duplici de cauſa: Altera eſt, quia tunc non ad peiorem è meliori ſtatu deuoluebamur, in quo ſitus eſt angor, qui mortem vitam agentibus horrendam facit: Altera eſt, quia tunc vt dolere-
8. mus, cognitione ac intelligentia carebamus. Quicunque deſtitutus ſenſibus animam agit, neque puncturis, neque ignibus cruciatur. Pulchrè verò conficeretur, cruciatus huiuſmodi ſine vllo doloris ſenſu tolerandos idcirco eſſe ab ijs etiam corporibus, quæ optimis eſſent ſenſibus inſtituta.

CAPVT VII.

Aliud diſcutitur argumentũ quo aliq confirmant nequaquã ex natura agrè ferẽdam eſſe mortem: Et quãdo nã illam expetere honeſtum ſit.

1. IAm verò quid illud Lucretij argumentum homini fortunato ſuadentis alacri animo, vt è viuis excedat, his verbis.

Cur non vt plenus vitæ conuiua recedis?

Fuit hæc Platonis vitæ cum conuiuio ſimilitudo: Et ex illa Platonicus inſignis Olympiodorus quinque numerat euentus, quibus, vt è conuiuio, ſic è vita diſcedere honeſtum putat. De ijs omnibus eruditè eleganterq; in Virgilianis vindicationibus Tarquinius Gallutius *a*.

Atque hic Saracenus: Meus ipſe inſtitutor fuit, eiusq; ſum illuſtratus beneficio, quod ſua mihi carmina typis imprimenda tradiderit: affirmauitque ſuperioribus diebus, ſe in proximo eſſe, vt Commentarios aliquos in Ariſtotelis Ethicam euulgaret, quam complures annos in Romano Collegio explanauerat.

Nuncio me perquam gratiſſimo recreaſti, Querengus ait. Moralia tandem medicamenta non tam barbaro, vt ſolet, ſtylo legemus expoſita, ſed candidiſſimæ Latinitatis auro illuminata. Nunc ad noſtra: Quanquam Chriſtiana veritas mortem ſibi quærere, aut conſciſcere nemini concedat; illam tamen expetere in ijs, quos dixi, euentibus honeſtum eſt. Hic tamen Auctores ad duo inter ſe pugnantia, niſi mea me fallit opinio, nimium deflexerunt. Platonici nonnulli, Stoiciq; omnes ad animi reuocarunt imbecillitatem, eam, quæ inter ignominias agitur, & calamitates vitam facere diuturnam. Seneca verò eos ad Heroum decora euehens, qui hæc inter ſua manu animum è corpore liberabant, effœminatum ac vile Mecænatis conſilium criminatur, qui dictitare conſueuerat, ſe optione ſibi propoſita quemlibet citiùs dolorem & infortunium, crucem etiam toleraturum, quàm mortem. At ſi Mecænatis animo vita ipſa vel in ipſo calamitatum omnium barathro, per eas quas vita ſe-
2. cum affert, iucundas cognitiones, aliorum hominum conſuetudinem, oblectationes denique infœliciſſimo cuicunque communes, & ſine quibus vita non eſſet, iucundior, quàm acerbior accidebat, cur ille arguatur, quòd eam optauerit? quódque ſui ſequatur Virgilij ſententiam, qui eos memorans, qui ſponte

Proiecere animos,

a Lib. 3.

Epiſt. 101 ad Lucil.

6 Æneid. addit,

Quàm vellent æthere in alto,
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!

Argui proinde Mecænas ita debet, vt quiſpiam, iuſti, vt aiunt, cibi, qui radicibus herbarum amariorum abundè veſci potiùs vellet, quàm famis ieiunæ morſibus teri.

Ex altera vero partè Ariſtoteles illos animi condemnat abiecti, qui cùm infortunia conſtanti nequeant pectore ſuſtinere, ab ijs indecorè fugiunt moriendo. Quam in rem celeberrimum illud eſt Martialis Epigramma, in quo cùm Stoici Cheremonis glorioſam fortitudinem deridiculo accepiſſet, qui ad pauperiem redactus de inferenda ſibi nece deliberauit, ſic infert. 3.

Lib 11. epig. 39. apud Rad.

Rebus in anguſtis facile eſt contemnere vitam,
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Si perſpectum his Auctoribus fuiſſe ſtatuamus, contra honeſtatem eſſe ſibimet necem inferre: facinus id abiecti animi eſſe iure meritò cenſuerunt: cùm ad animi abiectionem ſpectet inconceſſis ab honeſtate vijs horrenda declinare: At funus ſaltem expetere, cùm neque tenetur, neque alia niſi calamitoſa grauíſq; ſibi, & cæteris infructuoſa ſperatur vita, non modò non eſt abiectio, ſed prudentia. Atque hîc locum videbatur habere illud Senecæ argumentum, qui eius rei anceps, quam nobis orthodoxa fides indubitatam facit, poſt mortem nos futuros aiebat, aut nuſquam, aut nuſquam anguſtiùs.

Neque verè illum inter fortes laudo, qui fruſtra & nullius boni gratiã in mali cuiuſlibet atrocitatem audet: malum quippe, qua parte malum eſt, ſuapte natura fugiendum eſt, non obeundum. At ille verè fortis eſt, qui malum erectus inuadit, cùm ſpes eſt, fore vt ipſius è ſpinis melioris boni tanquam roſæ colligantur. Nunc vt in viam redeam, faciamq; ſatis adhibitæ à Lucretio conuiuij ſimilitudini, qua ne fœlicibus quidem viris malum eſſe mortem conatur oſtendere, aio, ex ijs quinque ſucceſſibus ab Olympiodoro enumeratis, in quibus abire de conuiuio decorum eſt, nullum tunc euenire, cùm voluptuosè hilariterq; Conuiua epulatur, & cùm ſuauiſſimis menſa dapibus redundat, neque vt interrumpatur, decori debitum aliquod intercedit. Lucretij tamen calliditatem aduertite artificioſè potiùs eloquentis, quàm ingenuè philoſophantis in ijs verbis: *vt plenus vitæ conuiua:* Conuiua quidem, cùm plenus eſt, diſceſſum è conuiuio non recuſat, etſi lautiſſimis illud videat ferculis adhuc inſtructum. At *plenus* indicat aliquem eò redactum, vt ſi ampliùs veſceretur, id vtique nec palato voluptatem, & ſtomacho nocumentum afferret. Hæc tamen cœleſtis aura, qua vita nos paſcit, haudquaquam eiuſmodi cibus eſt, cuius vbertas aut nauſeam faciat, aut redundantiam indigeſtam; nam idem alioquin error eſſet, ſi quiſpiam amico ſuo Neſtoris annos, ac ſi Vitellij crapulas auſpicaretur. Quàre iure accidit rarus vt ille ſit (quod ſcripſit Horatius) qui 4. 5.

exacto contentus tempore vitæ Li.1.ſa.1.
Cedat, vti conniua ſatur.

Imò ſi & prælucente Religionis face diſſeramus prudenter, optabilis eſt Chriſtiano vita: aut enim ille æternæ beatitati deſtinatus eſt; & ei quidem vita cum incremento promeritorum gloriam accumulat immortalem; aut æternis cruciatibus reſeruatur, & hos differre quidem præſtat; præcipuè verò quod errata paſſim pœnitendo reus extinguit, neque vt mulctam illi tunc augeant, cùm recidit, reuiuiſcunt, quemadmodum ad præmij incrementum cùm corrigitur, promerita renaſcuntur. In confeſſo quidem eſt, ſi quiſpiam in animo Gratiæ diuinæ theſaurum certus omnino concluderet, illi veluti fortunam ſummam amplectendam eſſe mortem, qua Cœli, alioquin anceps, adeptio collocatur in tuto. Et in hanc ſententiam pronunciatum eſt, vt iuſtorum prærogatiuæ commonſtrarentur. *Iuſtus, ſi morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*

CAPVT VIII.

Quàm præcipuũ valetudo corporis bonũ ſit. Corporis dolores dolorũ eſſe maximos

1\. Bona igitur corporis valetudo, quippe quæ diuturnitatem vitæ nobis pollicetur & parit, magna fœlicitatis pars eſt. Et Iuuenalis in ea Satyra, in qua rebus omnibus, quæ maximè humanos animos capiunt rapiuntque, boni nomen ambiguum fecit, illud tamen valetudini certiſſimum adſcripſit, auctorq; nobis fuit, vt eam precibus depoſceremus à Cœlo.

Neque illa optabilis tantummodo eſt, quia vitam nobis diuturnam facit, ſed quia, vt innui, à dolore nos eximit: ſi Tyrannorum eſſet in poteſtate, quò per vim è ſubditorum ore arcana educerent, pro cruciatibus exquiſitiſſimis in reos artuum dolores, podagramq; acerbiſſimam intrudere, quænam conſtantia non ſuccumberet? Ita ſanè Martiali viſum eſt, qui Caij flagitioſi Domini mala ærumnis Condili ſerui per tyrannidem excruciati anteferens ita claudit.

Tortorem metuis? podagrâ chiragrâq; ſecatur Lib.9.Epig.73.apud Rad.
Caius, & mallet verbera mille pati.

2\. Nullus corporum ægrotationibus par eſt dolor. Animi dolores acerbiores vtique ab aliquibus exiſtimantur, ſed quidem immeritò, ſi generis vtriuſque maximos velimus inter ſeſe conferre. Maiorem in ijs Natura dolorem inſeruit, quæ plus habere cenſuit nocumenti. Atqui nullum eſt, quod mortem æquiparet, nocumentum. Ea igitur, quæ plus habent ad inferendam mortem efficientiæ, ad ipſum patiendum dolorem erunt etiam vehementiora. At id, quod ſenſum tangentem afficit, qui vitæ fundamen eſt, propius quàm extima infortunia animos perturbantia, conſpirat ad necem, neque vlla cordis mœſtitudo adeo certè lethalis eſt, vt inſanabilis vulneris efferus dolor: Ea igitur, quæ ſenſum tangentem excruciant, ijs quæ animum afficiunt, moleſtiora erunt. Animi ægritudines tempore leniuntur. Quanquam natus poſt obitum non reuiuiſcit,

ſcit, paulatim tamen ac ſenſim ſine ſenſu genitricis animus delinitur, ac demum, vti ſolebat, exhilaratur & ridet. Quo putamus dolore perculſum fuiſſe 3.
Angelum Badouarum, cùm poſt exactas Regias legationes, cæteris etiam Reipublicæ Magiſtratibus ſummo cum honore perfunctus ex tanto Senatore ſuæ ſe patriæ extorrem vidit, violatæ fidei nota inuſtus infami? Et tamen annorum medela doloris in ipſo acerbitatem adeo mitigauit, vt aliorum viuat in conſuetudine feſtiuiſſimus; ipſaque oris ſerenitas animum etiam aut omnino ſerenum, aut nube tenuiſſima inuolutum oſtendat. Contra verò corporis dolor ipſa ſemper fit diuturnitate intolerabilior. Primum horæ quadrantem in quæſtionis cruciamento durare non durum eſt, ſed vltra horam eo quempiam ſupplicio torquere ius vetat, poſt eam ſiquidem violentiſſimæ doloris immanitati, non veritatis efficacitati confeſſio per vim expreſſa tribuitur. Ipſa Tullij eloquentia in Tuſculana *de tolerando dolore* conſueto deficit à robore ſummi Oratoris, quippe à cauſa deſtituto.

Non equidem inficior morbos doloresque fortiter exantlatos heroicæ 4.
materiam eſſe virtutis: mihique nuper obuenit in manus egregium quoddam Ciampoli noſtri carmen de Virginij Cæſarini morbis obſtinatiſſimis; vbi eum cum Petro Aldobrandino ſtrenuè nunc ſtipendia in Germania merente conferens, præclariorem eſſe fortitudinem oſtendit, animo conſtanti intra lectuli cancellos morbi ſæuitiam ferre, quàm ſeſe gladijs bombardiſque obijcere in arena. Verùm hæc non modò meam ſententiam non infirmant, ſed confirmant. Quid enim? cur adeo præclaræ virtutis eſt morbos patienter ac fortiter tolerare? Quia nimirum ipſi mala ſunt omnino grauiſſima, & quibus *malorum* nomen per antonomaſiam apud Italos factum eſt. Quare, quicunque diu illis torquetur, neque tamen animo deſpondet ac deſperat, arduum adeo decus obtinuit, vt hæc potiùs victoria, quàm exercitus integri profligatio, Herois palma cenſeatur. Virtutis gemmæ in earum ſunt genere, quæ de fractis Draconum ceruicibus educuntur, malorum, inquam, ſummè horribilium, ſed quæ iuſtâ maioris boni cauſâ proculcentur. Atque huc ea diuinorum Oraculorum pertinent verba: *Virtus in infirmitate perficitur:* & alibi: *Aurum, quod per ignem probatur & purgatur.*

CAPVT IX.

Morbos tanquam voluptatū fræna optabilia eſſe, confutatur.

1. VNum iam reliquum eſt effugium hiſce amatoribus Paradoxorum, quæ ſuſpiciuntur potiùs ab audientibus, quàm creduntur. Effugium illud eſt, quod pulchrè illis ſuppeditari videtur ex oraculo nuper à me recitato. Corpus firmum licentiùs effrænatiùsq; ruit in vitium. Morbus durum eſt pariter & ſalubre appetitionum inſolentiæ frænum: Motus animi ſedat, ſuæ mortalitatis homines admonet, ipſis etiam Alexandris ſanguinem aliquando per vulnera è venis educens, ventoſam illam adimit perſuaſionem ab Ioue ſe fuiſſe progenitos. Demum homines Deo curuat in obſequium, quod vnicè tandem eſt in altiſſimos dignitatis gradus erigere.

Ve-

Digitized by Google

2. Verùm hîc etiam erratur egregiè, vel per experimenta, vel per ſacrarum litterarum oracula, ducto à præcipuis ac ſingularibus ad vniuerſum genus argumento. Diſcrepant æquè inter ſeſe alij atque alij animi, quemadmodum alij atque alij fructus: qui crudiuſculi ſunt fructus, coquuntur hyeme, ac perficiuntur; nobiliores alij ac delicatiores mite Cœlum amant, atque aëre frigidiore corrumpuntur. Contumaces quidem, effrænesq; animi morborum aliquando rigiditate manſueſcunt: contra qui ſuapte natura ſunt infirmiores, concidunt penitus & eneruantur. In vtramque partem abundant paſſim exempla: neque de omnibus id vniuersè ſtatuendum eſt, etſi perpaucos eſſe ſcimus, qui ex corporis ægrotationibus animo conualuerint. Tullus Hoſtilius è militari virtute in anilem imbecillitatem ſuperſtitionemque declinauit in morbo. *Liu. l. 1.* Titus Ariſtones, & Silius Italicus immeritò à Plinio Iuniore laudati, doloris impatientes, ob nimiam in ſe ipſos pietatem, deſæuierunt in ſeſe. *li. 1. ep. 12 & l. 13. ep. 3.* Quod ſuperiore ſæculo repetitum eſt exemplum ab alio Poëta loco propemodum eodem. Antonium Quernum loquor. Hic erudita olim Leonis X. voluptas, & quanquam ludicrâ gloriâ, tamen *Archipoëta* ſalutatus; demum obſtinatum redactus in morbum, quodam in Neapolitano Noſocomio ventrem ſibi for- *Iouius in eius elo.*
3. cipe ſuâ ipſe manu traiecit. Supra numerum ij ſunt, quibus animos, tolerantiam, comitatem, pietatem morbus euertit. Ipſum quoque Herculem, Heroum veteres apud Ethnicos Principem, cùm in Oeta lethale viroſæ tunicæ incendium experiretur, Sophocles inſtar mulierculæ lamentantem, inſtar Athei peierantem induxit Ouidius. Nos verò, quibus futura proſpicientem, amantemq; noſtri Deum eſſe liquet, par eſt, vt moderatrice de manu ita morbos excipiamus, quaſi illa ſit medici, non lictoris. Sed tamen à medico etiam dulciora libentiùs accipimus, quàm amara. Vtraque ab ipſo ſumimus ſalutaria, at ſaporis conditio amatur in alteris, quæ in alteris diſplicet. Eâdem omnino ratione grates litandæ ſunt Deo ex valetudine tum ſecundâ, tum aduersâ, à quo pharmacum vel amarum, vel dulce, prout nobis conducit, accipimus: Nemo tamen arguet quenquam erroris, qui ſecundam valetudinem maius etiam arbitraretur bonum, cùm illa pharmacum ſit, quæ tantundem habet voluptatis, quantum acerbitatis habet aduerſa. Quare Chriſtianæ religionis inſtituto ſalutem hanc corporis nobis alijsq; à Deo per preces & vota depoſcimus: numeraturque ſæpe inter diuinæ beneficentiæ laudes, quòd illico ſaluti reddiderit ægrotantes, contrà verò morbus per prodigium in bene valentes illatus, Dei ſolum eſt vlciſcentis exemplum.

CAPVT X.

Cui ſit vſui robur corporis. Id neceſſa-

1. VEnio nunc ad robur. Atque hoc (vt aduertit Ariſtoteles *a*) in eo ſitum eſt, vt pro arbitrio quicquid, & qua ratione libitum fuerit, mouere loco poſ-

rium quidem eſt Gentis cuiſpiam vniuerſæ fœlicitati; non tamen vnius tantùm hominis.

a *1. Rhet. c. 5.*

Digitized by Google

poſſimus. Quare, ſi, quod aiebam, cum veritate conſtat, ſcilicet imperium
nihil eſſe aliud, quàm poſſeſſæ rei loco mouendæ collocandæq; facultatem,
conficiemus ſanè, robur præcipuum eſſe imperium in robuſta minùs corpora
à Natura conceſſum. Atque hæc ratiocinatio eorum tentamentis Gallorum
fauere videtur, qui ſub ipſum Romæ naſcentis exordium in Cluſinos irrue-
runt. Nam ex ijs cùm Romani quærerent Oratores, quo iure de ſua illos po-
dec.1.l.5. pulos ditione depellere tentarent, reſponſum ab ipſis narrat Liuius: *Omnia*
fortium virorum eſſe: quod, ſi bene memini, fuſiùs in hanc rationem alius nar-
rat Hiſtoricus: *Eodem nos iure Cluſinorum inuadimus in ditionem, quo vos Ro-*
mani tot finitimis vrbibus potiti eſtis; iure ſcilicet in ipſa Natura conſtituto, quæ
dum vires in impari menſura diſtribuit, robuſtioribus imbecilliores ſubijcere ſe
voluiſſe teſtatur. Ita feroces ij barbarique, quanquam falsò, ingenioſè tamen
ratiocinando reſponderunt. Et cuiuſdam familiaris mei erat adagium: *Im-*
petum Regem illum vocari, qui rerum omnium potitur.

Indubitatum tamen eſt, animo corpus obſequi imperanti, quare ſapien- 2.
tia imperat: Impetus paret. Nuſquam gentium gerendis Magiſtratibus robu-
ſtiores eliguntur, at prudentiores. Ipſis in caſtris, vbi maximè ius in viribus eſt,
robuſtiori ſapiens antefertur. Vlyſſis prudentia non Aiacis vires optatum ma-
ximè Græcis bellatoribus munus obtinuit; quippe ſupra ſuum æmulum ſeſe
Vlyſſes extulit his verbis.

Tu pugnare potes, pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides.

Proximo ſæculo Antonius à Leua immotus iam ex podagra, & lecticâ ve-
ctus exercitum ducere victoriasq; viſus eſt referre campeſtres.

In re noſtra ſic ipſe ſtatuerem. Nationis integræ, non vnius hominis fœ- 3.
licitati Robur neceſſarium eſt. Vir priuatus in ijs, quæ frequenti eueniunt vſu,
publicæ auctoritatis robore omnium brachijs impetum facientis propugnatur
ſatis. Quæ verò raró præterq; morem contingunt, nullo aut robore, aut hu-
mana vi euitari queunt. Humanæ proinde fœlicitati non Olympus aliquis
comparandus eſt in Regiam, qui ſupra eiuſmodi fulmina ſuſtollatur. Holo-
fernes, cui tanquam clypeus & arma vires erant Aſſyriæ vniuerſæ, mulieris
tandem dextrâ iugulatur. Superior ætas duos nobis oſtendit Gallorum Reges,
qui, dum Europam formidandis exercitibus, propriaq; virtute terrebant, de-
ſpicatiſſimorum homuncionum manibus interierunt. Non tamen inficior a- 4.
liquam partem augeri fœlicitatem à robore; ijs præcipuè, qui eiuſmodi proge-
niti ſunt in Republica, in qua illud plurimi fit apud Ciues, quemadmodum in-
ter Græcos, qui non minoris victoriam faciebant ex lucta curſuque relatam,
quàm Romani ducerent Conſulatum; quin etiam Victoris Patria illum per
diruta mœnia triumphantis in morem excipiebat. Præterea quiſquis vbique
ad militaris artis gloriam aſpirauerit, difficilè compos fiet eius priuatæ fœlici-
tatis,

tatis, quæcunqe demum ea ſit fœlicitas, quam ſtatus ille poteſt elargiri, niſi aliquo fuerit robore conſpiciendus. Nemo quidem ſua prudentia alieniſq; manibus non dimicat, niſi diu antea aliena prudentia, proprijs manibus dimicauerit; ſtrenuique militis priuati gladius ad bellici Imperij ſceptra obtinenda faciliorem aperit viam, efficitque, vt obtenta maiori cum plauſu teneantur. Alexander Farneſius, quanquam loco natus erat fortunaque præcelſiſſimâ, nequaquam in tantum Imperatorem euaſiſſet, niſi antea temerè, propè dixerim, audax miles fuiſſet aut in maritimo Naupactenſi, aut in campeſtri Gemblacenſi conflictu.

5. Illud adieci; ad Nationis vniuerſæ fœlicitatem pertinere omnino robur. Magna ſiquidem in populo fœlicitatis pars eſt, talibus eſſe Naturæ dotibus inſtructum, è quibus conijci non falsò poſſit, futurum eſſe, vt in humanis vicibus ſæpiùs dominetur in alios, quàm vt alijs famuletur. Iam verò robuſtiores ferè ſunt Nationes illæ, quæ plerumque dominantur in cæteris. Scythicas inter niues ille adoleuit populus, qui Perſicum priſcis ſæculis martem oppreſſit, qui cadauerum aggeſtu Herculi Macedoni columnas Herculeas inſcripſit, *Non plus vltra*, qui Capitolini Iouis fulmina vix audijt, & ne vix quidem ſenſit, qui ter Aſiam occupauit, qui exteris in Regnis imperia ſtatuit potentiſſima, ſuo ſemper in Regno vel intactus, vel inuictus. Scythicis item è niuibus, alijsq; horridis ac gelidiſſimis regionibus populus erupit, qui proximis ſæculis in Hiſpaniam, Romamq; Solis Occidentis, Conſtantinopolim Orientis plagas debellatum venit. Cùm verò luxu populus aliquis eneruatur, continuò ſuſtinere quod iam nequit, ſceptrum deponit è manibus. Ita factum eſt Aſſyrijs, ita Perſis, ita Græcis, ita Romanis.

Iuſti. li. 2 in princ.

CAPVT XI.

Quodnā gen' illud ſit roboris q ad Nationis integra fœlicitatem ſpectat.

1. EQuidem populi fœlicitati non verto ſtolidam neſcio quam ferocitatem, quæ in Patagonibus viuit proceritatis gigantææ populis apud Indos, aut in Gentibus alijs gelidiſſimi Septentrionis. Maius eſt Sapientia bonum, quàm Potentia, vt mox dicemus: præterquam quòd magna potentiæ pars ipſa ſapientia eſt. In leones elephantoſq; dominatur homo, non quòd plus corpore valeat, ſed quòd plus ingenio ſciat.

Hîc tamen aduerto, non omne corporis robur infirmi eſſe animi domicilium. Aliquos in hac ſententia eſſe ſcio, membrorum robur ſuapte natura ab ingenij acumine diſſociari. Exemplo in hac re ſunt Piſtrices & Orcæ viribus inuictæ, ſed adeo ſtupentes, vt niſi Magiſtros minutiſſimos haberent piſces, nare vndis penitus ignorarent. Intoleranda quidem eſt hac in parte ſcriptorum eloquentium fraus; qui vno quopiam ſingulari exemplo rudiores homines in falſam vniuerſi dogmatis aſſenſionem dolo malo ſeducunt. Quantò hebetiores aſpicimus pulices, cimiceſque, ac plurima imbecillimorum vermium genera? Contrà verò quid exploratores Naturæ de monſtroſi elephantis

Digitized by Google

tis ingenio non pronunciant? Ecquæ non ſuſpicitur in equo ſolertia, animante quidem adeo ſtrenuâ, vt belli cedat in hieroglyphicum? Nunc ad homines. 2.
Cur igitur prudens antiquitas præſtans adeo membrorum robur in heroibus, hoc eſt, in viris naturam humanam ſuperantibus collocauit, ſi robur hoc deficientis ab humano ingenij argumentum erat? Diſcerptor ille leonum Dauid, ille Epaminondas, cuius gladius ſceptrum in vniuerſam Græciam Thebis fuit; Philippus ille, qui non minor, quàm Imperator miles, effecit, vt Macedonia ſuæ duceret gloriæ, paruitatem illam ſuam nationum ingentium victricem; ille Alexander, qui oppugnabat expugnabatq; propè ſolus munitam armis Vrbem; Cæſar ille, qui grandes hoſtium irruentium exercitus clypeo ſuſtinebat; animis-ne, ingenijsq; fuerunt hebetes ac iacentes? Si verò cuipiam ſuos laudare licet, quænam inter omnes natio ingenioſior eſt Græcâ, & quæ pariter bellis exercitatior? Ea quidem Solis Orientis plagas omnes ſub Alexandro ſuperauit, eademq; paucis hominum millibus ſub Leonide ac Miltiade plures, vt ita dixerim mundos in ſe vnam armatos deuicit. Nunc verò vbinam gentium, aut contemplantis ingenij acumen, aut ſententiarum lumina ſe produnt magis, quàm inter Hiſpanos, quos natiuo à Robore *duros* appellauit Horatius. Hic igitur vigor, qui ex innoxia ingenio temperie dimanat, à me dictus eſt, cum eum ad integræ nationis fœlicitatem deſideraui.

CAPVT XII.

Quænam ætas fœlicitatis ſit capax, & primo loco de adoleſcentia diſceptatur.

Dixi de bona valetudine ac robore: nunc erit de ætate dicendum. Pueritia, vt optimè Ariſtoteles aduertit, humanæ fœlicitatis exſors eſt, ſiquidem haud eius actus perfectè capax eſt, qui præcipuus hominis eſt ac præſtantiſſimus. Adoleſcentia verò, quippe rerum peritiæ neſcia, minùs ad honores idonea, affectuum tyrannide ſupra cæteras ætates exercita, ſuapte natura non ſanè fœliciſſima eſt. Eſſet verò, ſi præcipuo ſapientiæ virtutiſque munere enumeratis à vitijs abſolueretur; Cæterùm, quippe illa maximè diſtat ab interitu, minimèq; omnium ætatum morbis conflictatur. Huiuſmodi viſa eſt florere adoleſcentia paucis ab hinc annis (adſtantes non loquor) in duobus conſpicuis maximè viris: Liberos quidem inter Principes, in Ferdinando Gonzaga parùm fœlici nunc Mantuæ duce; cùm ille teneris annis Piſano in Gymnaſio cuiuſcunque litteraturæ prodigium acclamatus eſt, & intra tui Patris cubicula, Cardinalis Illuſtriſſime, publicis Theſibus defenſis ſpecimen dedit ſingulare eiuſmodi ingenij, eruditionis & gratiæ, quæ omnia Cœleſtem Ephœbum humanâ formâ ſpectabilem oſtentarent. Subditos verò inter Proceres, In Virginio Cæſarino, qui actis retrò annis Mirandulani gloriam, plauſuſq; Italiæ rurſus oſtendit, illiciumque fuit exteris etiam Nationibus auidiſſimæ curioſitatis, quæ ipſum noſſe vnum inter Vrbis miracula præcipuè geſtiebant. Verùm in vtrumque immaniter poſtea deſæuijt morbus obſtinatiſſimus, tum verò in priorem infortunia, etiam fortunæ celſiſſimæ plerumque comites & illius licentiæ

fœ-

Digitized by Google

fœtus, in quam Potentia non rarò Virtutem vertit. Quare meridies ille obuolutus eſt nubibus, cui Aurora tam aureos radios, lucemq; ſereniſſimam pollicebatur.

Multò minùs fœlicitatis eſt capax graue languenſq; ſenium, quod hominem collocat in ſtatu nihil cæterùm à Puero diſcrepante, niſi quod tam morti propinquus eſt alter, quàm alter natali.

CAPVT XIII.

Ætates cætera inter ſe comparātur; ac pcipuè de ſenectute diſſeritur.

1\. ANceps multò magis eſt inter iuuentutem, virilitatem, viridemque ſenectutem contentio. Senis ad fœlicitatem duas Ariſtoteles *a* conditiones exegit, vt ſerò ſenectus accedat, vtq; doloribus vacet. Eiuſmodi, Querenge, tua eſt, in quo vix aliud quippiam, præter canos prudentiamq; ſenectutis aſpicitur. Sed loquamur abſentes. Senectus mihi videtur planè fœlix illa, quam Albericus Cybo Maſſæ Princeps nunc agit. Ille nimirum pluſquam nonagenarius ſalute corporis vigens ac robore, ditionis fœliciſſimæ Dynaſta, ingenio nobili artibuſque, Viris Principibus carus, neque experitur in ſeſe, neque ijs quibuſcum agit, quidquam ex ijs tædijs parit, quibus obſideri ſenecta conſueuit, quæ ſenecta ſuauiorem potiùs in eo iucunditatem facit agendi, quemadmodum verna delectat magis amœnitas ijs menſibus, qui ſolent hyemis aſpe-

a 1. Rhet. c. 5.

2\. ritate crudeſcere. Multò tamen, quàm in ipſo fœlicior appellari potuit ſenectus illa Franciſci Mariæ Roboręi Vrbinatum Ducis, antequam ſingularis Nati licentia, & inde funus animum ipſi dolore confoderet, clauíque podagræ chiragræque acutiſſimi membra corpúſque configerent. Quippe has ante calamitates fœlix erat ex pulcherrimo tranquillóque Principatu, à quo non minùs quàm auri tributum accipiebat amoris ac reuerentiæ. Quem ſanè Principatum prudentiæ quidem ſuæ amplitudine non animi modeſtiâ minorem obtinebat. Acceſſit (rarus Principum comitatus) ingenium ac doctrina, quibus magis quâm fortunæ celſitudine Italiæ fuit vniuerſæ conſpicuus. Ad hæc eâdem in fortunâ, cum ipſe leges dabat, non accipiebat, mores ac geſta in eo Principe diligentiùs exacta libero liberalíque virtutis amore; quàm ſeueriſſimus quiſque poſſet à priuatis exigere legiſlator.

3\. Neque verò mortis propinquitas efficit, quo minùs frui quadamtenus fœlicitate poſſit ſenex: Ex vna ſcilicet parte, multis illa ætas dotibus cumulatur, experientiæ, prudentiæ, eruditionis ac reuerentiæ: ex alia verò adeo incerta ſemper vita eſt, vt aliquantò certiùs ſcire futuram vitæ ſuæ breuitatem non ingens adeo ſit malum, vt enumeratis à me bonis nequeat compenſari. Quin ipſa Natura cauit, ne propinquæ mortis horror ætatem illam optimè meritam excruciaret, ſed potiùs vt ſenes amabili fraude longioris vitæ ſpe in dies ſingulos allicerentur.

4\. Compoſita tamen collatáque cum iuuenili virilíque ætate ſenectus, fœlix illa certè minùs eſt. Iudicium eſto penes humanum genus vniuerſum.

Digitized by Google

Quiſque ſenex cum Æſone vt iuueneſceret iterum, in Medeæ cacabum ſe ſe demergeret: iuuenum nemo cum Reo illo ſat memorato, & inopini carceris mœſtitiâ confecto, nocte vellet vna caneſcere. Fateor quidem, cumulatam præcipuis dotibus ſenectutem, fœliciorem eſſe, quàm iuuentus ſit omni ex parte vulgaris: cùm verò vtraque Naturæ ac Cœli beneficijs egregiè cumulatur, alteram certè altera fœlicitate antecellit. Breuiter id euincam.

Bona intima ſolida vt diximus, ea ſunt, *eſſe, ſcire, delectatio, virtus.* 5.
Iam verò *eſſe* in iuuene certius eſt, ab eoque remotius eſt *non eſſe*, ſcientia, ſiquidem ex eruditione minor, eſt tamen ex acumine maior: meliorque certè conditio eſt fœcundum gerere natiuis aquis ſapientiæ fontem, quàm ciſternam redundantem alienis. Oblectationes & gaudia ita præcipua ſunt iuuentutis, vt ea lætiſſimis ac iucundiſſimis de rebus nomen per metaphoram ducat. Amœnitatis ver, fulgoris meridies, deliciarum hortus, inter eius nomina collocantur. Senectus verò cognomina ducit infauſta ex hyeme, ſpinis, tenebris, ſiccitate. Quod pertinet ad virtutem, falſum omnino eſt, quod aliqui putant, 6.
hanc perfici, cum homo eſſe incipit imperfectior. Id præcipuis in virtutibus breuiter animaduertamus. De Prudentia vt dicam, ſi augetur in ſenectute peritia, perſpicacia minuitur ac decreſcit. Fortitudo degenerat in languorem. Iuſtitia tunc maximè lucri cupiditate inuaditur. Temperantiæ non additur perfectio, ſed materies demitur; neque maiorem illa ſibi laudem vindicat in ſene, quàm in fœminis manſuetudo. Infinita verò propemodum vitia ſunt, quæ ſenilem comitantur ætatem. Cunctatio, hæſitantia, ſegnities, intolerantia, aliaq; plurima, quæ Ariſtoteles & Horatius enumerant, quæque per ludum in ſcenis Comici repræſentant. Id verò prauas inter ſenum iuuenumque propenſiones diſcriminis intercedit, quod hæ vigentem offendunt in animum, quò faciliùs vinci retundique poſſunt; illæ contrà ſunt tanquam tempeſtates, quæ antiquam diſſutamq; nauim adoriuntur.

Quæ ſunt in omni litteratura maximè ingenioſa; quæ maximè ſunt heroica in armis facinora, ea edidit omnia iuuenilis aut virilis ætas. Atque hæc ad has inter ſeſe ætates in bonis intimis conferendas dicta ſint ſatis. 7.

Quod ad extraria bona pertinet, creſcit in ſenes reuerentia, decreſcit amor: atque hic poſterior vtique optabilior eſt, Deo ipſo iudice, qui præoptat, maioribusq; præmijs charitatem afficit, quàm religionem.

Ex ijs, quæ de bonis dixi, conficitur, etiam ſenectutem obnoxiam magis eſſe ſolidis malis, quæ laudatis bonis aduerſantur, dolori, odio, nonnunquam etiam vitio memoriæ ac perſpicacitatis, errori: neque immunis eſt à contemptu, quippe qui frequenter cadit in eos, qui minimum valent, atque mox valebunt nihil.

de ſeneſt. Neque tamen exceſſit è memoria, quod pro ſenectute Tullius Catonis 8.
ore diſceptat, magnam partem deſumptum à Socrate apud Platonem in libris

de

de Republica ſub initium. At quemadmodum illud Ciceronis opuſculum ingenij eſt eloquentiæque pleniſſimum, ita rationum pondus pluribus in locis identidem labat. Prætereo, quod ipſe ibi propugnat, nullum fœlicitatis eſſe decrementum accedere, atque obire in mortem, quod ſuprà nos confutauimus. Sed qui cætera quoque ipſius argumenta diligenter, acuteque velit expendere, animaduertet ſanè, ijs demum nihil confici aliud, quàm poſſe fœlicitatem cum ſenectute conſtare, eiuſq; conditionem aliqua in parte iuuenilem antecellere. Quæ omnia libens do; ſed cauſæ, quam Tullius inibi propugnat, non ſunt ſatis. Nunquam enim ille vniuerſum bonum cum vniuerſo malo inter ſe confert, quod hinc in iuuene, illinc inuenitur in ſene; vtrumque expendens & conferens aut pro communi hominum conditione, aut pro cumulo dotium præſtantiſſimo, qui poteſt in alterutro inueniri. Eoq; libro ſpecimen inſpicitur certiſſimum argumentorum, quæ non vi veritatis, ſed eloquentiæ tantùm armis præliantur. Illa quidem, dum ijs ſe inſtructa armis obijciunt, legenti vim inferunt; libro tamen depoſito, verborúmq; concinnitate ex animo excedente, quæ ſolùm nuda ratio ſupereſt, præ ſuamet imbecillitate nequaquam in fidei, quam inuaſerat, poſſeſſione perſiſtit.

9. Reliquum hic eſſet iuuentutem cum virilitate conferre. Sed quia ætates hæ finitimæ ſunt, neque ſatis idcirco inter ſe ſe disiunctæ, de ijs ſententiam pronunciare difficillimum eſt. Alteram naturalibus in perfectionibus antetulit Ariſtoteles, dum ille genitos à ſexto & trigeſimo, ad annum vſque quinquageſimum filios melioris eſſe habitudinis æſtimauit. *7. Polit. c. 16. in medio & in fine.* Et ſanè illa ætas iuuentutis vires cum auctoritate ac temperatione ſenectutis adnectit. Quare, vt opinor, fœliciſſima ætatum eſt, earúmque nobilium voluptatum ditiſſima, quæ neque præſenti moleſtiâ contaminentur, neque futurâ plectantur.

CAPVT XIV.

Quãtum ſit bonum ſcientia, quibus de cauſis Ariſtoteles in doctrinis contẽplatricib. inutilibuſq; collocauerit fœlicitatem.

1. VT eſſe ſeruetur, rebus etiam exterioribus opus eſt. At eas Natura, prout opus fuerit, ſubminiſtrat. Quamobrem egregiè ait ille: *Si vixeris ad Naturam, nunquam eris pauper.* Quatenus autem res extrariæ cæteris etiam bonis præter ea, quæ à me ſunt enumerata, conducunt, dicendi mox locus erit.

Venio igitur ad alterum bonum intimum, quod eſt ſcientia. Illam Epicurei non vt finem, ſed tantummodo vt medium agnouerunt; eáque propter contemplatrices omnes diſciplinas ridebant, cognitiones quaſlibet aſpernati, quæ corporis voluptatibus non prodeſſent. Aduerſus hæc audio, inter nos prima die *a* fuſiùs diſceptatum, déq; ijs actâ heri *b* die Querengus acutiſſimè philoſophatus eſt.

2. Porrò ab hac ſententia tantùm diſceſſit Ariſtoteles *c*, vt ſummum bonum, atque, vt ita dicam, fœlicitatis medullam in diſciplinis contemplatricibus inutilibúſq; collocauerit. Quilibet, ait ille, ſciendi cupidus eſt: id planè in amore

a li. 1. c. 17
b li. 3. c 41
c 1 Met. c 1

Digitized by Google

perſpicitur, quo ſenſus ipſi noſtros proſequimur, maximéque oculos, quippe qui plura nos docent. Hic porrò oculorum amor adeo vehemens eſt, vt per adagium ad amoris hyperbolem dicatur: *Carior eſt oculis.* Tobias quidem ijs verbis ab Angelo ſalutatus: *Gaudium tibi ſit ſemper*, reſpondit illicò: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video?* Neque ſolùm ad agendum (proſequitur Ariſtoteles) at etiam nihil agere volentes ſenſuum delectat vſus. Hæc ipſa, quam Ariſtoteles aduertit, à Tullio puerorum exemplo veritas confirmatur, quorum affectus quantò habitibus prudentiaq; reguntur minùs, tantò magis Naturæ vim impetumq; commonſtrant. An non, ait, aſpicimus, qua illi curioſitate, qua obſtinatione perquirant, petantq; occultum, quod ipſis eſt, per ipſas etiam repulſas & verbera? Illud etiam inibi Tullius animaduertit, Homerum, eum, inquam, cæcum, qui acutiſſimè omnia perſpiciebat, non alio vehementiori illicio commentum fuiſſe Vlyſſem à Syrenibus ſuos ad lethales ſcopulos inuitatum, quàm cognitionum pollicitatione curioſiſſimarum; qui certè Homerus videbat vno hoc illicio poſſe reuiſendæ patriæ cupiditatem vinci in tanto Viro, qui ex huiuſmodi cupiditate oblatam à Calypſone immortalitatem reſpuerat.

Tob. c. 7.

5. de finib. 3.

Hanc vbi ſtatuit in hominibus naturalem ſciendi cupiditatem, ita deinceps Ariſtoteles. Nobiliora quæ ſunt ac diuiniora, ea etiam ſunt, quæ cùm ſciuntur, ſupra cætera nos delectant. Iam verò humanæ vitæ neceſſitas homines primò compulit, vt rebus ſordidiſſimis, tanquam puluere, cognitiones fœdarent, cogitarentque de agrorum cultura, de ſtructura domorum, de gregis moderatione, condimentisq; ciborum. His inuentis artibus mentem hominis aut nihil aut minimum oblectantibus, cogitari de alijs cœptum eſt, quæ materiam haberent nobiliorem, ſed minùs eſſent homini neceſſariæ: de pictura, de textura, de muſica, ſine quibus vita quidem duci poſſet, ſed pari cum oblectatione non poſſet. Earumq; peritia pro ea, qua præditæ ſunt materiæ pulchritudine, & poſſidenti iucundior eſt, quàm priorum, & liberaliùs etiam ab alijs honoratur. 4.

Denique vbi tandem illæ omnes artes inuentæ ſunt, quæ vel neceſſarios, vel voluptuoſos in vſus poterant ſatis excogitari, aliæ præterea inuentæ ſunt, non quod aliquam nobis afferant vtilitatem, ſed vnâ ipſarum, & pulchritudinis eximiæ quam præſeferunt gratiâ. Huiuſmodi fuit aſtronomia, cuius inuentores fuere homines nullis rerum negotijs impliciti, cuiuſmodi erant Chaldæi, Ægyptijq; Sacerdotes cultui tantummodo Deorum addicti, aliarumque rerum occupationibus immunes. Quippe ære publico Sacerdotes ibi alebantur: Indéque fuit, vt in ea celeberrima annonæ caritate coacti non fuerint prædia vendere Pharaoni, vt in Vulgata ſacrarum Litterarum editione legitur. Et verò mos hic vt ſacrorum hominum rebus Reſpublica vniuerſa conſuleret, Deo auctore iuſſus erga Leuitas ſeruatúſq; in Religioſos homines à Chriſtianis, 5.

Digitized by Google

nis, efficit præcipuè, vt inter ipſos florere poſſit litteratura, quam ſub Carolo Magno, renatam ſcimus duorum operâ Monachorum, qui ortum habuerunt in Scotia, profectiq; ſunt ex Hybernia, vt Antoninus enarrat. 2. part. hiſt. tit. 14. c. 4. § 12.

6. Quin etiam (addit Ariſtoteles) harum inutilium auctores diſciplinarum ij ſunt, quos *ſapientes* nuncupauit & ſuſpexit antiquitas. Huius porrò tam ſingularis reuerentiæ cauſa illa fuit, quod ijs qui vno ſciendi amore, nulláq; prorſus alia vtilitate ſeſe ſtudijs addixerunt, pro arbitrio materias ad contemplandum ſeligere licuit, adeóque nobiliſſimas ſcitúq; digniſſimas inter cæteras elegerunt; cuius generis æterna ſunt & cœleſtia, quæ noſtrate ab humili conſuetudine commercióq; remota in noſtram à nobis vtilitatem adhiberi non poſſunt; adeóq; non niſi inutilium diſciplinarum in cognitionem cadunt.

Ob hanc rei propoſitæ dignitatem diſciplinas eiuſmodi Seneca moralibus antepoſuit, quanquam hiſce inprimis gloriam ille debet ſuam. Nam de contemplatricibus diſciplinis agens tantum has moralibus præire aſſeruit, quantum homini Deus: moralibus quidem, quid agendum in terris ſit doceri, contemplatricibus verò quid agatur in Cœlo, exponi: *niſi ad hac admitteremur*, (verba Senecæ ſunt) *non fuerat operapretium naſci.*

7. Duplici Ariſtoteles ſimilitudine contemplatricium diſciplinarum excellentiam confirmat. Altera eſt, quod quemadmodum ſeruo liber eſt nobilior, quippe ſeruus alienæ commoditati addicitur, liber verò ſibi tantùm, ſuóque bono res agit, ita etiam actuoſa cognitio alterius operis bono ſeruit, quod ipſa ſibi proponit ac regit; cúmq; purè contemplatur diſciplina vnum ſe ſibi deſtinet finem. Alteram Ariſtoteles à rei domeſticæ Præfecto, heróq; ipſius ſimilitudinem duxit. Famulis quidem ille omnibus imperat; & agenda diſtribuit. Herus contrà nihil nonnunquam horum agit, & tamen altero maior eſt: ille ſiquidem non ſibi agit, quæ agit, & heri conſulit tranquillitati, quo huiuſmodi ſollicitudines illum nobilioribus à curis nihil diſtrahant. Ita Moralis prudentia leges affectibus iubet, vitæq; neceſſitatibus & opportunitatibus conſulit: quò Contemplatrix ſapientia curis inferioribus libera pacatè poſſit vel in Cœlum ipſum diuinarum contemplationum alis extolli. 1. Meth. c. 1. 1. magn. moral. in fine.

8. Et vt in rem penitus ingrediar, fœlicitas, ait ille, ipſa ſibi debet eſſe ſatis, alioqui plena fœlicitas ea non eſſet. At quidquid aliud à ſe diuerſum bonum ſibi in finem facit, (alio vocabulo quidquid eſt vtile) id ſibi ſatis non eſt: fœlicitas igitur haud vtilis debet eſſe cognitio, cuiuſmodi eſt actiua, verùm inutilis, vt merè ſpeculatiua. 1. Eth. 1. Rhet.

CAPVT XV.

Allatis ſuprà rationib. reſpõ

1. DEſiuerat iam Andreas ſimul in rem aliam ſe aggreſſurum oſtendens, cum his verbis Querengus intercepit. Ille quo ſemper moralem diſciplinam proſequutus ſum, amor, & ſi nullo alio nomine permouerer, veniam mihi

nunc

detur, & pro Morali inſtituitur diſceptatio.

nunc faceret, eam vt ſcientiam propugnarem. At verò cùm illa paucis hiſce diebus argumentum prætereà ſuppeditauerit, vt egregias adeo vos inſtitueretis, audirem ego diſputationes, nimium certè concio hæc noſtra moralis eiuſdem diſciplinæ à legibus aberraret, ſi tanquam in præmium eam in hac perantiqua ipſius lite damnaremus, ne patrono quidem illi tam dubia in cauſa conceſſo.

Viam ego tuis impreſſam veſtigijs inſiſtam, indeq; ducam exordium, vbi 2. tu impoſuiſti finem. Animum fœlicitas explet: Satis ipſa ſibi eſt: eam igitur inutilem eſſe decet, nec alteri fini deſtinatam.

Huic argumento non ita pridem tu ipſe feciſti ſatis, cùm commonſtratum à te eſt, fœlicitatis eſſe, vt ſtatum faciat conſtantem, eaq; propter haud ſitam eſſe in eo bono, quod vltimus eſt finis, ſeu ipſis in actibus, quippe qui inſtabiles fluxiq; ſunt; at in eo bono quod eſt medium; nimirum in habitibus manentibusq; animæ facultatibus, quæ ipſis actibus tanquam media deſtinantur. Ad hæc, in eo nititur prædictum argumentum, fœlicitatem bonum omnino ſimplex indiuiduumq; eſſe, quod de fœlicitate naturali falsò exiſtimatur. Res ſiquidem omnes procreatæ non eius ſunt perfectionis, vt ipſarum ſingulæ ſine aliarum conſortio nobis eſſe ſatis queant. At ex eo quod in Deo reperitur, bono infinito, rebus procreatis variæ veluti ſtillulæ inſperguntur; adeoque ipſarum rerum altera illud ipſum quod accipitur ab altera, bonum auget & oblectamentum. Quod ſi ita eſt, cur id quod maximè in ſe bonum habet, atque idcirco eſt in largienda nobis fœlicitate præcipuum, efficax ſimul eſſe non poſſit, minora nobis vt impetret bona; quæ ſanè efficacitas vtilitatis vocabulo ſignificatur.

Porrò duplex ea ſimilitudo à ſeruo, reique domeſticæ Præfecto petita, 3. eo, ni fallor, vitio, quo cætera petita à ſimilitudinibus argumenta, laborat. Placent ea quidem omnibus, ſed vnius vulgi aſſenſionem obtinent, cùm tantum ab efficientia diſtent, quantum ad elegantiam & concinnitatem accedunt. Concluſionis porrò vitium in voce latet ancipiti. Nomen *finis* duplici, vt vidimus, ſignificatione præditum eſt. Pro eo nonnunquam accipitur, cuius bono res agitur, appellaturq; *finis cui*. Hac verò ratione liber ſeruo finis eſt; & dominus in ijs, quæ rei domeſticæ Præfectus agit. Et ſanè huius gerere finis vicem, fœlicior conditio eſt, quàm alieno bono deſtinari: fœlicior quippe is erit, cuius in conficiendam fœlicitatem ipſe ſimul ac cætera occupantur, quàm quicunque alieno tantùm bono allaborat. Alia dicitur ſignificatione *finis* bo- 4. num illud, quod ſui cauſâ exoptatur ab animo, non quod fœlix ipſum ſit, at quia aliqua fœlicitas eſt eo perfruentis; dicitúrque *finis qui*, quatenus differt à medijs, quæ nequaquam ſe ipſis, ſed ijs tantùm, quæ pariunt, effectis bonis animos humanos in cupiditatem inflammant. Hac verò ratione merus finis eſt ſcientia contemplatrix, quippe quæ alteri bono eſt inutilis; non itidem actuoſa, ſi-

Digitized by Google

ſa, ſiquidem illa vtilis eſt ad agendum. At hoc pacto merum finem eſſe, non perfectum quippiam, quin potiùs à perfecto deficit, hoc eſt, ab ea, quæ cæteris bonis comparandis inſeruiat, efficacitate. Quod ſi minùs ita res habeat, enimuero vnio atque corallium, quia pluribus medentur malis, pretioſæ minùs eſſent gemmæ, quàm cæteræ nulli rei proficientes. Quin imò efficacitas ipſa rerum vniuerſitati tam vtilis, quam Deus ingenuit Soli, illum ab ea perfectione deieciſſet, qua ipſe frueretur, ſi ſe ipſo tantùm ſuamet pulchritudine complaceret. In ipſo auro argentoq; nobilitas Romæ tum decreuiſſet, cùm, ſuperato Pyrrho (vt Plinius narrat) in nummos Romæ formari ea cœpta ſunt metalla, *L.33.c.3* atque ita vtile in adminiculum euadere, vt quæcunque ad humanum commercium ſpectant bona, ipſorum ope obtineantur; quibus antea metallis nonniſi ingenitus nitor hominum appetentiam conciliabat.

5. Imò verò non modò mixta finis medijque bonitas meri finis bonitati non cedit, ſed in maiori nonnunquam apud nos æſtimatione eſt medium ipſum, quàm finis, vt ſuperiore *L.3.c.13.* die in arboris eiuſq; fructuum exemplo cognouimus. Ex altera verò parte optimè vos animaduertiſtis, media ipſa in fines ab animo per ſuauiſſimum ſpei affectum commutari, fieriq; hominem in præſentia fœlicem ex ijs, quæ fœlicitatem afferre illi valeant in futurum.

6. Supereſt igitur, primam vt eam rationem tantummodo expendamus, quæ à te pro contemplatrice ſcientia fuit allata, ex ipſa materiæ atque obiectæ rei dignitate. Neque verò (vt opinor) in reſpondendo nimium laborabo. Quis eat inficias plurimas ex actuoſis diſciplinas de rebus eſſe ſordidis, vitæ tamen humanæ perneceſſarijs? E diuerſo tamen quid prohibet, quominus earum rerum nonnullæ, quarum notio humanis regendis actibus prodeſt, ſublimes ſint atque diuinæ? At, inquis, ſublimia quæ ſunt & diuina, à nobis tractari non poſſunt, neque humanam veniunt in conſuetudinem. Verùm hac ratione id ſolùm conficitur ea illarum actuoſarum facultatum non eſſe materiam, quæ aliquid extra cognoſcentem moliuntur, ideóque facultates efficientes dictæ ſunt, quod varijs materiatis inſtrumentis ſuum opus efficiant; non tamen euincitur, actuoſas de ijs non eſſe diſciplinas, quæ dicuntur *actiua*,

7. quæ totæ ſunt in ijs regendis actibus, qui manent in nobis. An non moralis diſciplina Deum vti ſummum bonum, legiſlatorem ſummum, Reipublicæ ratiocinantis caput contemplatur? an non & ipſa ita de homine diſputat, vt eius conſpicuas maximè dotes introſpiciat, hoc eſt, qua ille ratione ſit ad virtutes exercendas, atque ad fœlicitatem adipiſcendam procreatus? an non quacunque in alia re vtilitatem ac detrimentum expendit, quod ad eiuſmodi præcelliſſimum finem ex illa proueniat? Cœnum-ne hoc eſt, quo moralis diſciplina ſordeſcat, an veriùs pretioſiſſima illa eſt auri medulla, quam è rebus nobiliſſimis humanum elicere poteſt ingenium?

8. Quin etiam ceu falſum illud confuto; contemplatrices diſciplinas, vt-

Digitized by Google

pote materiam ſibi pro libito ſeligentes, non vt moralis aſſolet pro humanarum menſura neceſſitatum, in rebus tantummodo præcelſis diuiniſq; verſari. Meamq; ſententiam aduerſus Ariſtotelem ipſius Ariſtotelis auctoritate confirmo. Ipſe quidem non modò ad ſordentium animalculorum naturam, ac partes contemplandas deflexit ingenium, at etiam puerile faſtidium appellauit, cognitionum genus huiuſmodi aſpernari. Narrauitq; Heraclitum, cum percommodè aliquando ſeſe calefaceret in caſa furnaria, aliquos ad ſe venientes inſpexiſſe, qui tamen eas ob loci ſordes, ab acceſſu deſtiterant. Idq; Philoſophus animaduertens ait: *Huc & vos accedite alacres, nam & hic Dij immortales commorantur.* Eadem, ait Ariſtoteles, ratione nequaquam mentis greſſus vllo ſunt à ſordidiſſimo corpore cohibendi, cùm in ijs omnibus admirando planè magiſterio Natura inſit, ac Deus. Neque verò quia ſimulachrum (Galeni pronunciatum refero) fictile eſt non aureum, minus in ipſo ſtatuarij artificium perſpicitur & æſtimatur.

1. de partib. animal. c. vlt.

Illud ibi præterea Ariſtoteles aduertit, ex vna parte res illas diuiniores, quamuis minimam particulam noſtræ perueſtigationi ſe prodant, ſua tamen dignitate in ea ipſa paruitate voluptatem afferre nobis ingentem: ex altera verò parte, per humiliora hæc, quippe quæ numero plura ſunt, certiora, & ſcilicet coniunctiora nobis, eam qua priores illæ præcellunt, dignitatem aliqua ratione compenſari. Nequaquam igitur cum veritate conſiſtit, contemplatricem omnem ſcientiam non niſi Cœlum inſpicere ac diuinitatem. Et iure quidem merito: Ea quippe naturalis ſcientiæ pars, quæ ad res huiuſmodi contemplandas attollitur, Pſychen illam prodigioſam referre poteſt, quæ ſororum dedignata exemplum coniugia recuſans humana Numini tandem nupſit, ea tamen lege, vt cum eo inaſpecto tantùm ageret inter vmbras. Ecquis memoria non tenet, Socratem de cortina ſapientiſſimum fuiſſe nuncupatum ea ſolùm de cauſa, quod ſuam noſſet inſcitiam earum quæſtionum, quas definire audebant alij, eo minùs Socrate ſapientes, quò in temeritatem audentiores; eam ob rem vulgo *meteoroliſci* nuncupati, perinde quaſi rerum ſublimiorum nugatores. 9.

Muret. in Notis ad 7. lib. ſen. natu. quaſt.

Atque, vt omnia vno verbo complectar: Moralis diſciplina præhabenda eſt, vtpote vtilior, rerum nihilo minorum exploratrix, ſuapte natura dilucidior, & cuius demum beneficio præceptum illud implemus: *Noſce teipſum.* Quare meritiſſimò antiquitas Socratem laudibus extulit immortalibus, quòd curioſitatis humanæ ſtudia contemplatricibus à diſciplinis ad morales traducens nobiſcum ad conuiuendum philoſophiam deuocauerit, quæ ad eam vſque diem inter ſydera tantummodo verſabatur. 10.

Caput XVI.

Statuitur quo ſenſu contēplatrix diſciplina melior verè ſit pars fœlicitatis, q̃ actuoſa, quæcunq; demū ea ſit. Sūmū in ſcientia delectamētū cōmōſtratur.

Hæc pro Ethice ſua Querengus, cui in hanc rationem ſubiunxit Andreas. Socrates ipſe, quicum abſoluiſti pro cariſſima ſibi diſciplina, & ab ipſo pro- 1.

propemodum Socratica dicta præclariùs diſceptare non poterat. Verùm, ſi libet, ne aduerſari nobis patiamur Ariſtotelem: Statuamusq; ita. Duo in actuoſa ſcientia expendi poſſunt bona: Alterum eſt, quo intelligentem animam paſcimus veritate, qua parte non illa diſcrepat à contemplatrice: Alterum eſt, quod actus ipſos iuuat, atque hinc *actuoſa* ducit nomen rationemque. Iam verò altera hæc perfectio minor in illa quidem eſt, quàm prima. Prima ſiquidem bonum eſt certum ac præſens, altera incertum futurumque bonum quærit: Idem verò incertum ac futurum bonum, quod altera molitur, non magis integrum profectò, neque nobilius erit, quàm quod certum ac præſens prima largitur. Quare indubitatum eſt, cognitionem, quatenus contemplatur, potiorem eſſe fœlicitatis partem, quàm ſit quatenus efficit quicquam. Num verò ea, quam loquor, perfectio contemplatrix emineat magis in ijs diſciplinis, quæ purè merèque contemplantur, an verò in ijs, quæ aliquid agunt,
2. alia ſanè quæſtio eſt, in qua vehementer ipſe tuam in moralem propendeo, ijs ductus rationibus, quas tu paulò antè in medium attuliſti. Verùm lis hæc ſub Iudice maneat adhuc, carò ſiquidem Paridi ſtetit ſuam inter Deas ferre ſententiam. In comperto quidem eſt in fœlicitate fundanda quamlibet aliam voluptatem ſcientiæ oblectatione ſuperari. Hæc cæterarum eſt honeſtiſſima, & quæ maximè à doloris permixtione ſeiungitur; quippe quam natura non vt cæteras voluptates inuenit, quò ægris corporibus medeatur, ſed ad mentis valentiſſimæ delicium: non furibus, non militibus, non tyrannis obnoxia eſt, ac demum non, ſimiliter ac aurum, diues eſt periculum poſſidenti, illiciumq; proditionum ijs, quibus cum arctiſſimè nos Natura coniunxit: Bonum vtique illa eiuſmodi eſt, quod non amittitur largiendo, ſed largitori augetur: nullus quippe diſcipulorum pluſquam præceptor eruditur. Bonum, quod nos inter exilia comitatur, non deſerit in carcere, & dum corpore vincti detinemur, nobis alas accommodat, noſtro nos vt ingenio volatum in æternitatis atque immenſitatis campos patentiſſimos explicemus.

CAPVT XVII.

Qua ratione fiat, ſi ſcientia fælicitatis optima pars eſt, vt infælices viuãt tot ſciẽtes. Minimorũ bor. rũ defectus maxi...ũ eſt omniũ malorũ.

1. Hic illum Saracenus interpellauit; Si bonorum eſt maximum ſcire: quiſque ſciens fœlicitate frui deberet: ſiquidem quoduis aliud bonum illi fortuna deneget, ea tamen poterit obijcere ſapienti.

Quod minimum eſt, ademi, quod maximum optimúmque, tibi conceſſi. Et tamen quiſquis exulis Tullij ad Atticum peruoluit epiſtolas, nequaquam eum fœlicem dicet, quanquam ſcientiſſimum, dum ille gemitibus planè puerilibus vulnerari ſe calamitatis intolerandæ ictibus lamentatur. Et vt recentiora proponam, quæ, vtpote notiora, vehementiùs perſuadent, quem nominter litteratos maiorem Torquato Taſſo ætas noſtra ſuſpexit? in quo animaduerſum quidem eſt, tunc enimuero Poëtarum cantus à ſuaui luſciniarum garrulitate diſtingui, cùm à Lycæo ſententiarum accipit dignitatem, neque vnum

 vocis

vocis melos impetrat à Parnaſſo. Iam verò ſolutæ ipſæ Torquati orationes, non diſertè magis eius doctrinam, quàm inquietem infœlicitatemque confirmant.

Ne, vt huius rei congeras exempla, labores, intercepit Andreas. Miſer eſt, miſerum ſe quiſquis putat: affici ſe is quidem malo arbitratur ingenti, eoque vehementer dolet: vehemensque mali dolor, falſum licet illud ſit, malum tamen verum & vera calamitas eſt. Nunc verò nihil litteratis Viris frequentius eſt, quàm ſe infœlices ducere, fortunamque ſuam lamentari. Aſſentio igitur, miſerum ſæpenumero eſſe ſcientem; duplici tamen ratione reſpondeo. Primùm quidem, complurium ſcientiſſimorum Virorum calamitas euenit aliquando, non ex ipſa doctrina, ſed ex oppoſito, nimirum quibuſdam ex erroribus, qui eorum cum doctrina iunguntur. Falluntur ipſi quidem, primò, quòd plura ſe ſcire, quàm verè nouerint, plura etiam quàm promereantur, promereri ſe exiſtimant, & eam rem, iniquè ſe, nec pro ſuis meritis præmijs affici arbitrantur. Quia verò Platone Iudice, malorum eſt acerbiſſimum iniuria, inde fit, vt ij ſeſe calamitoſos ducant. Falluntur præterea in ea exiſtimatione, quod quibus carent diuitijs ac dignitatum gradibus, multo maius, quàm reipſa eſt, contineri bonum putent. Et quo maius bonum eſt, (præcipuè ſi debeatur) à quo nos reijcimur, eo magis eius vacuitas atque inuiuria euenit intoleranda. Hæc eſt, in quam ſapientum plurimi incidunt, calamitas, non quatenùs ſapientes, at quatenus ignari, & à veritate aberrantes. 2.

2. de Rep.

Alio poteſt in euentu ſcientia cum calamitate conſiſtere; cùm videlicet ſcienti bona quædam penitus deſunt, minora quidem, at magis, quàm ipſa ſcientia neceſſaria. Qua in re aduertendum eſt, cùm vniuerſè Natura debeat ſoluatq; integerrimè, quæ neceſſaria ſunt, hoc proinde bonorum genus minimùm oblectare, cùm tenetur; neque illius qui compos fuerit, ex eo fieri fœlicem: nam ſecus fœlicitas non mercedis eſſet, at Naturæ, vulgare bonum non præcipuum ac ſingulare. Proinde quæ magis oblectant bona, quæ pręſtantiora ſunt, & quæ maiore nos parte fœlicitatis donant, neceſſe omninò eſt, vt ea ſint redundantia & ſuperuacanea, illa nimirum, quorum defectus nec adimit vitam, nec vitam efficit ærumnoſam, eaq; propter tenue malum eſt. Contrà verò eorum, quæ neceſſaria ſunt, vacuitas, malum eſt omnino grauiſſimum: quippe neceſſarium id nuncupatur, ſine quo aut vita duci non poteſt, aut cum dolore ſolùm poteſt, vt vox Latina docet, *neceſſe* perinde quaſi *nec eſſe*. Cùm verò ſapienti bonum aliquod deerit, aut ipſi neceſſarium illud ſit ex natura, vt alimenta, bona valetudo, libertas, atque huiuſmodi cætera, ſiue ea ſibi ſapiens in neceſſitatem trahat ex vehementi amoris impulſu, nonnunquam etiam prudenti, cuiuſmodi filiorum eſt vita, & bona ſui nominis fama, nonnunquam etiam imprudenti & immodico, veluti diuitiæ ſunt, honores, voluptates; ea, inquam, 3. 4.

cùm

cùm accidunt, non ille ob ſcientiam fœlix erit, neque hac in re diu altercari opus fuerit aduerſus effata illa Stoicorum glorioſiſſima. Experimento conficitur, inter cruciatus ac diuturna conſtantiaq; infortunia ex vna tantùm re gigni fœlicitatem ac voluptatem poſſe; ſpe nimirum cœleſtis præmij nullo vnquam tempore deſituri. Quamobrem terreſtris illa beatitudo quouis ab incommodo exterioriq; turbamento remota, quam inuitâ Naturâ inuehere priſca Philoſophia tentauit, concedi nobis nequaquam poteſt, præterquam ab ijs, quæ Naturam excedant, prærogatiuis: hoc eſt, à fide certiſſima, quæ nobis indubitatum facit, humanás ærumnas Dei causâ exantlatas perennem nobis pariturás eſſe fœlicitatem: ab eaque innocentis animi nil ſibi conſcij tranquillitate, quæ nos vereri non ſinat, ne huiuſmodi fœlicitatis adeptione fruſtremur.

5. Gemina hæc regia Dei munera ea ſunt, enimuero quæ medias inter flammas pro Chriſto pereuntibus liquidiſſimas creant illecebras: hæc ſetoſas Capucinorum tunicas roſis ac floribus intertexunt, nudiſque dura tabulis ſtrata Diſcalceatorum familiæ molliſſimas formant in culcitras: hæc ſupra muſicum omne melos iucunda faciunt ſilentia Carthuſianorum; ac nectare perfundunt non modò ſeuera Minimorum ieiunia, verum etiam amarulentas herbas, & neſciam ſaporis gelidam Eremitarum: Hæc ipſa efficiebant, vt laudatus ille à Ruffino adoleſcens Theodorus furente in Chriſtianos Iuliani Tyrannide decem integras perpetuaſq; horas eam omnem ſæuitiam varietatemque cruciatuum ferens, qua eloquens Orator ſupplicia deſcriberet Inferorum, Pſalmos Hymnoſque ſemper lætiſſimè decantaret; neque aliud quippiam ipſius animo dolorem intulerit, quàm quòd à cruciatibus corporis tandem aliquando membra ceſſauerint. Sed quid antiqua refodimus? Huius in experimento rei quotidie nobis eſt tot beatiſſimorum hominum gaudium inexhauſtum, qui beneuolentiſſimi hoſtes in ſe ipſi ſunt atque tortores: &, vt è meis vnum dicam, Camillus Conſtantius, dum ignibus vorabatur, eâ lætitiâ Triſagium concinebat, vt in ipſo fornacis Babylonicæ repetitum fuiſſe prodigium videretur. Illæ verò glorioſiſſimæ Stoicorum oſtentationes pauca poterant conſtantis animi exempla, lætitiæ omnino nullum, afferre.

Lib. 10. hiſt. c. 36.

CAPVT XVIII.

Quib. Bonis ſapientia mediū ſit conducēs. Gemina laus refellitur, altera. q̃ ipſi ſapientia hominum multitudo, altera, quam eidem Plato impertitur.

1. DE bonis egimus, quæ ſe ipſa largiri ſapientia poteſt: illa nunc expendere par eſt, quibus vt medium ipſa conducit. Hæc verò & ipſa ſunt maxima.

Nihil dubitandum hîc eſt, addidit Saracenus; omnes quippe artes, vt ſuperiore die aduertimus, ex Philoſophia ſunt ortæ; ijſque ſi nos deſtitueremur, nec voluptate frueremur vnquam, nec viueremus. Præterea (id ipſe innuiſti) oſtendit in Lyſide Plato, ſapientiſſimum ſemper cæteris imperare: ſiquidem

Paterfamilias auctoritatem in equos Præfecto ſtabuli concedit, lineam in ſupellectilem ancillis, in cibos coquo, in filios Pædagogo, eandémque auctoritatem in has res omnes denegat liberis, quos ipſe maiori multò amore complectitur: id verò non alia de cauſa, niſi quia earum rerum peritiores illos, quàm hos, arbitratur: Imò verò Rex ipſe equum aſcendere ac moderari cùm diſcit, Magiſtro paret equeſtri, in armorum luſu gladiatori, & in ipſa ſui corporis procuratione eandem ob rem Medico morem gerit.

Eruditè, ait hîc Andreas, à te allata ſunt elogia, quibus ſuas artes cumulant ſapientes. At ſi Iudicis incorrupti non Patroni partes agamus, geminas haſce prærogatiuas parum fœlicitatis in ſapientem conferre conficiemus. 2.

Quod pertinet ad primam, indubitatum quidem eſt, artes initio inuenta fuiſſe ſapientiæ; nunc verò repertæ iam ſunt, numerusq; innumerus eorum eſt, qui eas pretio tractant. Quod igitur ad humanam neceſſitatem & oblectationem facit, nummi potiùs, quàm ſapientia in omnium nos artium poſſeſſionem admittunt. Quicunque diues auri beneficio optimus euadit colonus, dum ei aurum fructus comparat exquiſitiſſimos omnium, quos è ſolo ſolers elicere valeat agricultura. Auro textor ſutorq; fit inſignis, quo nimirum auro veſtes illi pretioſaque ſupellex liberaliter apparantur: Faber, Pictor, Sculptor, Architectus, omnium denique artium Dædalus, ſiquidem perfectis arte operibus multo diues abundabit magis, quàm pictis tabulis Guido Renus, ſimulacris, Berninus.

De altera verò laude id par eſt animaduertere, ſapientem cum potenti collatum nequaquam imperare, ſed conſiliari, adeoque famulari, dum alienæ commoditati ſuam vt illi ſeruiat, ſapientiam tradit. Atque ita eiuſmodi munere ſapientia dum perfungitur, non ſapientis, at potentis molitur & efficit fœlicitatem. Cuius argumentum eſt rei, Simonidis reſponſum, qui Hieronis ab vxore interrogatus de maiori ſapientiæ diuitiarumq; dignitate; Video, inquit, in diuitum ianuis ſapientem. 3.

Ariſtot. 2 Rhe. c. 16

CAPVT XIX.

Alia bona quib. cōducēs eſt mediū ſapientia. Quātum illa virtuti proſit. Quanam gloria ſit maxima, Sapientiane, an Armorū, an Potentia.

QVæ tamen Sapientia nobis bona progignit, ſunt potiſſimum affectus componere ac ſedare. Elegans eſt ac lepida ſimilitudo, qua hoc imperium oſtendit Hippocrates, quod ſapientia in perturbationes animi exercet. Quieſcunt illæ, ait, vt primùm ſapientia peruadit in animam, vt ſtrepentes famuli deſiſtunt à tumultu domi, ſtatim atque herus aduentat. Id verò euenit, quia impetus animi nonniſi exleges ſunt affectus, quibus odio nonnunquam, nonnunquam amore complectimur res aliquas, aut nihil id merentes, aut ſupra quàm illæ promereantur. Naſcitur autem plerumque id ab errore intelligentiæ; quem ſapientia diſcutit, appetens quippe animæ facultas ad amuſſim ferè amat aut odit bonum illud aut malum, quod ſe ſe ipſi in re obiecta proponit. 1.

Scio,

Digitized by Google

2. Scio, ſapientum plurimos vitijs eſſe corruptos; quidquid contrà Stoici aſſeuerent. Id verò partim quidem euenit, quia vel ipſa re apprimè cognita, liber tamen adhuc eſt animus; partim verò, quia ſapientes ij nuncupantur, qui rerum veritatem vniuerſim norunt. At verò appetitio peculiaribus regitur ducitúrque poſitionibus, in quibus ij egregiè nonnunquam aberrant, qui dogmatum vniuerſalium ſunt ſcientiſſimi. Cæterùm in comperto eſt veritatis cognitionem ad bonum eligendum ſuapte ſemper natura propendere.

Duo tamen hac in re indigent animaduerſione. Alterum eſt, mihi ſermonem eſſe de ſapientia, non de pędia, nec de venditatione, quæ ambæ ſibi nonnunquam ſapientiæ nomen vſurpant. Alterum eſt, humanam inuidentiam ſemper optimis aduerſantem, ſapientum notare ac memorare peccata, ea verò negligere vitia, quæ ſunt ineruditorum. Doctorum indoctorúmque mores hominum inter ſe ſe conferantur, & in perſpicuo erit, quantò minus ij plerumque, quàm hi, praui animi oppugnentur impulſibus, & expugnentur.

3. Alterum ſapientiæ beneficium eſt, poſſeſſa æqualium reuerentia, ſperatáque poſterorum in gloria immortalitas. Gemina hæc bona optabiliori quidem ratione à ſapientia, quàm qualibet ab alia prærogatiua, ſi vnam Virtutem exceperis, afferuntur. Potentia quidem ab ijs, qui eadem ætate viuunt, colitur magis, quàm ſapientia, non tamen ab omnibus, ſed ab ijs tantùm, qui huiuſmodi potentiæ ſuis in aſſequendis votis aliqua ratione ſubduntur, Et ab his etiam quanquam Potentia colitur, ſæpe tamen ſimul odio habetur, etenim & ſubdito grauis eſt, & ambitur à minoribus. Sapientia ſpectabilis omnibus eſt, amatur à cunctis, præterquam ab ijs nonnunquam, qui ſapientibus æmulantur. Ideo autem amatur, quia id præ alijs dotibus habet ſapientia, vt eius aliena poſſeſſio, non modò non prohibeat, quo minus ea ab altero obtineatur, imò efficiat, vt eiuſdem alij quoque poſſeſſores fiant. Inuidioſa tantùm eſſe poteſt, vt indicaui, ijs qui eâdem in facultate anhelant ad gloriam; quilibet enim honor, quò rarior eſt, eò etiam eſt carior & præclarior.

Verùm in poſteros potentiæ dominatus parùm protenditur; eius proinde parùm viuax apud illos memoria eſt, gloria in nihilum propemodum euaneſcit. At ſapientia impreſſis voluminibus conſequentes omnes erudit ætates, ab ijsq; omnibus & nominis vitam, & gloriæ præmium refert.

4. In contentionem venire hîc ęquiùs fortaſſe poſſet armorum exercitatio: quippe quæ ſicut grandiora conatur & efficit, atque etiam quæ mortalium vniuerſitati ſunt notiora, ita pariter gloriæ multò plus habet: Neque verò pro ſapientia quicquam facit, quod ille cecinit.

Vixere fortes ante Agamemnona, Horat.

& cætera quæ conſequuntur: neque attinet decantata illa in medium producere, militum gloriam in poſterorum ætates nonniſi ſcriptorum pennis tan-

quam

quam pernicibus alis efferri: Minoëm Cretæ Regem integerrimum, quòd Athenienſibus litteratis viris grauior fuiſſet, Tyrannidis inuſtum notâ in Græcis
in Minoë. Tragœdijs, quod apud Platonem eſt. Non, inquam, hæc argumenta conficiunt, nam quod pertinet ad primum, conficiens vtique id eſſet ijs ſæculis, & eos inter populos, quibus ſcriptores deſunt, qui valeant velintque militaria facinora immortalibus efferre præconijs: Nunc verò verendum apud nos ſanè non eſt, ne præſtantiſſimi exercituum Imperatores obſcuro ſilentio idcirco tumulentur, quòd laudatores deſint; cùm haud minus ad conſequendam æternitatem beneficium paginæ accipiant, ex eorum quæ inibi narrantur facinorum magnitudine, quàm ipſa facinora ex eloquentia paginarum. Cùm igitur
ita militaris gloria ſit in tuto, nihil ad eiuſmodi gloriæ dignitatem facit, an ſuâmet, an alienâ operâ obtineatur; alioqui maiorem typographi, quàm ſcriptores gloriam conſequerentur, typographorum nempe operâ & ſcriptores viuunt, & cum ſcriptoribus ipſis viuunt perpetuò nomina Typographorum. Maioris verò minorisve gloriæ menſura non alia quidem eſt, quàm eius, quæ in laudato viro ſuſpicitur rei geſtæ peruulgata omnibus notio exiſtimatioque ſublimis. Atqui notior eſt vniuersè Alexandri virtus, quàm Quinti Curtij eloquentia, maioremq; ſui exiſtimationem in hominum animis parit Regnum expugnaſſe, quàm librum exaraſſe. 5.

Hæc de primo, iam de altero vt dicam argumento: Militarium Imperatorum geſta, quippe quibus tot ſpectatorum millia teſtes accedunt, non peruerti nimium ab hiſtoricis queunt, niſi mendacij notam nomenque velint incurrere. Quod ſi Poëſis aliquando facultate ſua abutitur detrahendo, hiſtoriæ tamen, quæ veritatem amat, non Poëſi, fides vnicè habetur. Sic eueniſſe Minoi videmus, dum in ipſa Athenarum vrbe ſcriptor non defuit incorruptus, qui maledictis falsò carptam eius integritatem poſteris euulgaret. Quin imò ſi à veritate diſceſſerit Hiſtoricus, non vtique minuendo, ſed exaggerando diſcedet, cùm id narratoribus familiare ſit, quò alios rerum admirabilitate delectent magis, vt Ariſtoteles aduertit. 6.

Sed vt hæc ita ſe habeant, ſapientiæ gloria (dicam quod ſentio) armorum gloriæ præhabenda eſt. Primò quidem, nam gloria ipſis in armis ſciendi potiùs, quàm pugnandi fructus eſt. Pugnant milites, obſcuriq; prætereuntur: Dux aliquando ne gladium è vagina eripit quidem, & immortalitatem rapit, quippe qui moderatus eſt alijs, vt opportunè pugnarent. Neque verò cùm ſapientiam laudo, vnam ego litteraturam loquor, ſed quamcunque aio veritatis eximiæ notionem. Præterquam quòd, licet etiam ſapientiæ nomen arctiùs vſurpemus: militaris arenæ gloria fortunæ ludibrijs obnoxia nimium eſt: ſiquidem ab infortunatis euentis, quæ nullo Ducum vitio non rarò accidunt, de ipſis Ducibus mortales iudicant: at ſapientis honor vniuerſus, ab ea, quæ in ipſo eſt, excellentia, vnicè pendet. Denique caro nimis militi ſtat hæc aura no- 7.

nobilis, quæ gloria nuncupatur: pro quâ emendâ perpetuò tum labores, ſudores ac ſanguinem corpore, tum animo inquietem atque horrorem exſoluit. Neque artium vlli contingit, vt in ſe tantum nominis ſplendorem, tantâ cum vitæ tranquillitate coniungat, quantum ſtudijs litteratorum.

1. CVm in ſermone mihi fuit primum bonum, nimirum *eſſe*, ea expendi media, quæ ipſi retinendo conducunt. Retinendo, inquam; nam *eſſe* præſens ad mortales pertinet vniuerſos; ſpes autem non vana eius protrahendi, ea enimuero dos eſt præcipua, quæ fœlicem quadamtenus à calamitoſo ſeiungit. Haud tamen communis pariter dos eſt præſens ſapientiæ poſſeſſio. Sed quoniam de fœlicitate nos agimus, quatenus manens ab ea ſtatus efficitur, nequaquam ſapientia præſens, hoc eſt, præſens cognitio, quanquam præſtantiſſima æſtimanda eſt, ſiquidem hæc oriri fortuitò poteſt in hominis vel ignariſſimi mente: neque hic eam ob fluxam notionem dicendus erit fœlix. Multò igitur attinent magis ad fœlicitatem largiendam adminicula proxima, certa, manentiaque, quorum ope cognitiones præſtantiſſimæ exerceantur. Hæc

CAPVT XX. *Quaenam ſint media ſapiētia opportuna.*

2. ſunt precipuè herentes maximè habitus diſciplinarum. Quidnam rei ſint hi diſciplinarum habitus, controuerſia in Lycæis eſt ingens: Cum ijs ipſe facio, qui eos habitus arbitrantur eſſe celeberrimarum atque apprimè ſpirantium icuncularum multitudinem, quæ ſua nobis exemplaria illico diſtinctéque proponant.

Deinde medium eſt efficientiſſimum ad cognoſcendum facultatum intelligentium perfectio naturalis, quæ, vt opinor, ſita eſt in eo, vt abſolutiſſima inibi ſit officina, in qua imagines eiuſmodi elaborentur viuidæ, dilucidæ, celeres, arctiſſimo fœdere inter ſeſe coniunctæ, appetentis facultatis imperio obſequentes, obliterari atque hebeſcere difficiles; Præterea opportunum eſt maximè, intimus vt mentis oculus optimus ſit, qui eodem omnino tempore valeat earum imaginum plurimas intueri. Neque parum intereſt bona valetudo, capitiſq; vigor ad hæc ſine dolore aut defatigatione munera obeunda. Propendentem in ſtudium, ac veritatis amantem genium; ingeniumque adde, ac proinde tale quod non eiuſmodi affectu ducatur, vt id eſſe verum prorſus exiſtimet, quod verum eſſe optauerit, & quod ſemel aliquando crediderit. Pertinet huc ſtatus exterioris conditio non irrequieta, non impedita, non anguſta. Denique plurimum optima ſæculi ætatiſque, qua viuitur, patriæq; conditio confert. Animi quippe, fructuum inſtar, ſi optima tempeſtate ſoloque naſcantur, perfectiores fiunt. Non me fugit animaduerſum in Democrito à Iuuenale fuiſſe, poſſe etiam ſapientes;

Veruecum in patria craſſoq; ſub aëre naſci: *In vita Democr. in princ.*

3. Noui etiam voluiſſe Plutarchum non maiori nocumento eſſe ad ſapientiam obtinendam ciuibus obſcuritatem Patriæ, quàm officiat filio deformitas

Digitized by Google

Genitricis. At Iuuenalem interrogo: vnde-nam eueniat præterquam ab ipſa locorum varietate, aut ab alia atque alia imminente immoti Cœli parte, cui Cœlo nomen Empyreo eſt, vel, vt alij ſentiunt, à diſſimili elementorum permixtione, quam Deus varijs in terrarum partibus, cùm hanc procreauit rerum vniuerſitatem, inſeuit: demum vnde accidat, niſi à diſſimili regionum habitudine, vt cùm alium eumque æqualem nos priſco Mundum inuenerimus, innumeras planè eos populos docere potuerimus diſciplinas & artes, ab ijſdem verò adinuentam condiſcere prorſus nullam. Plinium interrogo, quidnam aliud in cauſa ſit, niſi fortunæ præſentis ignobilitas, quòd Græcia totius quondam Vniuerſitatis Magiſtra, nunc verò tam alto ignorantiæ cœno ſordeſcat ac delitcſcat.

CAPVT XXI. *De gaudio: & an falsũ gaudium ſit pars fœlicitatis.*

Qvod inter naturalia integraque bona loco tertium recenſuiſti, voluptas eſt. Hoc duplici ratione poteſt expendi: vel quaſi gaudium, quod in animo ex boni vel ſpe, vel poſſeſſione ſuboritur: vel quaſi ſuauiſſima illa illecebra, quæ in ſenſibus gignitur ex ipſa præſentia cuiuſpiam rei, quæ amica ſenſuum ipſorum Naturæ contingat. De voluptate, vt primo loco diſtinximus, differere ſingillatim ſuperuacaneum videtur. Etenim cùm illa cæterorum erumpat è cognitione bonorum præſentium aut proximorum, vtique de bonis his agere, videtur ſatis: nihilo tamen minus euenire poteſt, vt huiuſmodi cognitio falſa ſit, quare locus eſt dubitandi, an ea, quæ naſcitur huiuſmodi falſa è cognitione voluptas, fœlicitatem pariat. Illa quidem non adeò perfectam tribuit fœlicitatem, qualem efficit gaudium illud, quod ſincera boni proles eſt, non adultera. Nimirum hæc altera voluptas nequaquam cum miſeria, hoc eſt, cum errore, quemadmodum prima, coniungitur. Præterquam quòd eſt etiam ſuapte natura conſtantior. Hoc poſtremum ita confirmo. Pro natura & more intelligentis animæ frequentiùs eſt veras cognitiones, quàm falſas efficere ac retinere, vt diſceptatum inter nos eſt. Vitam igitur habet morti ſemper hærentem gaudium illud, quod falsâ nutritur exiſtimatione, quippe quod à genitrice mox moritura lactari ſolùm poteſt, hoc eſt, ab ea cognitione, quæ cùm minimè naturalis ſit, eſſe proin diuturna non valet. Fictitij Semiramidis Elephanti, Idola propugnantium inſtar militum impoſita mœnibus Aquileiæ breui tantùm hoſtilem alterius inuaſionem, expugnationem alterius retardarunt, neque modus aut ratio eſt, qua quis diu talis videatur, niſi ſit talis; quod Socrates cuipiam reſponſum dedit artem ſciſcitanti, qua videretur bonus. Nonnullus tamen error præcipuis de cauſis diuturnus eſſe poterit: vt ſi filius à Patre lactandus nutrici permiſſus, occumbat, proque eo nutrix filium proprium ſupponat, eum vt in maiori fortuna conſtituat: & mox extincta nutrice, rei geſtæ omnis notio depereat: interim verò puer ille maximam adoleſcat in virtutem, & ſummos ad dignitatum gloriæq; apices euehatur. In hac re inficia-

(margin notes: 1. — L. 2. c. 39. 2. — Diod. l. 2 — 3.)

Digitized by Google

ficiari non poſſum, eiuſmodi gaudium magnam in Patre partem eſſe fœlicitatis. Nos enim hîc humana de fœlicitate loquimur, quæ ſperari nunquam adeo ſincera poteſt, quin illam aliqua calamitatum labes inficiat. Eius igitur erroris deprauatio, tanti gaudij bono compenſari videtur abundè. Et quidem Tullius ita Catonem Stoicum illum ſeueriſſimum, loquentem inducit ſe ab eo errore (ſiquidem error fuiſſet) abduci nolle, qui gaudium ſibi pariat & voluptatem. *De Sen. in fin.*

4 Age verò: quiſquamne inter mortales erit, qui libenter falſam fiduciam eorum deponat bonorum, quę nullo vnquam tempore aſſequetur, ſimulq; ſpei dulcedinem, qua eam ob rem fruitur in præſenti? Nemo certè inter beneficia reponeret, quòd infauſtus quiſpiam vates ipſum falſa depelleret à perſuaſione, quam concepit de ſuæ ſobolis perennitate, liberorum honoribus, nominis immortalitate. Et tamen ita vices humanæ comparatæ ſunt, vt quicunque nunc fortunæ carus nectare paſcitur, ſi ærumnas proſpiceret, quæ ſibi poſteriſq; ſuis olim impendent, ab hac futurorum contemplatione fel merum hauriret. Omnium igitur mortalium fœlicitas aliquo conflatur errore, qui eos falsò in ſpem euehat, fore, vt malis careant re ipſa euenturis.

Aduertere hîc etiam habeo neceſſe, ſi, vt eam vniuersè accipimus, voluptas, aliqua de cauſa planè tolleretur, cætera quæcunque eueniunt bona, nihil planè fœlicitatis tunc allatura. Quippe huiuſmodi voluptas ea tandem eſt boni poſſeſſio; ipſum verò bonum non modò fœlicitas nulla, ſed ne bonum quidem illi eſt, à quo non poſſidetur. Adeoq; *potiri ac frui*, quorum alterum poſſeſſionem, alterum voluptatem ſonat, ſynonyma ſunt.

CAPVT XXII.

Diſputatur de voluptate, quatenus ad ſensū ſpectat. Ratio proponitur, quæ maximè videri poteſt, cōducens ad propugnā dā Epicuri ſententiā de fœlicitate.

1. DIcam nunc de voluptate in altera eius nominis poteſtate, in qua fœlicitas ipſa Epicureorum ſignificatur.

Fateor ſanè, ipſorum ſententiam non videri mihi antehac fuiſſe ſatis rationibus confutatam.

Aiebant illi, verum bonum verumq; malum in ſenſuum voluptate ac dolore conſiſtere, ſiquidem hæc tantùm bona & mala ab exiſtimatione non pendent. Alloquij ſanè ac temporis lenimenta minuere poſſunt, ac demum extinguere dolorem, quo animus afficitur ob natorum mortem, ob iacturam dignitatum, Patriæ ac libertatis: non tamen efficere poſſunt, vt corporis mala leuiora nobis fiant. Hæc igitur tantummodo vera ſunt mala; cætera ex vano ſic reputantur, nec ſe ipſis mala ſunt, ſed exiſtimatione inficiuntur. Eidem pariter ſecundi euentus alios ſummâ lætitiâ, alios exiguâ, nullâ alios afficiunt, prout ijs fuerint in exiſtimatione. At excruciatus quiſque ſiti ſummam è gelido poculo voluptatem capiet, quiſque laboribus defatigatus, ſomnoque oppreſſus molliſſimâ culcitrâ recreabitur: quilibet æſtus inter Caniculæ Zephyros amat afflantes, quilibet eſurie vexatus haſillas pro ſtomachi palatiq́ue ſui illecebrâ dapes ſuccoſq; deſumit; neque tamen ad idrationibus vllis aut ſuaſioni-

ſioni-

Digitized by Google

ſionibus permouetur. Hæc igitur poſteriora vera ſunt bona, priora illa bona tantummodo exiſtimantur. Verùm, quia huiuſmodi exiſtimationes ſatis ipſæ ſunt, vt animum crucient, veréq; faciant infœlicem, idcirco Epicurei inter bona eam reponebant ſcientiam, quæ animum ab huiuſmodi exiſtimationibus liberaret: non quidem inter bona, quæ ſpectarent ad finem, ſed inter ea, quæ ad media pertinerent.

Aduerſus huiuſce ſententiæ falſitatem tribus præcipuis argumentis veteres inuecti ſunt. 2.

Primum illud erat; ab ea publicum euerti bonum, cui neceſſe eſt, vt ſæpe homines alium agant ob finem, quàm ob ſenſuum voluptatem; Cùm pro Patria & virtute deceat aliquando mori, atque ita ſenſibus ipſis ſeſe perpetuò abdicare. Huic argumento multiplices, ſed maximè imbecilles excogitarunt Epicurei reſponſiones, vt publicam inuidiam declinarent. Nunc inter nos diſcutiamus, qua illos ratione confutaſſemus, ſi depoſitâ perſona aſſenſiſſent, gloriam & virtutem impoſturas quidem eſſe; at impoſturas, quas ipſa Natura vehementer fouet, quippe quę huic vniuerſitati rerũ proſunt: atq; idcirco tam raros eſſe fœlices illos ac ſapientes, qui ſpectris huiuſmodi torqueri ſe non patiantur.

Alterum, quod obiectum fuit, illud eſt: magnis in calamitatibus, aut parũ, 3. aut nihil prodeſſe nobis quamlibet ſenſuum voluptatem. An nos arbitramur, 5. Tuſcul. inquit Tullius, cùm ſuam conflagrantem patriam, ſanguinemq; liberorum profluentem Priamus vidit, magnæ futurum illi fuiſſe voluptati florum ſuauè olentium calathum odorari, aut iuſculũ deguſtare? Senſuum igitur bona nihil ferè conferunt ad fęlicitatem. Ex altera verò parte maiorem multò voluptatem elicimus quibuſdam è bonis, quæ ad ſenſum non pertinent, quàm ex iis omnibus illecebris, quas ſenſib. ipſis vel Sardanapali, vel Æliogabali potentia propinaret. Vbi primùm Antuerpiæ expugnationem Philippus II. Hiſpaniarum Rex audiuit, ne illâ quidem ſuprà quàm Stoicâ ſeueritate ſuâ contineri potuit, quin in- 4. tempeſtâ nocte de cubili proſiliens, ad illud, in quo Iſabella ipſius filia iacebat, cubiculum accurreret, & ad oſtium pulſans exclamaret: *Antuerpiam tenemus.* Quæ dapes, quod melos, quis odor tantam Philippo voluptatem, tantamque fœlicitatis partem eliquaſſent in pectus? Alia igitur bona magis quàm ſenſuum delectamenta fœlicitatem hominis complectuntur.

Verùm ne hæc quidem ratio euincit, niſi validiùs confirmetur. Mentis fal- 5. ſæq; ſpei fuit error ille, inquient Epicurei, qui in adeptione Antuerpiæ tam ingenti lętitiâ Philippi animum cumulauit; ſi ſolers ipſe aduertiſſet eam adeptionẽ nihil vnquam ſibi maioris allaturam fuiſſe boni, nihil vitæ ſuæ ſpatia prorogaturam, non leuaturam morbos, non voluptatis cuiuſpiam reddituram emolumentum, denique non alium omnino fructum exhibituram, niſi quòd ſuo ipſe ſecum animo ratiocinari ſic poſſet: *Antuerpia mihi paret: meamq; ad ditionem pertinere Antuerpiam homines intelligunt: caterũ ea qua vixi antehac ratione, in per-*

in poſterum viuam. Enimuero talem ob euentum gaudio non proſilijſſet. Neq; ſapiens quiſquam aſſeret Regem illum, vbi feruor inanis eius lætitiæ prorſus euanuit, fęliciorem fuiſſe, quàm ſi & nunq̃ Antuerpia in hac rerum Vniuerſitate extitiſſet, & ea ſibi omnia Philippus cõmoda retinuiſſet, quæ à reliquis Regni ſui partibus obtinebat. Proinde non Antuerpię expugnatio materies illi voluptatis per ſe fuit, at verò ſpes quædam illinc enaſcens, ꝙ eo ex euentu fœlicitas aliqua præſtantiſſima Philippo deberet obtingere; quæ quidẽ ſpes concepta nutritaq; fuerat cõmuni quidem, at falsâ hominum exiſtimatione, qui ante ipſum euentũ de futura Antuerpię adeptione, nõ ſecus ac de fęlicitate quadã beatiſſima diſſe-
6. rebant. Eiuſmodi prorſus eſt voluptas auaris in accumulanda pecunia, non ꝙ verè ęs illud inutile intra arcam, ac ſæpe etiam in ima tellure reconditũ cuipiam ſit ipſis bono, at quia diuturna in auaritiam propẽſio falſam ſpẽ ijs facit, futurũ eſſe, vt eo fiant recẽti lucro beati. Quare ſi omnino ſibi perſuaderẽt, nihil aliud ex auctis opibus augeri ſibi, q̃ moleſtiam, earumq; ſeruãdarum curam, nequaq̃ ea inani lætitia tunc inſanirẽt. Paucis deniq; vt abſoluam; pro Epicurę is poterit reſpõderi, res à voluptate ſenſuum diſcedentes, non eas, vt fines, verũ vt media tantũmodo oblectare, è quibus verè nonnunq̃, nonnunq̃ falsò nobis bonum aliꝙ pollicemur; & huius ꝙ mente nobis fingimus futuri boni voluptatem, ſpei affectu præcipi; ſolùm quippe id, ꝙ ad ſenſuum voluptatem facit, bonum ſuapte natura eſt: ſiquidem licet nihil aliud inde ſperetur; hyeme tamen Caietæ maritimus tepor, æſtate ſummâ Sabinæ montanum frigus inter bona reponuntur, quibus gratiâ ſuâ & abſentibus inhiemus & præſentibus gaudeamus.

CAPVT XXIII.

Maxima terũ pars ob ſpẽ falſam optatur: alteri aduerſus Epicurū argumentõ reſpõdetur. Epicuri temperantia qualis fuerit.

1. HIc, addidit Saracenus, fugit pleroſque, quod ipſe diſputaſti de ijs bonis, quæ ſi diligenter expẽdantur, non quidẽ ſeipſis placent, ſed falſæ cuiuſdã ſpei causâ pollicentis naſcitura ex ijs alia bona: quæ ſpes cùm experimẽto poſtmodum euaneſcat, ſimul etiam euaneſcit voluptas. Atque inde fit, vt eiuſmodi bonorum non poſſeſſio ipſa placeat, ſed adeptio. In hanc rem ex Marchione Virgilio Maluetio digniſſimam tanto ingenio animaduerſionem audiui: aiebat ille mortalium fore infœliciſſimum, quicunq; eorum omnium, quę in votis habuiſſet, compos fieret. Siquidem hic experimento noſſet, in nulla rerum humanarum inueniri fœlicitatem; atque ita non modò eâ careret, quod omnibus eſt commune, verùm nec illam ſperaret, quæ præcipua ipſius eſſet calamitas; quippe alij animum ſibi delinire poſſunt ſpe fœlicitatis in ijs bonis, quæ nondum obtinent, inueniendæ, ad quæ proinde tam vehementer anhelant.

Sed perge porrò: ac tertium, quod contra Epicuręam fœlicitatem facit, argumentum in examen voca: quod argumentum, vt opinor, illud eſt: ſenſuum voluptatibus infauſtos nimium comites adhærere dolores acerbiſſimos, dum illæ valetudinem inficiunt, robur infringunt, vitam ipſam coarctant: ea verò, quæ ab ijs ſupereſt, vita breuiſſima, hauſtarum antea voluptatum maleficio, cruciatuum potiùs carnificina fit, quàm vita.

Digitized by Google

Hæc ipſa (ſubiunxit Andreas) illa certè ratio eſt, quam vltimo loco ex- 2.
pendere deſtinaueram. Quæ ſanè ratio haud Epicurum, eiusq; philoſophiam
petit, at *Epicuri de grege porcos*: qui ſcilicet cùm in altera parte cum Epicuro
facerent, ab eius præceptis in altera deflexerunt. Et ſanè fœlicitatem Epicurus
in ſenſuum voluptatibus collocauit, ſed nunquam ille talem ſuaſit voluptatem,
quæ diuturnioris vehementiorisque ſit origo cruciatus. Quemadmodum, vt
apponam exemplum, auarus ille Plauti ſenex fœlicitatem certè in pecunia con-
ſtituebat, non tamen à fœneratore pecuniam accepiſſet; vt illâ breui potire-
tur, eandemque mox reſtitueret perpetuo exſoluendi fœnoris detrimento.
Euoluite Laërtium in Epicuri vita; adite Senecam factionis contrariæ propu-
gnatorem: in perſpicuo erit ab Epicuro ſeueriſſimas temperantiæ leges non
minus fuiſſe ſeruatas, quàm conſtitutas. Auctor ipſe fuit, vt homines cibis vi- 3.
liſſimis, ſtratis incommodis, fortunæ deſpicatiſſimæ, laceris lacernis, ac ipſi
mendicitati aſſueſcerent; quò nullus fortunæ turbo in profundiora poſſet il-
los præcipitia deturbare, quàm ſponte ipſi ſe ſe demiſiſſent, ac proinde nihil
afferre miſeriarum ijs fortuna poſſet imminutione deliciarum, quibus, cùm
quis per luxum aſſueuerit, nullam poſtea capere poteſt è rebus vilioribus vo-
luptatem. Quo igitur maiori habet in pretio ſenſuum voluptatem Epicurus, 4.
& quò dolorem magis abhorret, eò etiam calculos ſubducit attentiùs: eoque
cautiùs illas prohibet voluptates, quas deinde conſequuturus maior eſt dolor.
Et verò haudquaquam fortiori poteſt argumento, Epicuręa fœlicitas ex hoc
capite oppugnari, quàm ſi fœlicitatem Ariſtotelicam confutare meditantes
ita ratiocinando conficeremus: Scientia labore ac ſtudio comparatur; ni- 5.
mium verò ſtudium ſeruientes menti officinas corporis infirmat, eaq; propter
animum ad ſtudendum ſciendumque ineptum facit: ipſa igitur ſcientia ſcien-
tiæ aduerſatur; adeoque ſita non eſt in ſcientia fœlicitas. Cui argumento ita
pertinet ad Peripateticos reſpondere, quemadmodum Epicureos propugnans
& ipſe reſpondi: videlicet quò magis ſita eſt fœlicitas in ſcientia, eò etiam de-
uitanda magis eſſe ea ſtudia, quæ ſcientiam quidem in præſens parant, prohi-
bent verò, quominus in futurum ſciamus, oppoſitumq; malum efficiunt, nimi-
rum vt ignoremus.

CAPVT XXIV.

Celebre quod fit aduerſus Epicurum argumentum confutatur, quod eſt: ab Epicuro fœlicitatem hominum cum belluis fieri communem.

AD Andream Cardinalis hìc ſe conuertit, aitque, celeberrimum in Epi- 1.
cureos argumentum ſilentio prætcrijſti: cur id effeceris, hoc me fugit:
Illud eſt; fœlicitatem hominis in actu, qui maximè hominis proprius eſt, repo-
nendam eſſe, atque idcirco alibi, quàm in ſenſu conſtitui, qui belluis etiam,
vſque adeo ab hominum dignitate deficientibus, eſt communis.

Argumentum iſtud, reſpondit Andreas, rumore fortaſſe, quàm robore
magis præſtat. Eadem omnino ratione conficietur, primam Dei, Angelo-
rumq;

rumq; fœlicitatem nequaquam in intelligendo conſiſtere, ſiquidem cognitio actus eſt etiam homini communis, qui à Dei atque Angeli nobilitate plurimum diſtat. Quod ſi reponas; diuinam cognitionem Angelicâ eſſe præſtantiorem, Angelicam verò humanæ antecellere, quò fiat, vt in poſſeſſione fœlicitatis diſcrimen inter ipſos ſit: & ego pariter affirmauero etiam, à Peripateticis ſenſus humanos ſingulos cum ſingulis belluarum ſenſibus comparatos, aſſeri perſpicaciores.

2. Præterea cum boni malique capaces belluæ ſint, qualis qualis par eſt, vt in ijs fœlicitas pro earum modulo vtcunque inueniatur; ſtatus nempe aliquis qui floribus bonorum potius quàm vepribus malorum abundet, eoq; ſit ſtatu optabilior, qui plerumque belluarum gregi conceditur. Quod ſi fœlicitatis nomen penes te præſtantius aliquid ſonat, contendent Epicurei fœlicitatem in ea ſignificatione ne inter homines quidem inueniri. Iam verò hæc belluarum fœlicitas haud certè in eiuſmodi actibus poſita eſt, qui ipſarum ſingulis ſint præcipui ac proprij, neque enim canis exiſtimatur fœlix, quòd egregiè latret; aut equus, bellè quòd hinniat: ſed fœlix tantummodo eâ quæ pertinet ad belluas fœlicitate, quæpiam bellua dicetur, cuiuſcunque demum ipſa ſit generis, quæ inter cæteras diuturniori maioriq; ſenſus voluptate perfruitur: quæ voluptas deſtinatus ipſis à Natura finis eſt, vt cum Ariſtotele alibi aduertimus. Non igitur cum veritate conſtat, cuiuſque generis animantium fœlicitatem, in aliquo eius generis proprio præcipuóq; actu reponendam eſſe.

1. QVærenda igitur aliunde ſunt argumenta, vt Epicuri ſententia confutetur; Verùm ea quæ diſputata ſunt à te, eorum nobis copiam faciant, & quidem maximè conficientium. Paucis hîc mihi opus, ſi in animo ſolùm eſſet euincere, falſam eſſe Epicuri ſententiam, non autem ſimul retegere ſecretiores eius falſitatis radices. At hoc præcipuum habent radices, ſemper vt lateant, neque plurimâ ſine operâ valeant inueniri. CAPVT XXV. *Ad vincẽdũ Epicurũ inter ſenſuũ voluptates ſeiungũtur illæ, quæ doloribus medẽtur, ab ijs quæ non ſunt dolorũ medicamẽta*

Duas in claſſes voluptates ſenſuum diuiduntur, vt aduertimus ſuprà. Aliæ ſunt doloris præeuntis medicamenta; atque hæ ſunt etiam voluptatum vehementiores: medicamentum quippe cum morbo confligit, omniſq; conflictus vim poſtulat. Eæ verò ſunt ſenſus tangentis voluptates: ſordidiores earum prætereo, quæ non à morali dicam Philoſopho, ſed ab ipſo medicæ artis Principe *a* ad quoddam Herculei morbi genus in ipſis permixtum referuntur. Cæteras loquor voluptates, quæ ad hunc etiam pertinent ſenſum. Succi vulgaris ferculum (huius exemplum adhibeo, cuius tota voluptas fermè tangentis eſt ſenſus) tantum omnino delectat, quantum eſurie ſtomachus excruciatur, cui pro pharmaco ferculum eſt: Aqua gelidiſſima tamdiu voluptati eſt, quamdiu dolor ille perſiſtit, quo arentes æſtuantéſque ſiti fauces torquentur. Amoto dolore, voluptas pariter euaneſcit.

a Hipp. apud Gell. l.19. c.20

Ve-

Venio ad cæteros ſenſus. Voluptas Guſtus, vt hic à Tactu differt, nequaquam eſt medela; ſaccarum quippe os neque famelicum, neque amarulentum vtique delectat. Nihilo tamen minus ea ipſa voluptas comparata eſt ad medendum, nimirum ad eos cibos dignoſcendos, libenterq; ſumendos, qui opportuna ſunt pharmaca tangentis ſenſus, eâ perpetua morte labefactati, qua ſenſim laceramur ac terimur. Imò Ariſtoteles aſſerere non dubitauit, voluptatis minimum, aut ne minimum quidem eſſe in ſenſu guſtante, ſi eam à tangentis ſenſus voluptate diuidamus; atque illam idcirco inter ea, quæ pertinent ad intemperantiam, non eſſe cenſendam. Id verò confirmat, nam ij qui vina dapesq; libant, ea omni voluptate perfruuntur, quę guſtantem pertinet ad ſenſum, & tamen horum eiuſmodi voluptas, vix voluptatis meretur nomen. Contra verò paraſitus ille lurconum Erixius à Dijs petijt, vt Grues colli longitudine ſuperaret, quò diutiùs tactis ferculis frueretur. Et ſanè deguſtantis hæc ſenſus voluptas fatua eſt ac breuis, niſi cum tangentis ſenſus voluptate iungatur: Fatua, inquam, etenim vniuerſa Genuæ tragemata, quodlibet Narbonenſis Galliæ vinum, niſi fame ſitiq; condiantur, minus habent ſuauitatis, quàm panis ille niger, in quo Rex Ptolomæus inter venandum à ſocijs aberrans plurimum exquiſitiſſimæ voluptatis inuenit; quamq; lutoſa illa marcensq; vnda, quæ à Rege Dario inter fugiendum hauſta, ſupra cætera omnia pocula Perſicas inter lautitias à ſe hauſta ſuauior dicta eſt. Quod ſi eiuſmodi condimenti iucunditas, quam tangentis ſenſus dolor ferculis inſpergit, aduertatur haudquaquam tam enormis inſaniæ, vt ſit, condemnabitur Eſau, quòd pro lenticularum ferculo iure ſe primigeniorum abdicauerit. Siquidem homines paſſim cæteroqui ſapientes vitam quolibet primigeniorum iure pretioſiorem, cum gelido poculo, quocunque leguminum genere viliori, permutant: tunc nimirum cùm morbus (condiente ſiti) ipſorum labris gelidam illam Deorum nectari parem facit. Meritò igitur Ariſtoteles lib. 2. de Anima, non guſtantem, ſed tangentem ſenſum, *alimenti ſenſum* appellauit. Et in Moralibus ad Eudemum ait, Intemperantiam vulgò in Guſtatus Tactusq; voluptatibus collocari, ſed illam omnino pertinere ad Tactum.

3. Ethic. c. 10. — Cic. 5. Tuſcul. — Tex. 28.

Sed redeamus ad noſtra. Illa etiam præcipua voluptas, quam in dapibus lingua delibat, ſecluſâ ſtomachi, hoc eſt, Tactus eſurie, breuis eſt, vt aiebam: cùm enim nimium cibum ore hauſtum illico ſtomachus abhorreat, maiori omnino moleſtiâ helluonis anima afficitur ob tangentis ſenſus faſtidium, quàm voluptate ob guſtantis ſenſus oblectationem: Cum tactus ita ſenſuum omnium vehementiſſimus ſit, ac veluti princeps, quemadmodum omnium etiam eſt maximè neceſſarius. 4.

De cæteris vt dicam ſentientibus facultatibus, aio iucunditatem etiam odorandi, audiendi, ac videndi ad genus aliquod referri poſſe ſuauis tactionis, vt nonnemo innuebat. Quin imò ex Epicuri ſententiâ, qui in Phyſicis ſecutus 5.

Auctor in alio opere.

eſt

Digitized by Google

eſt omnino Democritum, non alius ineſt animantibus ſenſus, niſi Tactus; & quemadmodum officinæ Tactus miniſtræ varijs in partibus corporis magis minusve perfectæ ſunt, ita etiam ad tenuia appellentium atomorum diſcrimina magis minusve dignoſcenda, earumq; ad figuras ictusq; obſeruandos valent: quà in diuerſitate rerum omnium, quæ ſentiri poſſunt, ac proinde cunctorum ſenſuum diſcrepantiam Democritus collocauit. Quare hiſce fundamentis ab Epicuro conſtitutis, quælibet ſenſus voluptas, tangentis voluptas eſt facultatis. Et ſiquidem Tactum nihil delectat; voluptate ſaltem vehementi ac præcipua, præterquam id quod ipſi medetur, eumq; ab ea, qua laborat intemperie, naturalem reuocet ad habitudinem vitæ ſeruatricem, eapropter quælibet ſenſus voluptas dolori pharmacum erit, qui huiuſmodi ex intemperie in tactu oriatur.

Verùm cùm accidere aliquando poſſit, vt quiſpiam ſimul Epicurum ſequatur in morali, ſimul ab eo diſcedat in phyſicis, communem hîc de ſenſuum diſcrimine ſententiam vtrique amplectamur: quo ſanè diſcrimine admiſſo haud illico fit, quò minùs id quod alicuius ſenſus voluptas vulgò cenſetur, ea verè ſit voluptas alterius. Atque ita magnam partem accidit in odorando. Præcipua ſiquidem, quam percipimus è fragrantia, voluptas ſita eſt, in oblectando cerebro ſaluberrimis odoribus; vt contrà fœtor, odoreſque peracuti eam ob rem accidunt permoleſti, quod auram cerebro officientem inhalant. Et tamen id omne tangentem pertinet ad ſenſum, ſiquidem ea ſolùm, quæ à tactu ſentiuntur, animantis ſaluti prodeſſe queunt aut nocere, quippe quæ ſola temperiem coniunctionemq; vitæ idoneam aut perficiunt aut perturbant.

CAPVT XXVI.

Oſtēditur fælicitatē nō poſſe cōſiſtere in ijs sēſilib. voluptatibus, quæ remedia ſunt doloris.

1. HOc ſtatuto, inter voluptates, quæ ſentiri poſſunt, diſcrimine, nequít ſanè fœlicitas, in ijs eſſe voluptatibus, quæ medicamina ſunt. Pauciſſimis id euinco. Medicamen medium eſt vnicè inuentum vt remoueatur malum, atque ita mali deſitio, ea demum integer finis eſt ac bonum integrum, cuius ergo ſuapte naturâ medicamen comparatur. At verò maius eſt bonum obtinuiſſe finem, quàm tantummodo medium: Maius igitur bonum eſt carere doloribus, quàm opportunis potiri medelis ad arcendos dolores. Pergo iam: Vt primùm deſierit dolor, ea etiam deſinit voluptas, qua nos afficit medicamen: Melior igitur atque optabilior cenſenda eſt vacuitas ſimul huiuſmodi voluptatum, ſimul eorum, quibus voluptates ipſę medentur, dolorum, quàm ſimul voluptatum præſentia & dolorum. Vbi hoc obtinui; progredior adhuc: In vna doloris vacuitate minimè ſita eſt fœlicitas, cum eiuſmodi vacuitas dormientibus etiam ſit communis, imò etiam ijs quodammodo, qui non ſunt. Igitur multò minùs fœlicitas inerit huic dolorum voluptatumque permixtioni, quæ permixtio ſtatum efficit, vt oſtendi, multò minùs prædicta vacuitate perfectum.

Digitized by Google

Interpellauit hîc ſubridens Querengus, aitque, In alia profectò erat ſententia bonus ille Tranſalpinus, qui cùm Romæ febri ardentiſſimâ laboraret, eſſetque valetudinis recuperandæ percupidus, medicum accerſiuit celeberrimum, pollicitusq; illi eſt liberale perpetuumq; præmium, eius ſi operâ conualeſceret. Id verò cùm eueniſſet, Tranſalpinus mercedem ſoluere detrectabat, cauſatus, à medico expulſam quidem eſſe febrim, vt pacto conuenerant, at etiam abijſſe cum ipſa ſitim, quod extra pactum erat: atque hanc in amore ſibi eſſe tantundem, quantum illa erat in odio: quippe qui ſecum animo ſtatuerat, vt primùm valetudinem recuperaſſet, celeberrimas vinarias Romæ cellas emungere. Et verò quot ij ſunt, qui varijs tentamentis, famem ac ſitim in faucibus prouocare contendunt, vt ijs fruantur voluptatibus, quæ ſuapte natura eiuſmodi cupiditatum medicamina ſunt? Non igitur indubitatum adeo eſt vacuitatem harum voluptatum, ſimul atque dolorum optabiliorem eſſe, quàm amborum poſſeſſionem, quod iam ipſe nuper tuo quaſi iure ſumpſiſti. 2.

Diſſentiet Andreas (Saracenus obiecit) vulgus inſanum, & plerumque belluis par quidquam habere iuris in ferenda ſententia de vera tum bonorum, tum malorum natura & vi. 3.

Haud mihi fas eſt, Andreas ait, vulgi forum in hac diſceptatione contemnere. Vulgi quippe ſententia falli quidem poteſt in medijs, ea vt ſperet vtilia, ea verò noxia vt vereatur, quæ demum, nequaquam ex opinione ſuccedant; atque huc ſpectat locus ille Satyrici celeberrimus.

Omnibus in terris, quæ ſunt à Gadibus vſque
Auroram & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt
Vera bona.

At verò in ijs bonis malisve, quæ ſeipſis aut placent, aut diſplicent, res ita non habet; Eorum ſiquidem de bonitate aut prauitate nulla nobis alia ſuppetit ratio, præter experimentum; experimenti verò teſtis haud alius eſt opportunior, quàm hominum multitudo. Proinde Ariſtoteles Rhet. lib. 1. c. 6. & 7. non ſatis habuit bonum ſic definiuiſſe, *quod omnibus placet*, ſed etiam addidit, *aut multis, quia in hac re multi locum obtinent omnium.* Quod omnino indubitatum eſt, niſi oſtendatur eiuſmodi voluptatem, qua res illa placet ex aliquo mentis errore manare, vt antea conſtitutum à nobis eſt.

Nunc ad argumentum Querengi ſic aio: duplici euenire poteſt ratione, Tactus moleſtias à quopiam exoptari, ea de cauſa vt ijs poſtea medeatur. 4.

Altera eſt, cùm quis optet, ſe non inappetentem eſſe in ſumendis cibis; Et quidem ea, quæ huic ſtomachi faſtidio opponitur, æqua opportunaque appetitio, eſto fuerit illa dolor, optatur tamen non quidem ſuâ ipſius gratiâ, tu id nobis heſterna die auctor fuiſti, Querenge; ſed optatur tanquam lætabile indicium habitudinis optimè conſtitutæ, & tanquam affectio ad ſeruandam vitæ incolumitatem neceſſaria.

Al-

Digitized by Google

Altera, qua id euenire poteſt, ratio eſt, ſi perpetuam raramque famem aut ſitim ſibi quis concupiſcat, idcirco duntaxat, maior vt voluptas ex cibo potuq; percipiatur. Perpauci verò erunt ij, qui tota penitus vita famem illam auidiſſimam Eriſictonis, aut hydropicorum, rabieq; furentium ſitim optarent: imò verò oraculum illud Ioannis vt fauſtiſſimum accipitur, *non eſurient neque ſitient amplius:* ſiquidem tunc ea priuatio, neque argumentum, neque cauſa
5. mali cuiuſpiam erit. Ecquis eam nollet ſubire conditionem, vt primorum inſtar parentum adhuc inſontium, nec æſtui, nec gelu eſſet obnoxius? quamuis eiuſmodi conditio haud ijs voluptatibus frui poſſet, quas & hybernus Campaniæ tepor, & æſtiui Prochytæ Fauonij ſecum ferunt? Quod ſi quiſpiam ſenſuum appetitus laceſſere ſtudet, vt fruatur remedijs, is verò in ipſa Epicuri Academia mercator voluptatum imprudens accuſatur; vt videre licet in Lucretio. At deſiderij adeo enormis in aliquibus cauſa illa eſt, quod aut bile mordentur, aut alia quauis ratione vel corpore vel animo cruciantur: quam vt delinire moleſtiam poſſint, vehementem ſenſus cuiuſpiam voluptatem anhelant. Ita ſiquidem mortalium anima comparata eſt: Cùm illa in rem aliquam vehementiùs fertur, ad alia omnia propemodum obſtupeſcit, eorumq; puncturis nequaquam dolet. Inde euenit, vt, qui ægrotant, cibi potuſq; ſint intemperantiores: Hac enim vna poſſunt vehementi voluptate perpetuam acerbiſſimamq; morbi moleſtiam temperare. At in ijs, qui ſecunda vtuntur valetudine, carentq; moleſtijs, quiq; eiuſmodi voluptatis capaces ſunt, quæ ſyncera ſit, ac doloribus non immixta, nunquam erit inuenire inſanum adeo votum, vt cupiditatibus flagrare malint, quò deinde poſſeſſæ voluptatis veluti aura recreentur. Quod idem prorſus eſſet, ac ſi quis cilicinas ſetoſasve tunicas indueret, vt, eas cùm poſtea deponeret, iucundiùs recrearetur: maximè verò quòd cruciatus eiuſmodi eſt diuturnus, voluptas autem leuamenti breuiſſima.

CAPVT XXVII. *Ne in ijs quidem ſenſuum voluptatib. quæ remedia nō ſunt, eſſe poteſt fœlicitas: agitur de odoratu, viſu & auditu.*

1. AIo contra Epicurum ſecundò. Præcipuam hominis fœlicitatem haud ſitam eſſe in alijs ſenſuum voluptatibus, quæ non comparatæ ſunt in remedia. Hæ nimirum ſua vi, & ab intima mentis animiq; voluptate ſeiunctæ, tenues adeo ſunt, vt nullas eſſe Ariſtoteles exiſtimauerit, ideoque voluptatem planè omnem ex eo triplici ſenſu profectam ijs denegauit animantibus, quæ ſunt mentis expertes. Et ſanè vt mihi videtur, voluptatum huiuſmodi ipſæ etiam belluæ aliquam obtinent partem, ſed modicam adeo, vt ea dignoſci vix poſſit *a*, quod aliàs *b* conſtitutum inter nos fuit. Quapropter in hiſce voluptatibus humana nequit ineſſe fœlicitas. Placet trium eiuſmodi ſenſuum voluptates capitulatim examinare.

2. Senſus quidem olfaciens, qui hos inter minimum virtutis habet ad erudiendam oblectandamque mentem, tenuem adeo nobis voluptatem affert, vt facilè quidem eâ nos carere pateremur, quod de ſe Auguſtinus *c* affirmat, quam-

a 3. Ethi. & alibi ſæpe.
b l 3. c. 21
c Lib. 10. Cōf. c. 35

Digitized by Google

quamuis Afer; quæ natio inſigniter odoribus oblectatur. Quin etiam exiſtimauit nonnemo, ob rerum malè olentium obuiam frequentiſſimè multitudinem nihil detrimento voluptuoſę vitę futurum, ſi olfaciente ſenſu priuaremur. Quanquam rerum etiam ſuauè olentium voluptas pręcipua tangentem ſpectat ad ſenſum, tum ex eo, quod innui, argumento, tum ex iјs etiam rationibus,
1 Eth. c. 10 quas de odoramentis dapibusq; aduertit Ariſtoteles, quarum vtique dapum nidor gratus accidit earum ob rerum memoriam, quę tangentem ſenſum delectant, quibus huiuſmodi ſolet odor ineſſe.

De auditu viſuq; dubitare quis poſſit, quin præcipua, quam nobis largiuntur ipſi, voluptas in intelligentia potiùs ſit, quàm in ipſis? ea de re diximus alijs in locis abundè: nec euenit aliunde, vt quidquid geminus hic ſenſus amat, id vtique deſipiat, ſtatim atque à gratia deficit nouitatis. Quod ſcimus nequaquam euenire in ijs, quæ ſenſui tangenti ſunt grata, (quod vtique dictum volo, prout illa ad tangentem pertinent ſenſum, non verò vt per hunc ad phantaſiam pertinent.) Non item id euenit in ſenſus olfacientis voluptatibus, dummodo illæ ſentiri poſſint, & odoratus ipſe nimijs rei halantis odoribus non obruatur. Neq; pariter id contingit in voluptatibus guſtantis ſenſus, niſi quatenus cibus, qui, ſi fuerit modicus, ſtomacho ſalutaris eſt, immodicè ſumptus, nocumento eſſet ob nimiam principum qualitatum vim eiuſmodi cibo ingenitam.

Quamobrem ſucci plurimi cibus, quippe principe quapiam qualitate ſemper cumulatè præditus, & explet citiſſimè, & faſtidium parit, quod faſtidium ad tangentem omnino ſenſum, non ad guſtantem pertinet, vt ex ijs, quæ diximus, colligi facilè poteſt. Cæteris in euentibus, qui ſemel delectat cibus, delectare ſemper etiam conſueuit. At quæ auribus oculiſq; obijciuntur, nouitatem ſingula poſtulant, vt delectent; neque vlla eſt Cœli pulchritudo, aut muſici concentus ſuauitas, eadem ſi ſemper ſit, careatq; nouitate, quin citiſſimè ab illa deficiat iucunditate, quæ initio oculos atque aures impleuit. Cuius rei ratio eſt, quòd horum voluptas ſenſuum ſita pręcipuè eſt in erudienda rebus admirabilibus atque curioſiſſimis intelligentiâ. Quare Ariſtoteles, vti diximus, ex eo quo præcipuè proſequimur oculos amore, appetitum ſcientiæ in nobis eſſe natura- 4.
lem euincit. Atqui nequaquam ſcientiâ docetur animus, cùm quæ patent, ac trita ſunt, oſtenduntur. Mirum igitur non eſt, gemini huiuſce ſenſus delicias eſſe duntaxat, aut noua aut ſaltem non ita planè vulgata, quin ijs in audiendis vel certior vel diſtinctior, ac viua magis earum notio comparetur. Magis, inquam, viua nimirum inde contingit, vt nos poſt temporis aliqua interualla viridarium elegantiſſimum reuiſere, eodemq; à melico eandem iterum muſicam cantiunculam audire delectet: quando ex hoc repetito viſu audituve fiat vt rerum imagines, quæ factæ iam fuerant diuturnitate decolores, in nobis iterũ refloreſcãt.

E duabus his theſibus confirmatis euincitur, præcipuam eam, quæ percipitur à ſenſu fœlicitatem, omnem omnino intelligentis eſſe facultatis, penituſq; in ſcientia ſitam eſſe.

Quòd

5. Quòd ſi hebetiores hîc ego alloquerer Auditores, qui nonnunquam incertum inter ac ſubtile nihil dignoſcunt, non his equidem rationibus vterer in Epicurum, veritus, ne nimis illum ſic ratiocinando dignarer; perinde quaſi eius philoſophia nos eò compelleret, vt nouas argumentorum vias peruestigaremus, quibus illam inuadere euertereq; poſſimus. Enimuero vt infirma ipſius effata confutentur, abundè eſt, ſi vobis in memoriam reuocaueritis, quod ab Illuſtriſſimo Cardinali prima die & à Querengo heſterna luce commonſtratum eſt, vt ſapientiæ voluptates cuiuis voluptati ſenſuum anteponerent. Neq; locum hîc habet id, quod à me initio allatum eſt pro Epicuro, de ijs, quæ per errorem noſtris animis obijciuntur. Etenim, quiſquis eiuſmodi quos ille vocat animi errores emendare ſtudeat ijs omnibus argumentis, quæ vniuerſa Epicuri ſcientia commenta eſt, ille tamen haudquaquam à ſeipſo impetrabit, ne repetita eiuſdem peregrinæ veritatis cognitio grata ſibi accidat, aut ne animo crucietur, ſi ab alijs ſcientiâ ſuperetur. Mitto ea, quæ attulit Querengus exempla in ipſis etiam pueris, in quibus inter voluptates omnes vehementiſſima eſt curioſitatem explere. *Li. 1. c. 18. Lib. 3. c. 4 & ſeqq. Cic. l. 1. de fin.*

Age verò, aduerſus Epicurum ipſum ſtatuam Epicurum. Ipſe ſcilicet morti proximus, doloribusq; acerbiſſimis ſtranguriæ ac laterum cruciatus, ſuo tamen Metrodoro per litteras ſignificauit, ſibi eſſe adhuc beatè ob inuentæ ſuæ philoſophiæ dulciſſimam recordationem. Voluptates igitur animi ipſi etiam corpori ſenſuum cruciatibus laboranti fœlicitatem afferre poſſunt.

6. Neque verò ſapientia tantùm, at etiam honor (qui bonum eſt extrarium) ſupra quamlibet ſenſilem voluptatem oblectat. Quiſnam, rogo, cunctis ſenſuum voluptatibus non cederet (dummmodo cæteroquin doloribus eſſet immunis) vt Macedonis aut Caroli V. Cæſaris dominatu & gloria potiretur?

Neque his ritè occurritur, ſi dicatur homines falli; ſiquidem vt nuper aduerti, multitudinis error in medijs vtique non in finibus verſatur. Omnes verò à Natura falli, ſi quiſquam ediceret, is porrò æquè inſaniret, ac ſi aſſeueraret abſynthij ſuccum multò eſſe perdicibus iucundiorem; ſed tamen ideo hac in re imponi nobis à Natura, vt oppoſitum arbitremur, quia perdices nobis ſunt alendis aptiores.

CAPVT XXVIII

Carere ſtū ſuū ac ꝑcipuè Tactus moleſtiâ neceſſariò ꝑtinet ad fœlicitatē.

1. PRoinde in hanc ego rationem poſtremò conficio partim aduerſatus, partim Epicuro fauens; ſenſuum voluptates perexiguam obtinent fœlicitatis noſtræ partem; at ſenſuum dolor calamitatis noſtræ magna pars eſt. Quare ij Philoſophi, qui fœlicitatem in doloris vacuitate collocarunt, ſi hanc vnam fœlicitati noſtræ ſatis eſſe putarunt, omnino falſi ſunt; ſi eam neceſſariam eſſe cenſuerunt, veriſſimè pronunciarunt. Iam verò dolorum omnium ij ſunt acerbiſſimi, vt oſtendi, qui tangentis ſunt facultatis. Illudq; animaduerſione dignum

Nulla vel opulentia vel dominatus eſt immunis à doloribus Tactus: cur id eueniat.

Digitized by Google

gnum eſt, ab hiſce tandem doloribus eximi neminem poſſe mortalium vel diuitiarum ope aut dominatus. Moleſtiæ cæterorum ſenſuum omnes in exilium agi poſſunt regalis ſeptri poteſtate; omnes pariter, vt ita dicam, auri veneficio excantantur; Tangentis verò facultatis dolores tantummodo regijs trabeis tegi, & inter holoſerica, textaſque auro culcitras cubare gloriantur. Quæ res argumentum illi Martialis acutiſſimo dedit Epigrammati.

Quare tam multis à te, Lentine, diebus
Non abeat febris, quæris, & vſque gemis.
Geſtatur tecum ſellà, paritérq; leuatur:
Cœnat boletos, oſtrea, ſumen, aprum.
Ebria Setino fit ſæpe, & ſæpe Falerno:
Nec niſi poſt niueam cæcuba potat aquam.
Circumfuſa roſis, & nigra recumbit amomo,
Dormit & in pluma, purpureóq; toro.
Cùm ſic tam pulchrè, tam bellè viuat apud te,
Ad Dammam potiùs vis tua febris eat?

Neque difficilè fuerit, rationem afferre, cur tangentis facultatis doloribus (hoc eſt, maximæ hominum calamitati) quæuis celſiſſima fortuna ſuccumbat. 2.
In hoc ſenſu tangente vita ſita eſt, hic niſi lædatur, in mortem obire non poſſumus. Sic igitur fieri nequit, vt diues potensve facultatis huius tangentis doloribus ſit immunis, quemadmodum vterque immortalitatem adipiſci non poteſt.

CAPVT XXIX.

Quãtum afferat voluptatis nos amari: id vnde fiat.

Per ſingula bona phyſica intimaque iam iuimus. Ad extraria nunc veniamus, primóq; loco ad amorem. Nihil eorum, quæ extra nos ſunt, ab vllo mortalium vehementiùs amatur, quàm amari. Ac proinde nullum omnino beneficium beneficij nomen habet, niſi filius ſit amoris. Ipſe verò amor, etſi fuerit alio quocunque bono infœcundus, amore tamen rependitur; eo nimirum affectu, qui, quantum in nobis eſt, ei qui amatur, bonis eſt omnibus fœcundiſſimus. 1.

Ratio verò gaudij huius, ab amore naſcentis, quamuis à qualibet vtilitate ſeiuncto, grandibus verbis ac ratiocinatione quapiam admirabili poſſet afferri: Nos tamen ingenuè philoſophantes veritatem ipſam dilucidam, non grallatoria granditate ſuſpiciendam veſtigamus. Quare miſſis ijs, quæ in hanc rem per metaphoras rationéſq; prodigioſas magis, quàm veras diſputari poſſent, illud aſſumo, quod expendiſti tu ipſe heſterna die, Querenge, id eſt, conſtitutum à Natura fuiſſe, vt aliorum amor nos delectet, odium verò contriſtet, vt omnes omnino mortales ac præcipuè viri Principes ad huius fugam, ad illius verò deſiderium ac ſtudium prouocentur. Quoniam verò res eſt, quæ ad amorem illicit, beneficium ac mutuus amor; contrà res eſt, quæ odium 2.

Li. 3. c. 31.

Digitized by Google

dium irritat, iniuria odiúmque mutuum; ideo quiſque, alienum vt amorem obtineat, ab iniurijs odióq; ſe cohibet, ad beneficia amorémq; ſe prouocat, ſiquidem neque Xerxis immanibus exercitibus, neque Tagi Pactolíq; tempeſtatibus aureis aut expugnari, aut emi ne tantula quidem pars amoris poteſt, ſi eiuſmodi artibus non vtamur. Quodnam verò ad humani generis fœlicitatem adminiculum eſt opportunius, quàm cuilibet hominum eiuſmodi appetitionem ineſſe, cui non alia is facere queat ratione ſatis, niſi beneficia conferat in humanum genus?

CAPVT XXX.

Virtutem certiſſimũ eſſe mediũ vt quis ametur, oſtenditur, Duab. hac regula exceptionib. coërcetur

1. HInc videtur confici ſic; pulcherrimámq; hanc ſententiam poſſe deduci, dignam certè, quæ aureis characteribus humanis in cordibus exaretur. *Ad amorem omnium ſibi conciliandum, certiſſimum medium eſt virtus.* Confirmo ſic. Quemadmodum à te in prima Academia conſtitutum audiui, Cardinalis Illuſtriſſime, nihil aliud virtus eſt, niſi pro Naturæ arbitrio ac voluptate agere. Id verò placet Naturæ, quod ei, vt placeat hominum vniuerſitati, conducit: Ac proinde laudabiliter agere idem eſt, ac eos actus gerere, quos ſuæ vtilitatis cauſa amari par eſt ab vniuerſitate mortalium. Contingere igitur ſanè poteſt, vt aliquo in euentu rariſſimo ac fortuito virtus odio ſit hominibus, vitium amori: plerumque tamen ac ſuapte natura ſecus eueniet. Quare indubitatum ſit, quod aiebam, nullam eſſe tutiorem ad amorem ſibi conciliandum viam, quàm ſequi virtutem.

2. Euentus, quos innui, fortuiti, in quibus contrarium accidat, duplicis eſſe generis poſſunt: Primò quidem, cùm à decepta multitudine pro vitio virtus, pro virtute vitium habetur. Ita cautam Fabij moram vituperarunt habuerúntq; odio milites, quaſi ignauiam, laudaruntq; Minutij temeritatem, eamq; tanquam fortitudinem adamarunt. At quemadmodum breuis tunc error fuit, notioq; veritatis conſequuta conſtans permanſit atque immortalis; ita ferè huiuſmodi perſuaſionis fraudes neque crebræ ſunt, neque diuturnæ: ac ſimiles omnino laruis, quæ apparent rarò, euaneſcunt verò citiſſimè; cùm humana mens crebriùs multò veritati aſſentiat, quàm falſitati; quod alibi non ſemel aduertimus. Præcipuè verò haud vnquam communis odij materies erunt ceu vitia virtutes illæ, quæ aliorum paſſim in beneficia vertunt: quo in genere ſunt, liberalitas, clementia, iuſtitia, fides, periculorum aggreſſio pro patria, & eiuſ-

3. modi cætera. Contrà verò nunquam in amore ceu virtutes erunt ea vitia, quæ publica cedunt in detrimenta, vt auiditas, crudelitas, iniuſtitia, perfidia. Quædam tantummodò facta, in quæ non propria nos commoditate propendere videmur, at gratia communis boni, vel voluptatis, publicæq; comprobationis, licet prudentiæ diſcrepent à præceptis, tanquam virtutis officia ineruditæ multitudini ſuadentur: vt in diuitibus prodigentia, in militibus audacia, nimia in moderatoribus conniuentia. Contrà verò quaſdam actiones, quæ

Digitized by Google

quæ ad propiam agentis voluptatem vel vtilitatem geri videntur, cum incommodo alieno coniunctę, quamuis eas iubet honeſtas, req; ipsâ Reipublicæ proſunt, multitudo ceu vitia criminatur, veluti in ſumptibus parſimoniam, in prælijs cautionem, in regimine ſeueritatem. Quid tamen? aliquando tandem veritas, aut rationibus, aut ſucceſſu dignoſcitur. Manlijq; ac Varrones poſterorum omnium odio mordentur, dum interea Catones, Fabij, Torquati poſt haud longa populi maledicta exagitati, non modò amantur vt Heroës, ſed tanquam numina perennis famæ cultu propemodum adorantur.

Addo alterum euentum ex duobus, in quibus, vt indicaui, odium parit virtus. Ipſa nempe Virtus, etiam cùm agnoſcitur, odio nonnunquam eſſe multitudini poteſt: non omnium quidem hominum vniuerſæ multitudini, at ei tantùm parti, quicum vir ſtudioſus verſatur: cui ſcilicet parti accideret opportuniùs, vt ipſe oppoſito vitio laboraret. Ita conſpirans tumultuanſq; agmen aut Ciuitas à fide deſciſcens, eos omnes gladio dant, qui Principi ſeruare malint fidem. Ita in corrupta Athenarum Republica eueniebat, in qua exilium optimorum ciuium principio inuentum eſt per oſtraciſmum: vbi accidit, vt neſcio quis ſcribendi ignarus ipſimet Ariſtidi ſibi nimirum incognito teſtam traderet, vt in ea pro ſe damnationis ſuffragium exararet; ex quo homine cùm innocens Reus quæſiuiſſet, quonam ad id præſtandum Ariſtidis crimine permoueretur: Nullo, inquit, ſiquidem eum nec de facie noui, at hoc *Iuſti* agnomen, quo vulgò appellatur, illum animo mihi inuiſum facit. Ad quæ nihil Ariſtides, & confeſtim ex eius illiterati homuncionis poſtulatu ſuum ipſe nomen in teſta exarauit. 4.

Verùm & hi caſus rariſſimi ſunt ac breuiſſimi: Apud Hiſtoricos omnes, præcipuèq; apud Tacitum, aduertere licet quanta celeritate tumultuantibus in populis Principis virtus petulantiam in reuerentiam, in pœnitentiam furorem commutare conſueuerit. Et verò perquam rarò optimi quique Ciues Liberis in Ciuitatibus diu fuerunt oppreſſi. Id quidem ipſo in Ariſtide patet, qui ab exilio citò reuocatus in patriam eſt data opportunitate belli, quod aduerſus eam Perſæ ſuſceperant. 5.

Cur igitur, dicet hîc aliquis, in hominum ore litteriſq; huiuſmodi habetur effatum, Vitij fauor eſt; odium verò virtutis? Mortalibus contingit vniuerſis, quod Regum adminiſtris, qui cùm plerumque ſibi populos infenſos eſſe cognoſcant, id, quod ſui vitij eſt, promeritum ac fidem appellant, aiúntque, obſequi neminem ſuo Principi diligenter poſſe, qui publicæ inuidiæ atque obtrectationi ſe non deuoueat. Non ſecus maxima pars hominum in hoc odio ſe eſſe intelligens, odium ipſum in materiam reuerentiæ commutare contendit, clamitátq; ac ſcriptitat, apud homines amori vitium eſſe, odio virtutem: perinde quaſi ad multitudinis voluntatem iuſſæ non fuerint leges, aut hæ qualibet in Republica virtutem præmijs, vitium pœnis non afficiant.

De-

Digitized by Google

6. Denique, vt penitus eam, quam edixi, poſitionem confirmem, vnum animaduertere neceſſe habeo. Ad amorem ſibi conciliandum, virtutem ſimulare non ſatis eſt. Huc effatum Socratis nuper allatum facit, hoc eſt, virtutis poſſeſſionem vnum eſſe medium certiſſimum, vt quis virtute prædìtus habeatur. Simulatio, falſæ margaritæ perſimilis eſt, quæ, citò, ſeròve, tandem agnoſcitur: eáque, inter vitia, omnium maximè inuiſa eſt, quia vitiorum eſt nocentiſſimum.

1. PRæter morales virtutes amorem etiam conciliant ornamenta Naturæ: Ita maieſtas oris, linguæ charis, ingenium, eruditio, eloquentia, & ad equeſtria munera habitudo. Siue id contingat, quòd Naturæ ductu is, qui voluptatem affert, amatur, & qui huiuſmodi ornamentis excellunt, ſuis rebus geſtis miram multitudini pariunt voluptatem: ſiue accidat, quòd ſibi homo decorum ducit, cùm ſupremi rerum omnium moderatoris affectu conſentire, ideóque præcipuo illos amore proſequitur, quos amari præcipuè videt ab Auctore Naturæ: ſiue demum id eueniat, quòd hæ Naturæ dotes cum aliqua virtutis propenſione plerumque coniunctæ, efficiunt, vt ijs, qui ornatus fuerit, ſe in commune omnium beneficium occupet & impendat.

CAPVT XXXI. *Ornamẽta etiam Naturæ amorẽ parãt. Inter ea nobilitas: & hac qualis & cur.*

2. Neque tenue amoris illicium nobilitas eſt, ea præcipuè, quæ non tam ab Auorum amplitudine, quàm eorum à meritis proficiſcitur: cuiuſmodi laudata eſt in filijs Germanici, quos tanto populus amore complectebatur, ex ipſa videlicet optimè meriti recordatione genitoris. Amor vtique erga huiuſmodi nobilitate conſpicuos viros gignitur non tantùm è morum ſimilium perſuaſione in ijs, in quibus idem eſt ſanguis; verùm etiam quia per hunc amorem ſibi videntur homines præmium rependere virtuti, licet extinctæ, eóque exemplo præſentes allicere, vt laudabiliter agant, cùm tali arte cognoſcant hæreditatem publicæ beneuolentiæ à ſe vniuerſæ poſteritati fundari.

1. HÆ proinde dotes magneſiâ quadam vi amorem pelliciente incrementum facient fœlicitatis. At quemadmodum vt quis ametur, nequaquam neceſſariæ ſunt omnes, ita nec ad humanam fœlicitatem omnes neceſſariò deſiderantur. Generis originiſq; nouitas Pompeio Romæ beneuolentiam non ademit, neque humerorum vitium, quod Platoni nomen dedit, eidem amorem abſtulit aliorum. Qualiſcunque tamen ornamenti causâ amari ab hominibus, citiùs quàm eorum in odio viuere, maximè, vt opinor, neceſſarium humanæ fœlicitatis eſt elementum, quod ſi deſit, cætera omnia bona pretio cadunt. Atque ita iure quidem apud Senecam *a* Megera acerrimam ſumere ſe vltionem exiſtimauit: Lico, licet amplè regnanti, lethale tanquam iaculum commune omnium odium intentans obijciénsque.

CAPVT XXXII. *Amari potius, quã odio haberi, neceſſaria pars eſt fœlicitatis, atq; hinc euincitur ſine virtute non poſſe conſiſtere fœlicitatẽ*

Qq *Pa-*

a Herc. fur. Act. 2. ſc. 1.

Patrem abſtuliſti, regna, germanos, larem,
Patriam, quid vltra eſt? vna res ſupereſt mihi,
Fratre ac parente carior, regno ac lare,
Odium tui; quod eſſe cum populo mihi
Commune, doleo: pars quota ex iſto mea eſt?

Verùm, quemadmodum ſupra rem omnem, quæ ſub aſpectum cadat, ſerena turbatave Cœli facies gaudio nos afficit aut mœrore, ita planè amor odiumque in nos mentium maximè ſublimium, vim ac pondus habent maximum noſtro in pectore fœlicitatis & miſeriæ. Iam inter mentes omnes Naturæ mens, hoc eſt, Dei, celſiſſima eſt; huius amorem virtute nobis conciliare, huius odium vitio in nos laceſſere arbitramur; Eam ob rem, animi nihil ſibi conſcij ſecuritatem extimas inter calumniarum tempeſtates Iridem eſſe dixerim intimæ tranquillitatis effectricem: Ex altera verò parte patratorum ſcelerum conſcientia cordis humani Erynnis eſt, quæ in eo pœnarum Tartara conſtituit, non vtique mitiora ex arridentis fortunæ benignitate, quæ illi vndique deliciarum Elyſios fabricetur. 2.

Quare inferre ſic poſſumus; quantum ad amorem pertinet, virtutem neceſſarium eſſe fœlicitatis fundamentum; ſiquidem ea cùm abſit, conſtans hominum beneuolentia ſperari non poteſt, & nulla ratione fiet, vt eius qui hominum Auctor eſt ac Dominus, amor obtineatur. 3.

CAPVT XXXIII. *De honore, & qua ratione amorem comitetur quãq; eidem aduerſetur.*

Bonum alterum extrarium, honor: ad quem etiam referri magnam partem valet id, quod de amore pronunciauimus. Siquidem & eadem omnino de cauſa vtriuſque deſiderio noſtros animos Natura inflammauit: & iiſdem plerumque dotibus obtinentur. Explicauimus aliàs, honoris nomine id à nobis intelligi, quod ad aliorum erga nos ſpectat exiſtimationem, & venerationem intimam, & in animo conſtitutam. Ad *intimam*, inquam, quippe cultus extimus, non inter ea bona cenſetur, quæ ſui cauſâ optantur, ſed tum quia argumentum eſt, & illi qui colitur, & cæteris etiam intimæ venerationis, tum verò quoniam alia parere commoda conſueuit. 1.

Hîc Saracenus: Qua tu ratione pronuncias, iiſdem ornamentis venerationem amoremq; hominibus comparari, cùm hi potiùs affectus inter ſeſe aduerſari videantur, eaq; propter tanquam ſingulare neſcio quid, atque heroicum in paucis mortalium commendatur, vtrumque quod fuerint aſſequuti? 2.

Cui Andreas: Amoris venerationiſq; materies id alteră diſcriminis habet ab altera, quòd prior in ijs ſolet eſſe dotibus ſita, quæ aliqua ratione cedunt in bonum amantis, aut eorum, quibuſcum ipſe coniunctus eſt amore, vt ſuprà etiam aduerti: poſterior verò, quanquam ijs exoluitur prærogatiuis, quæ, aut in præſentia conferunt, aut ſaltem conferre beneficia poſſunt, quod aſſeruit Ariſtoteles, nihilo tamen minùs perfectiones etiam omnes, omneſq; com-

1 Rhet. c. 5

Digitized by Google

complectitur prærogatiuas. Ita diuitias,potentiam, eamq; nobilitatem colimus,quæ ab hoc Maiorum gemino ſplendore,ſuam accipit lucem, quanquam neutra nos allicit ad amorem. Iam verò inter cæteras, quæ nos ad venerandum inuitant dotes, poteſtas illa eſt, qua ita pollet quiſpiam, vt nos pro arbitratu miſeros reddat: Et hæc nominatim veneratio, quippe timore permixta quodammodo amori aduerſatur; vniuerſi quippe qui veneramur eam vim, ex qua futurum aliquod malum nobis auſpicamur, aut certò, aut ea conditione, *Si quidpiam effecerimus,quod cæteroqui libenter efficeremus.*

3. Quocirca quemadmodum non amoris illicium, at auerſationis eſt noſtrum malum, ita nubes illa, quæ hoc nobis fulmen intentat, deiectis quidem oculis,at non beneuolentibus à nobis aſpicitur. Atque in hoc illud Ariſtotelis axioma nititur: *Nemo amat,quem timet.* Cæterùm ea veneratio,quæ virtutem *2Rhet.c3* eius,qui colitur,cæteraſq; beneficas eiuſdem dotes veneretur. Enimuero,non modò inimica non eſt,at ſocia filiaq; prorſus amoris. Quare ſapienter aduertit nonnemo,vniuerſa, quæ dicata Deo ſunt, Templa, ſacra ipſi eſſe præcipuè tanquam rerum omnium procreatori, bonorúmque largitori, nullum porrò hoc vno titulo, quòd infinitus,immenſus, omnipotens eſt; tum autem æterno Parenti nulla, cuncta verò aut ſecundæ, aut tertiæ diuinæ perſonæ, quibus nimirum præcipuo quodam nomine tribui ſolent beneficia diuinitatis. Quinimo ipſi etiam Ethnici altaribus colere conſueuerunt Heroës nominatim illos, qui meliùs eſſent de humano genere meriti, & Iouem ſuorum Numinum Regem à *iuuando* dixerunt. Hic igitur cultus,quo ſublimes animæ amabiles maximè ac benemerentes excipiuntur, ille ipſe eſt, qui præcipua ac ſinceriſſima fœlicitatis pars eſt.

CAPVT XXXIV

Inducitur quæſtio; Expediat-ne magis Principi amari, an timeri

1. AD hæc ita Saracenus: Huc celeberrima faceret quæſtio, Expediat-ne magis Principi amari, an timeri; de qua re Macchiauellum ſcriptorem illum impietate magis,quàm ſcientiâ nobilem,ita ſentire accepi, timorem primo loco eſſe quærendum à Principe, quippe quem obtinere ipſi arbitrarium eſt,cùm amor ex arbitrio pendeat alieno.

Cardinalis, qui tacitus & alienos in ſermones hucuſque fuerat attentiſſimus,animo commotus: Noſtis,inquit,verſari me quodam in opere ſcribendo de arte bene regnandi, quam duxi ex euentis primorum quatuor Iudææ Regum. Atqui in ipſo plurima carptim diſcutio pernicioſiſſima ſcriptoris huius effata, atque à me oſtenſum iri confido, eum nihilo meliorem fuiſſe Philoſophum, quàm Chriſtianum. At impudentia impietaſq; id ſæpenumero impetrant: exiſtimatur à vulgo nemini veniſſe in mentem, quod effari voluit nemo: & acumini tribuitur ſingulari, quod ſingularis eſt audaciæ & temeritatis.

Digitized by Google

Caput XXXV. Allata Macchiauelli ſententia cõfutatur.

PRimùm, hîc non quærimus, amorem inter ac timorem, vter obtineri faci- 1.
liùs poſſit, verùm vter melior ſit, dum obtinetur. Et ſanè amorem maioris eſſe momenti, conficitur, eius etiam ad ſcriptoris lancem, qui amorem timoremve in pretio ea tantum de cauſa à ſe haberi oſtendit, quod media ſint cæteros mortales permouentia, vt ij pro noſtra voluptate agant: Amor, inquam, in hunc finem medium eſt multò conducibilius, homines nimirum permouet, vt, vel ſi maximè occulti, noſtræ ſtudeant voluptati, cùm timor exterioribus tantùm operibus, atque in aperto verſantibus, frenum incutiat. Quinimo timor gelida quædam affectio eſt, quæ potiùs mortales cohibet, quominus nos lædant, quam impellit, vt nobis beneficia largiantur: at verò amoris calor Solis calorem imitatur, qui totus eſt in noſtris bonis progenerandis, ſimulq; igneus eſt ardor, qui mala vniuerſa nobis impendentia perimit atque conſumit.

Sed nos Macchiauelli rationem in examen vocemus, nimirum in poteſtate 2.
regnantis magis eſſe timorem, quàm amorem obtinere. An nos fugit, ceu inuenire eſt inter homines ingratum aliquem animoq; efferatum, qui quod amabile eſt, amare nolit, non minùs reperiri poſſe audacem ac temerarium, qui quod terribile fuerit, timere nolit? Prætereo exempla tam nupera vtriuſque Henrici, quorum Occiſores, extra ſpem omnem propriæ vitæ ſeruandæ, illam Regibus adimere, per ſumam audaciam aggreſſi ſunt; Proximis verò ſeculis Hieronymus Olgiatus, non modò Galeatium Sfortiam Mediolani Ducem principali ſatellitio ſtipatum interemit, verùmetiam poſtea acerbiſſimo atq; inhoneſtiſſimo mortis generi deſtinatus, nihilominus in perpetua fuit tanti facinoris voluptate, proq; gemitibus ipſe ſibi, compedes inter ac forcipes, triumphali carmine parentauit.

Suum Macchiauellus effatum ita potiùs confirmare debuerat. Timoris 3.
affectus vtilior regnanti eſt, quàm amoris, quia tenacius eſt vinculum. Sui ſiquidem in vnoquoq; mortalium amor, amorum omnium eſt maximus; atqui quẽ in ſubdito regnator progenerat, timor, in eo ſitus eſt amore, quo ſe ſubditus amat, & in eorum ſtudio bonorum, quę timenti maximè cara ſunt ac neceſſaria, nimirum libertatis, vitæ, cruciatuumq; vacuitatis: Efficacior igitur ad dominandum in animos, actusq; regendos timor erit, quàm amor ille, quo alter alterum amicitiâ complectimur, quippe qui debilior eſſe ſolet ac ſegnior.

At eſto, eo nomine tutiùs Principi ſit timorem potiùs, quàm amorem ſui 4.
excitare, alijs tamen capitibus tutiorem ipſi arbitror eſſe amoris cuſtodiam. Timor duo non complectitur euenta, quæ maximè Principis intereſſunt, & ad quæ plurimum amor valet. Alterum eſt, quod aiebam, clandeſtinas cohibere offenſas, vt venena, proditiones; ſiquidem vnus tantummodo eſt, neque terrarum accola Princeps ille, qui lædi, neque clam, neque ex improuiſo poteſt. Quilibet igitur Rex mortalis ſui cuſtodem terrorem legans, is vtique Tyrannidis vltricem impunem ſentiet ſuſpicionem, quæ in horas ſingulas Regio imminentem capiti Syracuſani Tyranni gladium oſtentabit.

Digitized by Google

5. Alterum, quod amor complectitur, euentum, non timor, illud eſt, cùm ſe ſubditus Principe potentiorem eſſe aduertit. Qua in re illud animaduerſione dignum eſt, non aliam eſſe potentiam Principis, quàm Populi, qui ſuos ad inferendos impulſus (repetite memoriâ ſum̃um illum Regem *Impulſum*, de quo nos aliàs meminimus) pro ipſius arbitririo ac volũtate paratiſſimus eſt. Quare ſi huiuſmodi volũtas deerit in Populo, deerit cõfeſtim in Principe potentia. At cùm ſceleroſus eſt Princeps, pars Populi maxima ab hac deficit volũtate: verũtamen in eadẽ ille potentia perſtat, quia in illa perſtare videtur, errorq́; abit in veritatẽ: Subditus quiſq; retur vereturque, ne ſua non parendi tyrañicis regnantis appetitionibus cupido, ſibi peculiaris ſit, nõ maximæ ſubditorum parti communis. Quare tunc quilibet potentiorẽ ſe ipſo arbitratur Principem, cui ſcilicet fauere ſuis impulſionib. ſubditorũ plurimos putat, & vt acutè Lucanus cecinit, tũc ſanè

Quiſque pauet, quibus ipſe timori eſt. Lib. 1.

Hic porrò timor ab errore profectus, quo ſubditus alter alterũ metuit, efficit, vt parere quiſq; velit omnino, quanq̃ tacita ſub cõditione, atq; *ſi tutò id audere poſſet,* imperium detrectaret. Atq; huiuſmodi certa voluntas, quę falſa exi-
6. ſtimatione in quolibet procreatur, Principẽ planè potentẽ facit. Verũ quia pro cognitionũ diuerſitate permutari etiam voluntas ſolet, vtpote quæ cognitione ducitur, error verò cognitionis genus eſt maximè mutabile, quippe naturæ repugnans, inde accidit, vt non raro ſubditi, qui Principis violentiâ premuntur, in eadẽ ſe oẽs eſſe voluntate animaduertẽtes, ſentiant ſimul ſui ipſorum quẽlibet, eam ſi aperiat, fieri poſſe Principe potentiorẽ, cũ pro ſuo arbitrio multorũ impulſiones in eũ habeat paratiſſimas. Atq; ita dubitans illa vniuſcuiuſq; volũtas, dũ mutuò apitur, timoris laruas fugat, q̃ ne certa abſolutaq; fieret, prohibebãt.

7. At amoris illiciũ gemina hęc euenta cõplectitur. Vallũ amor eſt adeo forte, vt non ſolũ aperto defendat ab impetu oppugnantiũ, verùm etiam clandeſtinis à cuniculis tueatur. Solida ille baſi nititur veritatis, non mobili erroris tellurẽ fundatur: adeoq; regnantis ſalutẽ maximè ponit in tuto. Appello teſtes euentus ipſos. Tyrannorũ pauciſſimi id timore iniecto aſſecuti ſũt, vt ſicca morte decederent. Pręſtat per antiquas vbiq; terrarũ Regias animũ circũducere, illæ quidẽ oẽs horrorẽ nobis faciunt, dũ tot Regum timendorũ cadauera, non alio, quàm proprij ſanguinis oſtro fœdè obuoluta nobis oſtendunt. Contrà verò ex bonis Regibus q̃ pauciſſimos perfidorũ ſcelere aſpiciemus oppreſſos. Vnus inter Cæſares Gratianus, tanq̃ lacrymabile portentũ ſcribitur. Quod ſi nõnulli Principũ virtutibus inclyti à coniuratis cęſi ſunt, q Galeatio Sfortię, de quo nuper meminimus, accidit, eos illa tamẽ, ad q̃ in ipſos exacutus eſt gladius, haudquaq̃ aliqua virtus fuit, q̃ illis amorẽ cõciliaret, ſed aliq vitium, quo in ſe odiũ prouocarunt: quanq̃ id ſicariorũ perfidiam reuera non excuſat, qui datos ſibi diuinitus Principes ferre debuerant; & noſſe, quemadmodum in hac rerũ naturalium vniuerſitate plura elementa inueniri non poſſunt, ita nec in ciuili mortalium Rebubl. puras poſſe virtutes inueniri.

CAPVT XXXVI *Decernitur per diſtinctionē cōtrouerſia; Debeatne Princeps vti potiùs timore, an amore.*

AN igitur, Cardinalis Illuſtriſſime, reris, addidit Saracenus, conducibiliorem vniuersè Principi eſſe timorem, quàm amorem? 1.

Siquidem huc deuolutus eſt ſermo, Cardinalis ait, vtere diſtinctione; facta quædam ſunt, quæ Princeps abhorret, & quæ ſubditus vna ex parte non rectà lædere Principem arbitratur, ex alterà verò parte, ille etiam, qui eiuſmodi facta ſibi licere cupit, omnibus optat interdicta: Ea ſunt crimina, quæ iuſtitiam lædunt, commerciumq; perturbant. Huiuſmodi ne patrentur noxæ, debile frenum eſt amor ſubditorum in Principem. Cùm enim ſubditus ſibi minimè perſuadeat, ſe Principi nocere, ſi inimicum vlciſcatur, aut alienum thorum polluat, nequaquam inducitur, vt eius amore tantæ voluptatis illicia ſuis deneget cupiditatibus ardentiſſimis. Plurimum verò vltionis publicæ timor valet, vt ab his attentandis homines cohibeantur, ſiquidem is timor, vtique affectus eſt, vt oſtendi, humanis in animis efficacior. In his porrò euentibus, nequaquam timor ille in fortioris potentiæ falſa exiſtimatione fundatur: quandoquidem populi vires atque impulſio paratiſſimæ, eam in pœnam pro nutu dominantis eruunt, non tam illi proficientem, quàm populo vniuerſo. Proinde optimè factum eſt, vt legum minis, ſuppliciorumq; terrore, rapinæ, homicidia, cæteraq; huiuſmodi facinora prohibeantur.

Alia quædam facinora rectà Principem ipſum lædunt, veluti coniurationes & defectiones. Et quanquam ipſæ ſunt etiam Populo noxiæ, cùm omnino nequeant, quemadmodum in corporibus, ita & in regnis perturbationes maximæ euenire ſine membrorum omnium tumultu atque dolore, nihilominus ſuum hoc malum Populus non dignoſcit, imò imprudenter in nouo Principe meliora ſperat, quoties qui re ipſa regnat, non ſatis placet. Iam de huiuſmodi turbis veriſſimum eſſe cum Claudiano putauerim: 2.

Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela,
Quam tutatur amor.

Si in amore Princeps fuerit, fieri nequaquam poterit, vt ipſi Populus malit exitium, tum quia malum id eſt Principis, cui bonum ipſe deſiderat, tum quia illud idem ipſius Populi malum eſt, vtpote qui regimen ipſius optimum ducens, illud cum alio commutare, aut damni, aut certè periculi plenam rem eſſe cenſebit. Quod ſi quiſpiam ſceleroſus contrarium huic, quem prædixi affectum, coqueret, metuet multitudinis Principem amantis vires, vtpote poſt confectum crimen etiam ſuperſtites. Contrà verò, ſi Princeps non amatur quidē, ſed pertimeſcitur, in ſpem venire poſſunt facinorum molitores, fore vt poſt facinus vnà cum ipſius vita, metuendi etiam cauſa depereat, ipſos verò ante facinus rei ſilentium ac ſecretum, aut ſaltem cum aliorum voluntate coniunctio tueatur, quæ voluntas vbi primùm innotuerit, Principe fit potentior, efficitque, vt eos ipſos impulſus metuere ille debeat, quibus ipſe ſe antea præbuerat metuendum. 3.

Ve-

Digitized by Google

Verùm longè nimis ab re propoſita excurri, perge porrò Andrea, eruditumq́; ſermonem, vt incepiſti, proſequere.

1. AT ille. Miram afferes humanæ Reipubl. vtilitatem, Princeps Illuſtriſſime, ſi ſupremam huic operi manum imponens, in perſpicuo ponas tartarea Dogmata non minùs arcere homines è terreſtri, quàm è cœleſti fœlicitate. Nunc ego, vt faciam imperata, inceptam perſequens diſceptationem, honorem puto eadem planè ratione atque amorem, niſi pars eſt, ad naturam pertinens fœlicitatis, eiuſmodi ſaltem eſſe, vt contemptus, quod contrarium honori malum eſt, nequaquam poſſit cum fœlicitate coniungi. Contemptus porrò telum adeo acutum eſt ac pungens, vt hoc telo veteres exiſtimauerint, Deorum etiam animos, nedum Heroum, acerbiſſimè vulnerari, vt ab ijs oſtenditur, non modò in Achillis ira, verùm etiam in querelis, vſque adeo decantatis, Veneris modò, modò Iunonis. *CAPVT XXXVII. De contẽptu: & cur ille hominũ non autẽ Dei fœlicitatem impediat*

2. Qua igitur ratione, Saracenus intercepit, Diuini Numinis fœlicitatem non lædit, quod aliquando ipſe mortalium ſit in odio vel contemptu?

Plurimæ, ſubiunxit Andreas, in hanc rem afferri poſſent rationes; verùm præcipua, vt opinor, hæc eſt. Quo Deus ex operibus per virtutem & honeſtatem exercitis gloriam poſſet accipere, neceſſe fuit, vt genus vniuerſum rationis mentiſq́; compos peccare etiam poſſet, quod acutiſſima ratiocinatione nudius tertius Querengus oſtendit. Et quando peccatum quodlibet Dei contemptus *Li.2.c.53* eſt, & eiuſdem etiam aliqua ratione odium, idcirco geminos hoſce ſerpentes, vt ita dicam, veneno carere oportuit, quod infinitum fœlicitatis diuinæ gaudium triſtitiâ poſſet inficere. Atque hinc ergo, rem ita ſe habere ſatis liquet. Reliquum eſt, vt ratio perueſtigetur, qua fieri hoc potuerit, ſiquidem eiuſmodi duæ res pariunt ſuapte natura triſtitiam, quemadmodum nos in nobis ipſis experimur; quamobrem indagare oportet, quodnam ea in re diſcrimen nos inter ac Deum intercedat. Miſſis verò plurimis ſpecie ipſa elegantioribus, quàm ad Philoſophiæ incudem exploratis rationibus, aptiſſimum omnium diſcrimen eſſe mihi videtur illud, ex eo ductum, quod mihi tu ipſe narraſti, à te fuiſſe pri-
3. ma die perpenſum Beatæ Cœli mentes, non omnia, quæ optauerint, aſſequuntur, & tamen doloris acerbitatibus ſunt immunes, Deiq́; præpotentis inſpectio *Lib.1.c.4* illud idem in ipſis efficit, quod ab Homero tribuitur pharmaco ab Helena po- *Od.2.* culis lachrymabilium hoſpitum immixto, quodq́; ipſa conficere docta fuerat ab Ægyptia muliere Polidama. Quod pharmacum, vt Poëta ſcribit, lachrymas vel in eo coërcere poſſet, qui ſuiſmet oculis fratrum, genitorumq́; cladem aſpiceret. Hac ratione dolori mentes illæ beatiſſimæ ſunt imperuiæ, ſiquidem naturalis earum mentium capacitas finita eſt, atque ita gaudium illud, quo abſorbentur, vbertimum, quanquam finitum eſt, in ipſa tamen capacitate nihil inane contrariæq́; affectioni occupandum relinquit. Contrà Deus, capacitatis eſt

Digitized by Google

eſt infinitæ, at etiam gaudium, quod ex intimis perfectionibus infinitis elicit, eſt infinitum. Quare huiuſmodi gaudium aditum cuicunque mœrori obſtruit, qui cuiuſpiam rei non infinitæ vi eò peruadere attentaret. Ea planè ratione, qua ſi in hac rerum vniuerſitate infinitus exiſteret aër, haud vllus ſeruari poſſet ignis, (Ariſtotelis vtor exemplo) licet alioquin minus, quàm ignis valeat aër. Proinde rerum procreatarum contemptus, odiumque in Deum mali quidem nomine naturaq; definiuntur, quatenus à Deo cùm adſunt pariter, & cùm abſunt, odio habentur, non tamen ita, vt mentem ipſius valeant aliquâ mœroris vmbrâ conſpergere. Ex altera verò parte amor ille ac honor, cuius Deo tributum ſoluunt animæ virtutibus ornatæ, bona Dei ſunt, hoc eſt, quæ ab ipſo amantur, ipſique præterea gaudium pariunt; cùm addi poſſit aliquid infinito. Exemplum eſto: Ea ſcientia, qua Deus ante ſuum quodlibet decretum neceſſarias omnes veritates nouit, ſcientia eſt infinita, & tamen illi deinde additur ſcientia veritatum non neceſſariò euenientium, quæ à libertate diuini pendent arbitrij.

3. phyſ. tex. 42.

4.

Nec mora, quin Saracenus obijceret iterum. Deus igitur non ſummè fœlix eſt ac beatus, cùm maius obtinere poſſit bonum, quàm in præſentia teneat, maiorīq; voluptate frui, quàm nunc fruatur, dum non omni quo poſſet amore ac honore colitur à mortalibus.

Non ita verè conficitur, reſpondit Andreas, gaudium quippe infinitum non *additamenti*, ſed *pluris* eſt incapax. Cùm hoc proprium ſit cuilibet infinito, poſſe quidem illi nouum aliquid addi eo etiam in genere, in quo infinitum eſt, non tamen eo additamento maius fieri poſſe. Quod ſanè fidem non inueniret, niſi naturalibus demonſtrationibus petitis è rebus procreatis, minimèq; dubitandis, euidens id fieret atque perſpicuum.

Pluribus id amicus noſter argumentis ſua confirmauit in Phyſice. Eorum aliquod hîc ego nunc indicabo. Et primò quidem ſtatuo, euidens illud apud Mathematicos axioma, ſi duæ quantitates eidem tertiæ omnino coæquentur, neutram eſſe alterâ maiorem aut minorem poſſe. Nunc ita progrediar. Fingite vobis animo, rerum hanc Vniuerſitatem perpetuò duraturam, quemadmodum naturaliter eueniret, niſi præter naturæ ordinem delere illam vellet Deus. Ad hæc animo reputemus homines, qui tunc eſſent in annos ſingulos naſcituri. Enimuero futuri anni, ac prædictorum agmina hominum inter ſeſe omnino æquè reſpondent. Nimirum cuilibet anno, prædictis ex agminibus vnum reſpondet, & cuilibet hominum agmini prædictis ex annis vnus. Hoc ita conſtituto, caſum mutemus, fingamusq; eorum agminum primum, quod in euentu deſcripto naſciturum erat anno futuro, natum fuiſſe anno præſenti, tum autem primo ex futuris annis illud naſciturum eſſe agmen, quod in alio euentu futurum erat, vt poſt duos annos naſceretur, item ſecundo anno agmen illud naſciturum, quod alio in euentu anno tertio extitiſſet, atque ita deinceps. Sanè 5.

vero-

vtroque in euentu anni erunt ijdem; & tamen in poſteriori euentu omnibus ijs planè annis futuris ad numerum agmina reſpondebunt, quibus annis primo in euentu reſponderent, qui porrò euentus ſupra cætera omnia agmina in altero euentu comprehenſa vnum agmen præterea numeraret. Ea igitur detractione, quæ in poſteriore euentu contingeret, nequaquam agminum multitudo fuiſſet imminuta.

Qua ratione, quæſiuit hîc Saracenus, cum ipſe conuinceres, qui annos atque agmina, etiam in poſteriore euentu naſcitura ex æquo inter ſe reſpondere inficiaretur? At ille, nihil in eo conuincendo laborandum eſſet: futurorum annorum nullus ne in poſteriore quidem euentu vno careret agmine, quod ſibi reſponderet: tam igitur in altero, quàm in primo euentu futurorum annorum cuilibet peculiare ſuum agmen responderet. Antecedentem propoſitionem ita demonſtro. Si eorum annorum cuipiam ſuum reſpondens agmen defuturum eſſet, vnus tantùm annus futurus eſſet, ac vltimus cui deeſſet, ſiquidem & vnum tantummodo demptum fuiſſet agmen, cæterorumq; agminum natalibus anticipatis, defectus ille nulli contingere poſſet annorum, qui alium poſt ſe annum relinqueret. At in ipſa futura Mundi æternitate, nullus vltimus eſſet annus, imò quilibet annus innumeros poſt ſe annos haberet, quandoquidem vltimo ac fine caret æternitas: Nullus igitur annus in æternitate tota futura ſuo careret agmine ſibi reſpondente. Videtis iam, qua ratione infinito proprium eſt detractione non minui, & conſequenti ratione additamento non creſcere, dum illud pariter acceſſione ac detractione eidem ipſi multitudini correſpondet. Et quod de tantula detractione oſtendi, oſtendere pariter poſſem de maxima, vt vos optimè ingenij veſtri acie proſpicitis.

6\. Ad quodcunque infiniti genus peculiaris hæc ratio pertinet. Atque ita quia Æterni Verbi perſona infinitâ perfectione prædita eſt, alia quidem ab ipſa diſtincta poteſt illi addi perfectio, qualis humana Chriſti natura eſt, non tamen ex ea totum aliquid conflari poteſt, quòd ſolâ ſit diuinâ perſonâ perfectius: Item cùm quęlibet diuinę Triados perſona infinitè perfecta ſit, licet perſonæ ipſę ſint inter ſeſe diſtinctæ, Trias tamen illa diuiniſſima nequaquam perfectione ſingulas Perſonarum antecellit.

Non hîc tamen Saraceni victum eſt acumen, ſed iterum in Andream hac ratione inuectus eſt. Si tu inficiaris, poſſe Deum frui bono gaudioq; maiori, quàm in præſentia perfruatur, dabis ſaltem ipſi nunc haud eſſe illud omne bonum, neque Deum omni eo gaudio frui, quo ditari poteſt & frui: quandoquidem bono ac voluptate caret, quæ illi contingerent plurimis ex honoris amoriſque actibus, quos poſſet ex procreatis rebus elicere. Atque hoc ipſum, omni quo poteſt bono, non frui, naturam ipſam fœlicitatis ſummæ videtur euertere.

Neque ſic pro veritate conficitur, ſubiunxit Andreas, fieri ſiquidem

Digitized by Google

nulla ratione poteſt, vt Deus ſimul omni eo bono gaudioq; fruatur, quo fruitur in præſentia, ſimul fruatur eo, quod euenire illi poſſet nouis ex honoris amorisq; actibus, qui ex rebus à ſe procreatis exſolui poſſint. Huius rei perſpicua illa ratio eſt. Si actus huiuſmodi progignerentur, neque ipſorum priuationes ſupereſſent, neque actus contrarij prouenirent. Iam vero, & huiuſmodi è priuationibus actibusque contrarijs Dei gloria & voluptas ingens exiſtit, ſiquidem ne vmbra quidem inueniri poteſt, rei vel adeo tenuis, vel adeo deficientis à Deo, quæ illi præcipuum aliquod vectigal gloriæ non exoluat. Maior quidem exiſteret (quod ego ita eſſe fateor) bonis ex actibus gloria, quàm ex ipſorum priuationibus actibusq; contrarijs: Verum infinitum cùm ſit intimum illud bonum, quo Deus neceſſariò perpetuóq; fruitur, maior, minorve boni accidentis, extrarijq; acceſſio, neque illud bonum auget, nec minuit; id verò ex ea naſcitur præcipua infiniti ratione, quam oſtendi. Quare liquet iam Deum augeri maiori bono non poſſe, quàm in præſentia tenet, ipſiq; totum illud eſſe bonum, quod eſſe ſimul poteſt.

Qua demum in re mira illa Dionyſij poſitio ab Aquinate adhibita aduertenda eſt: nempe, Deum rem omnium optimam eſſe, quam nos ipſi cogitare animo valeamus. Atqui nos mente cogitare non poſſumus perfectiorem fœlicitatis pleniſſimæ neceſſitatem, quàm hanc ipſam, de qua ego hactenus diſputaui. Si enim nobis nos ipſi talem Deum fingeremus, qui & in ipſo extrario bono, neceſſariò ſummum illud bonum, quod ipſi euenire poteſt, obtineret, confeſtim libertas illi adimeretur procreandi, nec ne pro ſuo arbitratu, & facultas ipſa rem vllam rationis compotem progignendi, quæ peccato ſit obnoxia; ex qua re tantum illi perfectionis accidit & gloriæ, quantum elapsâ iam à præſenti die tertiâ, Querengus oſtendit. Atque ita Deum facturi perfectiorem, illum deficientem à perfectione potiùs fingeremus. 7.

Li.2.c.53

LIBRI QVARTI
Pars Poſterior.

CAPVT XXXVIII Virtus nõ eſt vniuerſa fœlicitas. Error ex philautia ortus, in quo Epicuræi cum Stoicis conſenſerunt. Cùm vitio nequit conſiſtere fœlicitas.

MOnuit hic epularum ſtructor Cardinalem, horam aduenisse prandendi, epulasq; in promptu iam eſſe. Proinde pars argumenti vltima in conſequentem reſeruata eſt pomeridianam diſceptationem. Et ſiquidem neque ſereniùs, neque mitiùs, quàm matutinis horis ſe Cœlum oſtendit, imò potiùs importuni Auſtri flabris infeſtum fuit, neque poſt prandium domo ſunt egreſſi, ſed eundem conuenerunt in locum, vt primùm eos acceſſere Car- 1.

Digitized by Google

Cardinali viſum. Ibi, eo ſic iubente, Andreas de inſtituto iam argumento dicere perſequutus eſt in hunc modum.

De phyſicis actum eſt bonis, & ex eo, quo ſibi reſpondent, nexu, de oppoſitis etiam malis, tum in re ſolida, tum in priuatione aliqua poſitis diſputauimus. Dicendum nunc eſt de bono maloq; morali, de virtute ſcilicet ac vitio. Deque his etiam diſceptatum magnam partem eſt, cùm de amore atque adeo de honore quæſiuimus, nunc quod huic materiæ conducit, addamus.

2\. Stoici, vt meminimus aliàs, vna virtute bonum omne atque integram fœlicitatem concludebant. Error hic è falſo quodam præiudicio duxit originem, nimirum, Eſſe in poteſtate vniuſcuiuſque, fœlicitatem abſolutiſſimam obtinere. Hunc in errorem philautiâ enutritum atque lactatum Epicurei conuenerunt, quanquam cæterùm, hoſtes infeſtiſſimi Stoicorum: Non quod noſtro ſubijcerent arbitrio, quemadmodum Stoici, quemcunque ſummum fœlicitatis miſeriæve gradum, at quia abſolutam obtinere fœlicitatem, cuique liberum eſſe pronunciabant. Ita ergo diſputabant, vnam oblectationem bonum eſſe, vnum verò dolorem, malum: Dum vita eſt nobis, præſenti oblectatione præſentem ſuperari dolorem, vehemens quippe dolor, aut extinguitur breui, aut breui dolentem extinguit. Oblectationi præſenti addi à nobis poſſe ſuauitatem ex ipſa præteritarum memoria oblectationum; Tempus futurum illud enimuero eſſe, quod timore perturbans, calamitatem parit. Quemcunque tamen futurorum euentuum timorem duobus expelli poſſe præceptis: Alterum eſt, vt in hoc vitæ præſentis excurſu, deterioribus vulgarioribusq; rebus aſſueſcamus, vt relatum à me nuper eſt: Alterum quandoquidem ad intentata futuræ vitæ ſupplicia, quippe immaniſſima, fieri non poteſt, vt animus tranquillè per habitum comparetur, ea opus eſſe animo ſic opinanti negligere, perinde atque horridulas aniles fabulas: adeoque ſic exiſtimare, diuinitatem ad vllum erga res mortales affectum nullo gradu deſcendere; Caſum ipſum Patrem eſſe ac Dominum Vniuerſitatis.

3\. Hæc vtraque Stoicorum & Epicureorum opinio confutata iam à nobis eſt, eoq; nititur principio, quod expoſui: Stolido ſanè fatuoq; principio, quod alia ratione ſuaderi non poteſt, niſi quia in animum perſuaſio illa aditum facillimè obtinet, quæ pro locata domo gaudij offert pretium locatori.

Verùm licet virtute nequaquam omne bonum contineatur, illud ipſe tamen do, vniuerſas delicias, quæcunque in poſſidente illæ fuerint, per vitiorum miſerias infici, non ſecus ac fumi fœtor lautiſſimas quaſque dapes corrumpit. Primò ſiquidem vitij lues (id à me matutinis horis expenſum eſt) hominem contemptui odioq; procreatarum omnium mentium obnoxium facit, omninoq; in illum Æternæ Mentis odium prouocat & contemptum. Tum verò eum diuinæ vltionis terrore facit attonitum. Neque vlla vnquam Atheorum inſania mentis ſibi conſciæ latratus compeſcere potuit atque comprimere, in

Digitized by Google

eaque prauitate, non modò fidem, ſed ne ſuſpicionem quidem vltricis Diuinitatis præfocare; ſiquidem altè nimis à natura vel in ipſis Ethnicorum animis fixum hoc eſt.

Iuuenal. Sat.13. *Nec ſurdum, nec Tireſiam quenquam eſſe Deorum.*

Atque hac in re, vel ipſa ſuſpicio certiſſimum acerbiſſimumque malum eſt. Præterea vna tantùm virtus ſeruitio premit in animo contumaces appetitus; illas, inquam, Erynnes noſtram in calamitatem adeo conſpirantes, vt ea, quæ poſſidemus, omnia faſtidire nos cogant, non quia verè non bona, ſed quia poſſeſſa: neque nos in amorem bonitatis impellunt, at ipſiſſimæ difficultatis, non raro inexuperabilis; quò ipſe amoris fons potum nobis propinet ſollicitudinis ac triſtitiæ. 4.

Imò verò ne ipſa quidem imperfecta virtus, quæ impulſus animi retundit tantummodo, non frænat, ſatis eſt nobis, vt fœlicitate potiamur. Nimirum quanquam certaminis angor meritum auget victoriæ, fœlicitas tamen oliuâ potiùs, quàm palmâ coronatur, & filia quidem laboris eſt, non tamen ſocia. Fœlix igitur erit ille, qui non modò non eligit, ſed ne vehementi quidem appetitu innititur in id, quod aut aſſequi nequit, aut admittere non debet; & qui eum induerit morem atque habitum, quem Plato *a* eam ob rem ab ipſo Ariſtotele *b* laudatus Rerumpublicarum moderatoribus commendauit, nimirum vt lætari triſtariq; conſueuerit, quemadmodum decet. Voluptas vituperabilis flagello ſtatim plectitur pœnitentiæ: Ex altera verò parte, laudabilis ſi fuerit dolor, neſcio quid immixtum habet dulcedinis, quo conditur. Adeo vt ingenioſiſſimus nonnemo putauerit eam, quam in Tragœdijs experimur voluptatem, quod ex ijs ad mœrorem & lachrymas prouocemur, è quadam animaduerſione iucundiſſima prouenire, qua in eo ipſo dolore probitatem noſtram contemplamur; ſiquidem honeſtiſſimâ miſeratione afficimur erga aliorum, nihil ita promerentium infortunia. 5.

a 2. de leg. & 4. de Republ. *b 2. Ethi. c. 2.* *Caſtelue. in Poët.*

Intercepit hîc Saracenus: Tu euincis quidem virtutem aliqua ratione bonum eſſe, vitium verò malum; non tamen euincis alteram ſe ipsâ, atque vt finem bonum eſſe, alterumq; malum. Imò apud Platonem Glaucus oppoſitum de iuſtitia, hoc eſt, de præcipua virtute, perſuadere contendit (quod in quauis alia virtute pariter locum habet) ijſdem nixus argumentis, quæ à te nuper allata ſunt; nimirum, ait ille, iuſtitiam quicunque commendat, de præmijs tantùm loquitur, quibus illa ab hominibus Numinibusve donatur, atque ita nullam in ea bonitatem inuenit, ſi ab omni effectu ſeparetur; nullam, inquam, quæ finis rationem habeat, bonitatem.

2. de Rep.

L. 3. c. 44 At Andreas. Superiore die Illuſtriſſimus Cardinalis viam nobis aperuit iſthæc à te oppoſita diluendi, cùm docuit, ius illud, quo bonum tenetur, & ipſum eſſe bonum vt finem, quo nimirum poſſeſſo bono, pretium 6.

tium & bonitas aliorum bonorum augetur. Virtus igitur non modò medium eſt vtile obtinendo terreſtri cœleſtique præmio, atque adeo obtinendis laudibus, amorique mentium procreatarum, ac Dei, ac demum ijs omnibus, quæ nuper enumerauimus, bonis; verùm baſis eſt, quæ illa eadem attollit bona, ornamentum, quæ illuſtrat, arcana demum atque interior eiuſmodi vis, quæ illa eadem planè format, auget, animatque. Siquidem longè iucundiùs quiſque præmio delectatur, cùm eo ſe dignum, quàm cùm indignum putat. Ita pariter vitium ærumnarum vulneribus alexipharmacum adimit ſuauiſſimum, innocentiæ conſcientiam; imò verò conſcientiæ morſibus eadem exulcerat vulnera. Atque ita commonſtraſſe me puto ceu finem, & gratiâ ſui, alteram eſſe bonum, alterum verò malum.

CAPVT XXXIX

Inducitur q̃ſtio, quiſnam ille ſit ſtatus, q maximè in terris fœlicitatem parit.

POſtquam de bonis malisque omnibus egimus, illud vnum ſupereſt, vt examinem breuiter, quonam in ſtatu, fortuna, conditionéque maior fœlicitas inueniatur. Loquor hîc ego pro conſueta ſtatus cuiuſcunque naturâ, ferre ſiquidem caſus aliquis poteſt, vt à mulieribus, velut à Semiramide, Artemiſia, Zenobia, &, quemadmodum nonnulli Patres arbitrantur, à Debora, ducantur exercitus; vt Dynaſtæ verò, Regesque, veluti Sardanapalus, colum fuſumque tractent; vt mancipia, cæcique cantitantes, quemadmodum Æſopus & Homerus, ſapientiâ ſint præditi; ij verò, qui philoſophiæ in ſinu innutriti ſunt, nunquam eò pertingere poſſint, vt mentem aſperrimis ignorantiæ corticibus exuant, quod Herodis Attici ea ætate pro oraculo habiti filio euenit, qui, vt alphabeticarum litterarum nomina doceretur, quatuor ſupra viginti ephæbos illi deſtinare neceſſe fuit, eorúmque ſingulos, ſingulis earum litterarum nominibus compellare.

Philoſtr. in vita Herod.

CAPVT XL.

Quodnã præcipuũ Nataliũ genus fœliciſſimũ ſit.

1. AB ſtirpe vt exordiar, nobili genere natum eſſe, partem arbitror fœlicitatis, non tamen eiuſmodi nobilitatis, quæ præſentem fortunam longè præcellat: ſcilicet infœlicitatem ea parit nobilitas, quæ indigentem efficit quempiam, qui, ſi minori nobilitate clareret, opulentus foret. Neque etiam optabilis eſt ea nobilitas, qua fit, vt aliquis in poſſeſſam à Viro Principe potentique ditionem, aut adſpiret, aut adſpirare videatur: Eius quippe ditionis vacuitas, quæ cæteris nequaquam moleſta eſt, illum vnum perpetua ſollicitudine compungit, ac mordet. Cæſareo Septemuiratu, geminíque Palatinatus dominio non potiri, quem noſtrum torquet, & cruciat? Vni tantùm Ioanni

Frederico ea vacuitas calamitas eſt, quippe ipſi vni videtur iniuria. Cæterùm quot fœliciſſimi Proceres conditionem cum ipſo mutarent eo tantùm nomine, quod Regis potentiſſimi ſororius eſt, & vir in Europa vniuerſa tam ſpectabilis, niſi inani quodam iure omni ferè ſpeculâ deſtituto cruciaretur. Præterea, tunc etiam cùm Ioannes Fredericus appetitiones animi cum fortuna componeret, ius tamen illud, quod in ſinu fouere creditur, obijcit eum præpotentis Auſtriacæ familiæ ſimultatibus. Quonam alio crimine, niſi hoc miſeræ nobilitatis infortunio Maximiliani Sfortiæ filij damnati ſunt, vt Cœnobitæ inuictiſſimi Monaſterium pro carcere potiùs, quàm pro domicilio ſortirentur.

Quin etiam ea nobilitas, quæ proximum Regnatori ſucceſſorem facit, ancipiti futuroq; ſceptro, certiſſimam præſentémq; coniungit plerumque miſeriam. Nemo ſibi perſuadet ab ijs amari ſe, quibus malorum ſuorum maximum, mortem dico, bonorum maximum eſſet, hoc eſt, Imperium. Tum verò proprium eſt mortalibus, vt quiſque illos oderit, quibus eſſe ſe odio arbitratur. Quid ergo? qua ratione fœlix duci poteſt vita inter illius odia, penes quem ſumma poteſtas eſt, hoc eſt, bonorum malorumve alienorum arbitrium? Verùm, fac eiuſmodi Conſanguineus Regi odio non eſſet, erit ſaltem ſuſpicioni, ac proinde à negotijs amotus, accuſationum ſcopus, & imbecille quodcunque indicium coniectura tam efficienti confirmatum, certiſſimè in eum hominem fiet indubitatæ perfidiæ probatio. Hac de cauſa contingit, vt in ſæuiſſimo Turcarum Imperio, primi, quibus cladem nouus Imperator intentet, hoſtes, ſint ipſi Fratres Imperatoris. Et quamuis inter Chri- 2.
ſtianos, Religionis ſanctitas barbariem vetat eiuſmodi, horum tamen nobilium vita, inter cæca neſcio quæ vincula ſemper eſt, pungitur, accuſatur, carceri demum ſimilis eſt laxo vtique, ſed periculi pleno. Quare non vnus fuit, qui ſuſpicionum immeritò ſæuientium intolerantiâ compulſus, eas vtique antea falſas apertis defectionibus faceret veras: præteritæque vnius Viri defectiones, ſuſpicionum deinde in cæteros eius conditionis, omnes confirmarunt aluerúntque. Hæc ſuſpicio, ea demum Erynnis fuit, quæ Hæreſim dominantem inuexit in Galliam, dum Regij ſanguinis Principes ſentientes ea ipſa Regali conſanguinitate, qua eminere debuiſſent, affligi ſe infra Procerum turbam, non aliter ſuſtolli ſe poſſe putarunt, niſi Caluinianæ factionis patrocinium aſſumerent.

Cæterùm claritas generis optabile Cœli donum eſt, venerationem conciliat, maiores ad dignitatum gradus viam parat, ſtimulos addit ad virtutem 4.
incitantes, ſolétq; cum ingenij præſtantia, inſtitutionísq; honeſtate coniungi. Folliculus tantùm aliquando ſuperbiæ eſt, ſed ignauis ignarísq; animis, qui nimirum non intelligunt eò virtutem nobilitate præſtantiorem eſſe, quò clarior lux eſt, vbi naſcitur, quàm quò reflectitur.

At-

Atque in hac re meminiſſe placet, quod Ariſtoteles docet, cùm propugnat, inter bona numerari Rhetoricam, licet ea plurimi abutantur: nimirum id bonis omnibus, præterquam virtuti eſſe commune: qua vnâ fieri nequit, vt aliquis abutatur. Idq́ue ibi exemplis confirmat roboris, bonæ valetudinis, diuitiarum, potentiæ, quæ illa omnino ſunt, quibus nos boni nomen in hac diſceptatione vindicamus. *1 Rhet. c. 1*

CAPVT XLI.

Fœminei ſexus infœlicitas, eiuſdéq; præſtãtia.

1. DIcam de ſexu poſt genus. Et indubitatum quidem eſt muliebri fœliciõrem eſſe virilem. Spartanæ ſiquidem fœminæ, Amazonúmque Regnum à Iuſtino relatum, non alibi ſunt, quàm in paginis. Neque Platonis in Republica viuimus, qui dum queritur politicum corpus dimidiatum ab hominibus fuiſſe, vnà cum Viris mulieres in partem Magiſtratuum adoptat. Mulier quæcunque naſcitur, Mancipium naſcitur, vt Tragicus ille *a* ſcripſit: addidítque nonnemo inſtar compedum eſſe crepidas, mancipatus inſignia. Seruitus hæc mulieris vtique iuſta eſt, non tyrannica, vtpote quæ iuſſa eſt diuini Legiſlatoris edicto, & naturali congruit titulo, qui titulus ipſarum in imbecillitate fundatur, tum corporis, tum mentis; quicquid de hoc altero exiſtimauerit Plato *b*. Iam verò mancipij conditio illa eſt, quæ maximè omnium fœlicitati repugnat; cùm eam ſibi per ſe quærere mancipium nequeat, vt cæteri queunt homines; imò verò illud vnum agere cogatur, quod alijs placet, quódq; aliorum eſt bonum.

a Med. apud Euripid. in Medea.

b 5 de Rep.

2. Quod ad bona pertinet extraria, minimâ fruitur honoratione mulier. In honore eſſe non poteſt, quicunque ne in notitià quidem eſt, & tamen ſi celeberrimæ Thucididis ſententiæ credimus, *c* quam Torquatus Taſſus expendit, illud quærere mulier debet, ſui vt notio iiſdem ac domus finibus contineatur. Muliebris profectò ſexus, neque à natura factus, neque à conſuetudine inſtitutus eſt ad literas, vel ad arma, quæ artes præ alijs maximè ſunt honorum conciliatrices, is pariter perquam raro in populorum adminiſtrationibus adhibetur. Plurimis quidem fœminæ exterioribus coluntur obſequijs, at obſequia illa ſi attentiùs examinantur, inferioris vtique non ſublimioris æſtimationis indicia eſſe comperiemus. Salutationes illæ virorum ſe ſe fœminis demiſsè inclinantium, aut artes ſunt, quibus ad inhoneſta mulieres pelliciantur, aut fœminis rependuntur tanquam ſolatia miſeræ conditionis, quam à natura iuxtà ac lege infra vires acceperunt: ea planè ratione, qua humanitatis officia in Ægrotos puerosq; adhibita, non venerationem indicant, ſed miſerationem.

c In diſſertatione de fœminea nobilitate.

3. Amor etiam amicitiæ tenuis ac perrarus eſt in mulieres: tum quia illæ innoteſcunt paucis, ignotum verò amari non poteſt; tum quia, neque illæ beneficia in alios conferre valent, neque ijs abundant dotibus, quæ id genus amorem alliciunt, neque ipſis ea venia conceditur, vt arcta familiaritate, quæ amicitiæ fomes eſt, alijs innectantur.

Iam verò nihilo fortunatiores ſunt in intimorum parte bonorum.

Quod

Quod ad ipſum *eſſe* pertinet, quemadmodum minori quàm homines prædıtæ ſunt calore, conſeneſcunt citiùs, citiùs moriuntur, niſi quantum maior in victu temperantia, maiórq; à periculis receſſus efficit, vt oppoſitum nonnunquam eueniat.

Quod verò ad ſcientiam facit. Phœnix inter mulieres illa eſt, quæ Athenarum noctua eſſet inter viros. Quoad voluptatem denique, durum illud profectò ſeruitium, quo mulieres ſubijciuntur hominibus, ſeueræque honeſtatis leges, quibus illæ, aut natura, aut conſuetudine continentur, id efficit, vt plerunque ipſarum voluptas, vel vi prohibeatur, vel vſu damnetur. Adde dolores puerperij acerbiſſimos, adde liberorum educandorum moleſtiam, quæ duo incommoda, tam grauia ſunt, vt ſterilitatem ſæpe faciant inuidendam.

Hæc ſunt ſexus muliebris infortunia, at minùs forſitan infortunata, quia ſentiuntur minùs, ſiquidem leue cuilibet eſt, quod ſuæ conditioni ſolemne, 4.
ſuæqúe naturæ conſentaneum. Præterea hæ mulierum conditiones deteriores, aliqua ex parte compenſantur, quòd mitiori præditæ ſunt naturâ, & quæ minùs in iram exardeſcentis animi affectu percellitur, ſimul quòd ipsâ imbecillitate propriâ quaſi robore obarmantur. Huius enim imbecillitatis nomine fit, vt eas iniurijs afficere, indecorum habeatur. Pulcherrimum eius rei exemplum extat apud Virgilium, qui licet Poëta, ac proinde nequaquam ad vera narranda compulſus; eius tamen, quod veriſimile decorúmque eſſet, legibus tenebatur, atque ita hiſtorico meliùs rem conficit, vt aduertit optimè Ariſtoteles; ſiquidem Hiſtoricus, quod ſemel actum eſt, refert; Poëta verò, quod plerumque fit, quodve fieri plerumque par eſſet. Æneas igitur apud Virgilium inter Patriæ conflagrantis horrores, inter iram, triſtitiam, deſperationemq; adduci non potuit, eam vt ferro traijceret fœminam, quæ primùm impudicitiâ, mox proditione tanti fuerat incendij follis; ita ſecum animo reputans,

in Poët.

nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, nec habet victoria laudem.

CAPVT XLII.

De Patria Quæſtio illa pponitur: Præſtetne ſub Repub. an ſub Rege naſci.

A Stirpe ſexuque deueniendum eſſet ad corporis habitudinem: Verùm id nuper à me præſtitum fuit, cùm & de ætate diſſerui. Sermonem igitur de Patria inſtituamus. Tanti eſt optima Patria, quanti optima educatio. Ampliſſimus proinde ad fœlicitatem aditus erit, ibi naſci, vbi virtus in pretio ſit, vbi colatur ingenium, bonæ artes alantur foueanturque, non verò vbi vnius militiæ ſtudium exerceatur. Militia ſanè in medijs, non in finibus bonorum eſt, quo argumento ſapienter Ariſtoteles *a* arguit Lacedæmones, qui ſua in Republica aptiſſimas ad bellandum vincendumque leges deſcripſerant, 1.
non

a *Polit. lib 2. c. 7. & lib. 7. c. 14.*

Digitized by Google

non tamen ſtatuerant, qua ratione, poſtquam viciſſent, inſtituenda vita eſſet in pace. Quod commune vitium eſt plurimis nationibus, præcipuéque ijs, quæ præ cæteris ferociſſimæ ſunt. Militaris vita rudis per ſe, laboris periculiq; plena, violenta, penituſq; fœlicitati contraria eſt, quanquam ob hæc ipſa mala præmijs gloriaq; ſit dignior, cùm illa honeſtis de cauſis publicæ vtilitatis gratiâ tolerantur.

2. Anceps magis eſt, quod ad Patriam ſpectat, optabiliusne ſit ſub libera Reip. ditione, an ſub vnius Imperio Principis naſci. *Naſci,* inquam; etenim quocunque tandem quis naſcatur ſub Imperio, prudentis viri eſt illius Imperij optare ſua in Patria perennitatem. Quemadmodum noſtra corpora conualeſcere non poſſunt à morbis, niſi vi medicamentorum, quæ morbo ipſo acerbiùs ſub initium torquent; non ſecus à praua Principatus formâ expiari non ſolent Vrbes, niſi per defectiones quocunque iniquo Principatu pernicioſiores. Quare perturbatores filijs quidem atque nepotibus fœlicitatem aliquando fabricantur, at ipſi ſibi ferè ſemper pariunt calamitatem.

CAPVT XLIII.

Inter eos q nō ſunt adminiſtrationis ac Magiſtratuum capaces, libera Reipubl. ſubditi fœliciores ſūt.

1. QVod igitur ad conferendas inter ſe pertinet conditiones eorum, qui naſcuntur vel ſub libera Repub. vel ſub Rege, dicam quod ſentio, idque fortaſſe inter mira inauditaq; cenſebitur paradoxa.

E duobus, qui conditione naſcuntur adminiſtrationis publicæ non capaci, felicior is, meâ ſententiâ, eſt, qui ortum habet in Republica: plebem Vrbis dominantis excipio, ſi penes nobiles tantummodo Reipubl. fuerit adminiſtratio.

E duobus verò, qui eiuſmodi ſint conditionis, vt euehi poſſint ad Magiſtratus adminiſtrandos, ille fœlicior eſt, qui naſcitur ſub Principatu.

Adminiſtrationis in Rep. minimè capaces appello, exempli cauſa, Sarzanenſes, qui ita Genuenſi Reip. ſubditi ſunt, vt publicorum Magiſtratuum in partē non veniant: è contrario in Genuenſi Rep. adminiſtrationis appello capaces eas familias, quæ publicas ad dignitates aſpirare poſſunt. Adminiſtrationis verò ſub Rege minimè capaces eos dico, qui ortum habent in Patria, Principis à Regia tam remotâ, vel fidei tam ſuſpectæ, vt beneficiorum negotiorumq; potiorem in partem admitti non ſoleant. Capaces verò adminiſtrationis, earum vrbium Ciues dico, quibus præcipuæ dignitates, fideiq; probatioris munera committi ſolent. Obuia ſunt omnibus exempla, quare operæpretium eſſe non duco, in ijs referendis cunctari.

2. Nunc primam ego effati mei partem confirmo: Atque illud edico, rem à me pro naturæ ſuæ genere, ſecluſiſq; peculiaribus eius conditionibus expendi; quarum conditionum varietas infinita, terminis capitibusque includi non poteſt, valetq; nonnunquam & calamitatem in Regias, & in carcerem inuehere fœlicitatem. Re igitur ſic explicatâ, hoc pacto primæ enunciationis meæ

Digitized by Google

confirmationem inſtituo. Cùm ijs, quos inter ſe conferimus, ſubditis, ademptam iam eſſe ſpem maiores in dignitates aſſurgendi imperandique conſtituamus; maxima, ad quæ aſpirare poterunt, bona erunt ſecuritas, quies, ingenijq; ornamenta, quæ à quiete naſcuntur. Pallas enim, cùm voluntatem lubentiamq; ſuam egit, oleam inuenit, quæ pacis eſt teſſera. Quæramus hîc igitur, vter eorum alteri præſtet ad hæc bona conſequenda.

Securitas porrò in ſubditis liberæ Reipub. maior eſt, potentia ſiquidem in vnum hominem redacta, in eo nonnunquam pro lege libitum facit, & quippe qui nihil non poteſt, nihil non audet: prodigentiæ ſuæ ærarium in re collocat aliena: Subditorum dehoneſtamento ſuas explet libidines; eumq; ſuſpicioni ſuperbiæque ſanguinem litat, quem ipſe iuſſus à Cœlo eſt non profundere, ſed propugnare. Prauos hoſce Regum mores tum prædixit Deus, cùm Iſraëlitis edixit, quodnam futurum eſſet *ius regni*.

Contrà verò, Lex in Rebuspublicis dominatur. Ille ipſe Senator, qui in- 3.
iuſtitiam mallet, ei tamen ſuffragio fauere non audet, quippe conſcius, & irritum ac ſolitarium eiuſmodi ſuffragium fore, & ab hoc ipſum ſuffragium pœnæ timens. In Repub. enim omnes imperant, ſinguli parent. Nulla vnquam in Rep. vtcunque prauis moribus corrupta fuerit, dummodo libertate fruatur, eos erit inuenire veſanos Rectorum impetus, quibus terrarum Orbem vniuerſum Romani Cæſares, ne Turcas alioſq; huc afferam, funeſtarunt. Ipſoſq; inter Chriſtianos ſatis ad exemplum ſit Bernabas Vicecomes id ſceleribus promeritus, vt Romanus Pontifex Vrbanus V. ipſum, adeoq; illius liberos, à contrahendo rato legitimoq; coniugio prohiberet, ne vel in hoc Orbe terrarum, vel ſaltem in Principatu, tam viperei ſanguinis progenies ſuperaret.

Ales de Nexo ſup. cap. tuas de ſponſ.

Venio ad quietem. Quiete, quæ pacis filia eſt, perennitatem ſuam Reſ- 4.
publicæ quærunt. Reges è contrario per belli tumultus ad Regnorum incrementa contendunt. Regi quidem vtile bellum eſt, vtpote quod violentiores ſubditorum animos in Extrarios hoſtes exercens, ab inteſtinis tumultibus excitandis auertit. Cumq; ipſe ſuorum ſit militum Imperator, tutior nunquam eſt, quàm inter armatos. Belli lucra Regi cedunt, Regi gloria: ſumptus ac moleſtiæ, bellorum comites, populis nocent. Contrà verò in Rebuspublicis bellum non periculi minùs proprijs ab armis, quàm ab hoſtilibus creat. Ibi quidem, aut arctiſſimis legibus Imperatorum auctoritas coërcetur, idq; bello perniciosum, aut ampliſſima vniuerſaq; tribuitur, idq; libertati periculoſum. Et ſi quidem in Rebuspubl. ij omnes, qui imperant, ſubditi etiam ſunt, belli ſumptus, ac moleſtia grauiſſimè quemlibet, acerbiſſiméq; percellit, victoriæ verò vtilitas & gloria, quippe quæ tot in capita diſtribuuntur, perexiguæ leuiſſimæq; ſingulis obtingunt.

Eam ob rem inuectus ille mos eſt, vt aduertit nonnemo, ne in Rebuspub. 5.
negotiatio ſit Patritijs indecora, vt in Principatu, ſiquidem ex ea mites animi fiunt,

Digitized by Google

fiunt, atque à turbis abhorrentes, quibus nimirum turbis commercia reſcinduntur, deliciæ ac luxus euertuntur, lucra ſterileſcunt. Qua in re perſpicuum fit artium decus atque æſtimationem vniuerſam à ciuili ratione, non à natura pendere, ac proinde aliquid eſſe agenti honorificum, ac Reipub. vtile reciprocatur. Ita Hiſpaniarum ſterilitas effecit, ne nobilitas ligonibus glebiſq; inficiatur, ac dum ignobilitati tribuitur attalicas veſtes intexere, gemmarumq; globos componere, vtique terram colere, boueſq; ſtimulis agere, ſinceræ nobilitatis habeatur.

6. Non tamen id ego ſentio, haſce regulas à me conſtitutas omnino ratas eſſe atque immutabiles, neque aſſeuero, in pacem quamcunque Remp. propendere. Romana Reſp. omnium quot vnquam fuerunt, maxima inter arma concepta, nata eſt, & adoleuit inter arma; verùm ſuis etiam diſcerpta ab armis interijt. Eaſq; ob militares occupationes, nequaquam diſciplinæ arteſq; liberaliores, quæ filiæ ſunt pacis, & quæ idcirco præcipua ſolent eſſe eorum bona, qui in Repub. viuunt, nequàquam illæ, inquam, Romæ cum libertate fruebantur, vt in Græciæ Rebuſpub. floruerunt. Vna ibi glorioſiſſimè innutrita eſt eloquentia. Ea quippe ars eſt maximè popularis, vtpote maximè neceſſaria ad amorem ſibi, venerationémq; Populi conciliandam. Contrà verò negligitur apud Principes, quippe qui verba in omnem arctari breuitatem iubent, vt quantum fieri poſſit, tempus ac tædium redimatur. Id aduertit optimè Auctor Dialogi, De cauſis corruptæ eloquentiæ. Ac proinde artem hanc nouimus reuixiſſe iterum apud Italos in liberatum Vrbium regione, cuiuſmodi fuit Hetruria.

1. EA cùm Querengus audiret, animaduerſionem, inquit, hîc afferre iuuat, quæ mihi aliquando venit in mentem, & quam deinde apud alios inueni. Virgilius Æn. 6. præſtantiam Populi Romani vaticinans, dat ille quidem futurum, vt ipſe alijs à nationibus artium tractatione, vt ſculpturæ ſimiliúmq; ſuperaretur, ipſiſque contemplatricibus diſciplinis, veluti ſiderali ſcientiâ. Quod ſanè veriſſimum fuit; ſiquidem tanta perſtitit eiuſmodi artium inter Romanos imperitia ad id vſque temporis, quo expugnata Corinthus eſt, hoc eſt, per annos ab Vrbe condita ſexcentos, vt expugnator Mummius cum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac ſtatuas in Italiam portandas locaret, iuſſerit prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, nouas eos reddituros. Quin ipſe Tullius Siculas Verris rapinas exaggerans, cùm de huiuſmodi delectiſſimis ſignis à Verre ſubreptis, ſermonem inducit, ea quidem apud ſe magno eſſe in pretio non audet oſtendere, ne apud Quirites opinione caderet, priſcam etiam tum ſeueritatem retinentes, videretúrque admirator, ac proinde amator peregrini luxus: ex altera verò parte vt in rei ſubreptæ pretio latrocinij magnitudinem amplificaret, eiuſmodi ornamenta ſibi quidem inania videri, ait, at pretioſiora quamplurimis.

CAPVT XLIV. *Quidam Virgilij locus diſcutitur.*

Vell. lib. 1 hiſt.

Atque ipſe idem in prima Tuſculana oſtendit, in Fabio, Patritio Viro, 2.
humilitati mentis tributum fuiſſe pingendi ſtudium. Neque ſolùm hæ mechanicæ facultates, verùm & quæ maximè ſunt ingenuæ, contemptæ ibi fuerunt. Et cùm Græcos inter gloriæ ſibi duxerit muſices peritiam Epaminondas: reiectaq; inter epulas lyra à Themiſtocle exiſtimationem ipſius eleuauerit; contrà inter Romanos vel ipſa Poëſis, cui muſice ſeruit, vſque adeo iacuit, vt in quadam oratione M. Nobilioni obiecerit Cato, quòd Conſularem dignitatem gerens, Ennium Vatem in Ætoliam adduxerit comitem.

Et quod ad Philoſophiam pertinet, ad eam vſque ætatem, qua ſcripſit Virgilius, vix vnus Lucretius de Phyſicis aliquid exarauerat, ornatiùs, quàm ſapientiùs; vnusq; Tullius ſuos in Dialogos Græcorum Ethicam transferre cum laude tentauerat. Imò Aſtronomiam, de qua loco laudato, Virgilius loquitur, ac Mathematices genus omne adeo Roma contempſit, vt ipſe Tullius de illa ſic ſcriberet: *Metiendi numerandiq; vtilitate huius artis terminauimus modum.* (1. Tuſcul.)

At verò iniurius mihi fuiſſe videtur Anchiſes apud Virgilium Romanis 3.
ſuis, disertè pronuncians de alijs populis: *Orabunt cauſas melius.* Etenim, vt prædixiſti, mirum in modum vel à primis Romæ naſcentis exordijs eloquentia in ea Vrbe floruerat. Id ipſe teſtatur Tullius, tum in Dialogo *de Claris Oratoribus*, vbi eos plurimos longa enumeratione percenſet, ſummiſque præconijs ornat, cùm in Tuſculana, quam dixi, ita omnino conficiens, *vt non multùm, vel nihil omnino Græcis cederetur*. Quod ſi è Tullij ſententia, hoc eſt, iudicis de eloquentia longè melioris, quàm Virgilius fuerit, Latini Oratores ab eo laudati palmam Græcis ancipitem faciebant, quid putamus cùm ipſe ſe Tullius ijs obijciat, qui *Fori Rex*, ac *Lex dicendi* cognomento fuit pulcherrimo ſalutatus? Hic linguâ tam diuinè vſus fuerat, vt Græcus ille Rhetor, quod omnes norunt, vbi eum Rhodi declamantem audiuit, lachrymas dederit, teſtatus, ad eam vſque diem exiſtimaſſe ſe, potentiæ duntaxat, tum verò etiam eloquentiæ Regnum ad Romanos è Græcia tranſlatum. Quare Quintilianus Oratorum ille inſtitutor, atque adeo exiſtimator maximus, nec ita Romanorum amans, quin ipſi Virgilio Homerum præhabeat, non eadem ratione Demoſthenem præhabet Ciceroni.

Ciceronem laudatum nunquam à Virgilio fuiſſe (quod tamen pluribus 4.
in locis ad cumulandas Romæ laudes accidebat appoſitè) excuſationem fortaſſe habet non improbabilem. Ciceronis quippe laudes in Auguſti vituperationem ceſſiſſent, qui Ciceronis in necem conſenſerat, & cui Virgilius Poëma inſcribebat ſuum. At verò non ſatis cauſæ reperio, cur Virgilius nulla vi, nulla veritate compulſus, alijs nationibus Romanos eloquentiâ, hoc eſt, facultate præclariſſima poſthabuerit.

Hæc Querengus: Cui in hunc modum Andreas. Enimuero ſi de præſtantia elo-

Digitized by Google

eloquentiæ meis pro Græcis aduerſus Romanos ſententiam dicerem, melior ſanè Ciuis, quàm Iudex haberer, ingenuè magis facere videar, ſi nec Latinis detraham, & ſimul Vatem Latinum ab accuſatione vindicem. Inopinabile non eſt, eo ſenſu loquutum fuiſſe Virgilium, quem appellant Grammatici *conceſſiuum*, quaſi diceret: Eſto alijs nationibus in cæteris diſciplinis tui Quirites poſthabeantur, at regnandi ars propria præcipuaq; Romanorum erit.

CAPVT XLV.

Poſitorũ effatorũ exceptiones.

1. EXcuſationem pro Virgilio ſuo Querengus libentiſſimè comprobauit: Quare Andreas illuc reuerſus, de quo præcipuè diſputabatur, Illud, inquit, aduertendum eſt, nonnulla ex ijs, quæ percenſui bona, & quæ Rerumpub. in ſubditis frequentiora eſſe conſueuerunt, à ſubditis etiam ſummi cuiuſpiam Regis obtineri conſueuiſſe. Inprimis verò quies, ac tranquilliorum magisque liberalium artium ſtudium ijs obtingere ſolet, qui in vmbilico ipſo, non in extremo margine finibusq; Regni naſcuntur, quiq; proinde ſunt, & ab incurſionum hoſtilium periculis, & ab hoſtium inuadendorum neceſſitate remotiores.

Ex altera verò parte illa præſtantium adminiſtrationum ac Magiſtratuum ſumma vacuitas, quæ nonnullis in ordinibus hominum Reip. ſubditorum inuenitur, tanta nunquam eſt vllo in populo, qui ſub Principatu viuat. In Rebusp.
2. hæc ab huiuſmodi adminiſtrationibus prohibitis per legem fit exceptio, quæ ſurdum quid eſt & inexorabile, vt apud Liuium ij Quirites aiebant, qui Regum exploſionem lamentabantur: at in Principatibus hæc eadem prohibitio conſuetudine fit, quę hominum pro arbitrio mutatur. Philippo II. Rege Luſitanum hominem Chriſtophorum de Moura primas imperij partes in Caſtella gerentem vidit Hiſpania. Nos verò paucos ante annos ipſum Concinum peregrinum hominem Galliæ propemodum vidimus moderatorem. Maior-ne cuipiam contingat in Principatu potentia, quàm nunc Vrſulæ Meyre, hoc eſt, Germanę fœminæ apud Sigiſmundum Regem Poloniæ prudentiſſimum, adeoq; apud Regales liberos, familiamq; vniuerſam. Contrà verò Genuæ Dux vtique nullus Sauonenſis renunciabitur. Atque ita euenit, vt in hoc terrarum Orbe commoda incommodis compenſentur: Quippe natura, quæ homines vniuerſos eiuſdem generis procreauit, magnam quidem conditionum protulit varietatem, quippe neceſſariam, atque Vniuerſitati iucundam, non verò magnam bonorum inæqualitatem permiſit, quippe iniquam atque grauiſſimam.

Ex prima poſitionis meæ parte Vrbis liberæ, in qua Patritij dominentur, plebem excepi; etenim Patritij tacitâ quadam mutuaq; veniâ, multum ſibi licentiæ permittunt in proculcanda plebe; at verò in Principatu ſiquidem vnus regnat, iniuriarum quoque licentia vni, non ampliùs contingit.

CAPVT XLVI.

Inter capaces adminiſtrationis, melior eſt cõditio ſub Principe naſci.

1. VEnio nunc ad alteram effati mei partem, nimirum inter eos ſubditorum ordines, qui ad eminentiores dignitatum gradus apti naſcuntur, meliorem eſſe eorum conditionem, qui Principi, quàm qui Reipub. parent.

Nomen illud libertatis, cuius beneficio Reipubl. Ciues inter Reges, Deóſque ſe numerant, nomen eſt prope dixerim inane, réque nullâ ſuffultum. Ipſorum quilibet certo Ciuium corpori, veluti ſuo ſubditus quiſque Principi ſubeſt. Et grauior fortaſſe ſeruitus eſt multis, quàm vni parere. Reipub. Ciuis ex hac parte tutior quidem à Tyrannico dominantis impetu viuit, vt ſignificaui, at ſuſpicionibus quoque frequentiùs inceſſitur, atque aſſurgendi facultate deſperatiùs caret. Princeps eò ſuſpicionis minùs, quò potentiæ plus habet. Eius vis infinitè priuati cuiuſlibet hominis vires excedit. Reſpublica è contrario regiminum omnium eſt imbecillimum. Se ipſam timere cogitur, ac ſua membra, atque hæc inter ea, quæ meliora ſunt, quæ robuſtiora, quæ magis vitalia, hæc eadem vniuerſo Corpori plus periculi ac mortis intentant. Reputate vobiſcum animo, qualisnam conditio videretur brachium eſſe cuiuſpiam animantis, quæ proprijs à brachijs interitum formidaret, ac proinde ijs ſemper languentibus catenatíſq; vti cogeretur. Inde fit, vt in Rebuspublicis præclariſſima quæque digniſſimáque fortium Ciuium facinora deiectionem vereri potiùs, quàm præmia ſperare poſſint. Eò ſuſpicionis intolerantia peruenit, vt amabilitas ipſa in odij irritamentum degeneret. Hannon ille, qui leones ad manſuetudinem informauit, exilio damnatus eſt à Cathaginienſibus, ſiquidem ſuſpicantibus, eum blandiùs ad ſe homines quoque allecturum, quàm libertatis ſecuritas pateretur.

Plin. hiſt. lib. 8. c. 15.

2. Perge: Licet Ciuis optimè meritus in ſuſpicionem Reipubl. non incurrat, præmium certè perexiguum ſperare poterit. Ij ſiquidem, apud quos præmiorum diſtributio eſt, magnis virtutibus plerumque inuidi atque illiberales, ne præmij magnitudine ſe ipſos eo, qui præmijs afficitur, minores efficiant, cúmque ſupra ſuam ipſorum communem conditionem attollant. Quinimo ſi contingat, vt vel proprijs fortunis, vel exteri gratiâ Principis cum Republ. amore ac fide coniuncti, quiſpiam Ciuium communem ſupra menſuram inſigniter extollatur, tunc enimuero in eorum numero collocatur, qui adminiſtrationis in partem vocari non poſſunt, quaſi vox quæpiam elatior, quæ canentium debeat à Choro ſecludi, quippe quæ cum alijs vocibus non cohæret.

3. At verò Princeps munera poteſt ampliſſima cuiuis priuato elargiri, procul à metu, ne vel ipſum potentiâ opprimat, vel pompâ ac diuitijs inobſcuret. Ideo Reges, oppidorum ac Dynaſtiarum largitionibus, ſubditos remunerantur, (quæ nomina Rebuspubl. horrori ſunt) ſuæque amplitudini tribuunt magnos potentéſq; in ſubditos dominari. Neque vlli vnquam liberæ Vrbis Ciui, dummodo libertas perfecta ſeruetur, ad eum, auctoritatis, potentiæ, diuitiarúmque gradum aſpirare licebit, quem nuper in Loinio inter Gallos, intérque Hiſpanos in Lermano Duce ſuſpeximus.

Aio

Digitized by Google

CAPVT XLVII.

Prædicta regulæ nõ ea ſunt, q̃ falli non poſſint. Optima eorũ cõditio q Rom. Põtifici ſubiecti naſcuntur.

1. AIo nunc tamen iterum, ſiquidem humanæ fœlicitates innumeris pendent ab euentis maximè varijs, in aliqua nonnunquam Repub. ex Rectorum legúmque probitate, ſubditos omnes, æquiorem fœliciorémque ſortiri poſſe vitam, quam ſub quolibet eius ætatis Rege. Ita contigit in Romana Republ. donec incorrupta fuit: Nonnunquam etiam Princeps egregijs virtutibus illud efficiet, vt illi ſubeſſe, ſecuritatis teſſera, non onus, iugúmque ſeruitij cenſeatur, quod in Tito contigit, in Traiano, Gratiano ac Theodoſio ſeniore.

Sed huius vtriuſque regiminis conditiones, fortunatiſſimæ in Romani Pontificis Principatum ac Ditionem conceſſiſſe pariter mihi videntur.

2. Ab impetu oppreſſionibusque quilibet hîc ſecurior viuit, quàm ſub alio quocunque Principe, tum eas ob conditiones, quæ requiri ſolent ab Electoribus in eiuſmodi Purpurato, cui Cœli tradendæ ſunt claues, tum ob animi moderationem pietatémque, quam de more ac iure terrarum vniuerſus Orbis expetit & expectat ab eiuſmodi ſacris Principibus, quibus ignominioſum eſt, quod in alijs leue ac tolerandum: denique ob conſuetam regiminis breuitatem, quæ in ſenectute incipit, nec ad poſteros tranſmittitur, ſed vitâ finitur: quare Miniſtrorum nemo iniquis regnantis appetitionibus opitulari audeat, quin mulctam à ſucceſſore imminentem reformidet.

3. Quies etiam in hoc Principatu, quàm alibi, diuturnior, quantum humanorum euentuum turbulenta conditio patitur. Ad eam quippe ſeruandam conſpirant, & Principum finitimorúmq; reuerentia populorum, qui Religione ducuntur ad Pontificem tanquam Parentem colendum, non ad laceſſendum, vt Æmulum: Ipſa etiam Pontificis lenitas & manſuetudo, qui duplici nomine amare pacem ſolet, nimirum honeſtatis reſpectu, vtpote Vicarius Chriſti, qui *Rex pacificus* ſalutatur, & ſuopte pariter ingenio, quippe qui annorum vetuſtate deferbuit, ſéque togæ, non gladij exercitationibus occupauit.

4. Studium hîc ſapientiæ cum quiete coniungitur, non eandem tantùm ob cauſam, ob quam Ariſtoteles ipſius ſapientiæ inuentum Ægyptijs Chaldæiſq; in Sacerdotibus animaduertit, verùm etiam, quia ſapientia illud eſt armamentarium, quod tela ſuppetit in Hæreticos Ethnicóſque, hoc eſt, in Romani Pontificis iuratos hoſtes ac perduelles. *1 Metaph. c. 1.*

Hæc ita ſe habere fatebitur ſanè, quicunque obtutum incorruptum, nullaque affectione vitiatum per Mundi Regias vniuerſas primùm conuertens, poſtea verò illud memoriâ repetat inter mortalis conditionis vitia, quod minus eſt malum, id perfecti ſibi nomen adſciſcere, tum etiam meminerit, id aſſeri à me, quod frequens & conſuetum, non quod ſempiternum atque immutabile; hoc enim à rebus Lunæ ſubiectis ſemper exulat exulabitque. Verùm id obtrectatoris maligni eſt, vt ſæpe quaſi aſſentatorem traducat veriloquum.

Duæ

Digitized by Google

CAPVT XLVIII.

De opulētia, fœlicitatis q̄dē pars illa eſt, ſi cum prudētia coniungitur. Quibus in euētu dubitādi loc⁹ ſit, an opulentia ſit optabilis.

DVæ iam conditiones examinandæ ſuperſunt, diuitiæ atque potentia. 1.

De prima vt dicam: Si ſalutaribus Prudentiæ præceptis mortales parerent: & non idem propè ipſis eſſet poſſe, ac velle peccare, nullus eſſet dubitandi locus, optabiliſne ſit opulentia. Quidnam aliud opulentia eſt, niſi efficax inſtrumentum tum ad pacatiſſimè obtinendum quidquid in alterius poteſtate fuerit, tum ad quemlibet ſibi ſubdendum, & corpore per labores, & ingenio per inuenta? Ridendi omnino ſunt ij, qui aurum aſpernantur quaſi telluris flauæ maſſam inutilem, nulliſque mortalium neceſſitati ſuapte natura opportunam. Quid ad rem attinet, ſuapte natura quid aurum ſit, dum re ipſa id vſus effecit, vt aurum copioſiore vigeat fructuum omnium vbertate, quam fœlicium Inſularum tellus in poëticis fabulis. Siquidem eiuſdem vſus magica vi aurum commutatur in manna, quod animi palato ſaporem omnem inſtillat. Senſit quidem optimè id Ariſtoteles, qui aurum virtute omnia nuncupauit: quod ſi illud nullius eſt pretij, quid eſt cur tam egregium ac laudabile cenſeatur aurum ipſum Dei cauſa elargiri? cur iniuria eſt, & crimen illud alijs ſubripere? cur inter heroica Religionis facinora ducitur eò ſe abdicare, vitamque voluntaria paupertate traducere? Priſci Quirites Viri, cæteroquin virtutibus ornatiſſimi, & cùm paucis parſimoniæ amantes, vſque adeo potentiam hanc, & vim diuitiarum ad bona omnia obtinenda nouerunt, vt per Antonomaſiam *bonorum* nomine, diuitias ſignificauerint.

Verùm quamuis ita ſit, vitio fit humano, vt falſa ea ſit Ariſtotelis enunciatio, quæ ſuapte natura veriſſima eſt: *Omnis poteſtas eſt in genere eligendorum*. Suo bono ducit hydrops, bibendi facultatem ſibi adimere, præmiumq; cuſtodi pollicetur, qui ipſum vel inuitiſſimum à bibendo prohibeat. Qui ſe calculi cauſa cultro ſubijciunt, vinculis antea innecti ſe iubent, ne mouere ſe loco poſſint. Perturbationum impetus animi ſunt morbi, & vt ex ijs conualeſcamus., neve ijs intereamus, conducibile videtur, non poſſe iucunda illa ſibi venena comparare, quæ diuitijs obtinentur. His igitur conditionibus, hoc eſt, humani animi imbecillitate poſita, anceps eſt, quanam in affluentia diuitiarum expediat naſci.

CAPVT XLIX.

Quā falſa ſint ea laudes, q̄bus Poëtæ ruſticam vitam exornant.

AD cœlum vſque nudam ruſticæ vitæ paupertatem nonnulli laudibus efferunt; paupertatem hanc, quæ (vt illi aiunt) theſauris vtitur fruiturque longè pretioſiſſimis, hoc eſt, veritate, innocentiâ, ſecuritate, quæ demum aurei ſæculi viua eſt ac ſpirans imago. 1.

Poëtis, qui noua iucundaq; legentibus debent, venia vtique datur, vt raſtra glebaſq; auro eloquentiæ audeant illuminare. At ſi quiſpiam huiuſmodi nugis fidem præſtaret, is porrò vel delirus vel hebes. Quempiamne non animaduertere duplici vſum fuiſſe captioſa argumentatione Virgilium, cæteroſque ſortis ruſticæ laudatores? Altera eſt, quòd in hoc Ruſticorum ſtatu bona

Digitized by Google

bona tantummodo, omiſſis malis, ac debito in deſiderationibus modo, in vita verò ciuili mala duntaxat præteritis eiuſdem bonis deſcribunt. Altera eſt, quòd ſibi fingunt in agreſti vita, commentitiam neſcio quam fęlicium attributorum conſpirationem, quæ vix aliquando ſeorſim in ea vita eſt inuenire: In Vrbibus verò conſuetas, & ſupra morem congeſtas calamitates, eaſque deinde inter ſe componunt.

Quam veritatem iactant? Quodnam hominum genus mendacius ac fraudulentius, quàm ruſticum? Enimuero legumlatores, hoc eſt, viri prudentiâ egregij, contra ſentiunt, dum tribuunt in iudicijs fidem honeſtis viris, quàm ruſticis, longè maiorem. At vulgò hebetudo, fidei ac probitatis nuncupatione donatur. Veridicus is eſt, qui mentiri non vult, non qui mentiri cùm velit, iners ad mendacium ritè pingendum.

2. Quam ſecuritatem loquuntur? In quonam hominum genere homicidia frequentiora, quàm in ruſticis? At opes illæ ſunt, quæ Graſſatores alliciunt: & opes ipſæ ſunt etiam, quæ à Graſſatoribus tuentur, neque tantùm à Graſſatoribus, ſed à quocunque vim atque iniuriam inferente: Aurum quippe non minùs quàm ferrum, vt Ouidius cecinit, eſt id quo pugnatur. Gens ruſtica ſupra quod- 1 Metãor. libet aliud hominum genus militum inſultationibus, latronum direptionibus, potentium libidini ſubeſt.

3. Quam dicunt innocentiam? Quam modeſtiam appetitionum? An verò ſunt in præſenti rure Arcadiæ illa probitatis exemplaria, quæ Itali expreſſerunt in ſcenis? Quinimo, vt ait Horatius,

Magnum pauperies opprobrium iubet li.3.od 34
Quoduis & facere & pati.

Vſque adeo ab innocentia ruſticus abeſt, vt damnum alijs inferre, eóſq; iniurijs afficere, *ruſticitas* apud Italos appelletur. Quis appetituum tyrannidem homine ruſtico patitur ſæuiorem? Ille vnus eſt, qui minimum quodque lucrum cibúmq; viliſſimum vehementer anhelat. Is ille eſt, qui virtutis honeſtatíſq; nomina vix inaudiuit, hoc eſt, gemina illa nomina, ſeu potiùs numina, quorum maieſtate effręnatarum appetitionum, quaſi Cerberorum latratus compeſcuntur. Modeſtiores alere videtur cupidines ruſticus, quàm Ciuis, quippe qui res exigui pretij obuiaſq; Ciuibus optat. Verùm, hanc ſi rationem ſequamur, maiorem in Equis temperantiam, quàm in Anachoretis laudare oportebit. Siquidem ij viliorem appetunt cibum ac parabiliorem. Non pertinet ad virtutem, ideo voluptates ingentes non optare, quia ignorantur: Virtutis eſt, optandi modum ſibi præſcribere neceſſitatem; & virtutis eſt, placitis bonis, licet expoſitis, abſtinere. Quod quidem frequentiùs multò, quàm in Ruſtico, in Ciue contingit: Siquidem euehere animum ſupra ſenſus inuitamenta, illiciumq; ſequi nobiliùs, quàm voluptatem, aut lucrum, non eſt eiuſmodi ceruicis, quæ in humum ſemper humilis ac deiecta curuatur.

Digitized by Google

Denique, ne illam decantatam adeo cum aureo ſæculo ſimilitudinem ſilentio prætercam; Si rectè velimus aduertere, nullum vitæ genus à commentitia illa aurei ſæculi fœlicitate magis diſcrepat, quàm ruſticum. Huiuſmodi fingitur eius ſæculi præſtantia: Tellurem bonorum omnium fuiſſe hominibus vectigalem nullo pretio collato, impendióq; ſudorum. Hæc verò haudquaquam ruſtici, ſed diuitis hominis nunc eſt conditio, qui labore nullo, non modò quocunque naturæ fructu, ſed artis etiam delitijs fruitur vniuerſis. Homini diuitijs affluenti etiam nunc ea voluitur ætas, qua in agris nulla vomerum induſtria flaueſcebat meſſis, qua flumina lacte manabant, & ex arborum corticibus dulciſſima mella fluebant. Nimirum ita planè nunc diuiti promptum eſt hæc omnia ſibi bona comparare, ac ſi natura ſponte ſuâ liberè liberaliterq; illa progigneret. Igitur auri poſſeſſio illa demum eſt, cuius beneficio aurea quis ætate nunc fruitur. Contrà verò, ruſticus gemina calamitate afficitur, quæ rectà pugnat cum aurei ſæculi fœlicitate. Tunc bonis fruebantur homines, neque in ijs progignendis laborabant, ruſticus verò in ijs progignendis laborat, progenitis deinde non fruitur. Cæterùm eiuſmodi vitæ genus proximè accedens ad belluas, laborum eſt pleniſſimum, voluptatum egentiſſimum, non ſcientiâ, non virtutibus, non honore, non amicitiæ bonis ornatum: Denique illud eſt, vt eius laudatio æquè potuiſſet Berniæ poëticis facetijs inter Italos prænobili argumentum præbere, ac peſtilentia ipſa, cuius in laudem carmen feſtiuiſſimum edidit. 4.

CAPVT L.

Iis q̃ magnus p̃diti ſunt virtutib. melior eſt opulentia, q̃ diuitiarum mediocritas.

Non ita fortaſſe promptum eſt decernere expediatne in mediocri fortuna, an affluentiſſimas inter diuitias oriri. 1.

Si conſortium virtutis præcelſiſſimæ adſit, conditionem ego alteram anteferrem, hominem in puro meroq; naturæ ſtatu contemplans; Siquidem pro Chriſtiana perfectione vtique maxima mala, maximorumq; vacuitates bonorum, maxima aſſurgunt in bona: Atque ita voluptatibus cruciatus præſtant, chlamydes nuditas antecellit. Quod igitur intra naturæ terminos aſſerui, confirmo. Diuitias re ipſa vim ac potentiam eſſe dixi, vt ab alijs quæcunque cupimus, obtineamus. Iam verò maxima potentia eadem eſt optima in eo, qui ex ijs quæ ipſe poteſt, eligit optimum: Et verò hac definitione, ille ipſe, qui præditus eſt virtute, deſcribitur. Diuitiæ ad omnia ea bona conducunt, quæ noſtris appetitionibus digna eſſe ſtatuimus, conducunt enim illæ, vt conſeruetur vita: quandoquidem cibos nutricationi, pharmaca morbis, laboribus adminicula, periculis propugnatores parant: Item addiſcendis diſciplinis præſidio ſunt; ſiquidem libros, præceptores, otiumque contemplando ſuppeditant; denique voluptates omnes comparant, atque ab omnibus, quantum conditio humana fert, incommodis nos abſoluunt; hamos ad animos per beneficia capiendos fabricantur, radios veneratione aliorum pectora implentes effundunt, & ad vir-

virtutum omnium exercitationem ſunt inſtrumenta; ideoq; ſemen illud ſunt, ſi ritè & cum laude vſurpentur, ex quo bona omnia humanam fœlicitatem conſtituentia progerminant.

2. Qua vnquam ratione vel inter veteres Mecænas, vel Laurentius Mediceus inter Recentiores litterarum ſtudia ſuſcitaſſent, ſapientiam expoliſſent, terrarum Orbem vniuerſum tot ingeniorum præſtantiſſimorum operibus illuſtraſſent, perq; eiuſmodi opera ſibi quoque, æternam nominis gloriam adepti eſſent, niſi in vtroque amplitudini animorum fortunarum affluentia reſpondiſſet? Qua ratione Lucullus, niſi, vt ita dicam, per aureum Oceanum, percelebri ſimul cum bibliotheca Porticum, Academiam, Græciæque Lyceum couehere potuiſſet in Latium, ſemina illa in animum Ciceronis effundens, è quibus inter eloquentiæ Romanæ flores Græcæ philoſophiæ fructus extiterunt? Vnquamne Carolus Magnus, inter mortales ſemimortuam excitaſſet litteraturam tot illuſtrium Gymnaſiorum molitione, tanto ingeniorum beneficio, tantaque Chriſtiani nominis gloria & amplificatione?

3. Et vt de ipſis dicam ſapientibus, quo pacto vnquam Ariſtoteles è tot veterum voluminibus, è tot naturæ operibus lucem veritatis ad diſciplinas omnes ingenuas euocaſſet, ſi fuiſſet Alexandri opibus deſtitutus? Quo pacto Alphonſus, ſi mediocre patrimonium ſortitus eſſet, ſideralibus illis fama præclariſſimis tabulis in terras Cœlum deduxiſſet? An Auicenna, an Ticon, an Picus, aut in medicinæ contemplationibus, aut in rerum Cœleſtium animaduerſionibus, aut in abſtruſiſſimis veterum Academiarum doctrinis tantoperè profeciſſent, niſi aureas alas natiuæ ingeniorum pernicitati aptaſſet fortuna?

Non illud ego arbitror obijciendum eſſe mihi; doctrinam in cœnobijs inueniri cum paupertate coniunctam; etenim ad doctrinam adipiſcendam nemo ditior cœnobitis, quippe qui curis omnibus ad vitæ neceſſitates vacant, & libros ac præceptores inemptos habent.

4. Idem in re militari innumera per exempla facilè oſtenderem. Satis ſuperq; ſit vnum inter cætera ſummè præclarum, ſumméq; expoſitum.

Agite, Marchio Ambroſius Spinola primos ne reddidiſſet Italo nomini militares honores in Belgio aduerſus noſtræ fidei hoſtes, Patriæ ſuæ decora illa terreſtri Marte adeptus, quæ illa eadem Patria aliorum virtute Ciuium maritimis in prælijs acceperat, niſi ipſe ſibi aureum, vt ita dicam, moliri pontem valuiſſet ad Præfecturas illas militares, quibus ipſum deinde Prudentia & fortitudo digniſſimum oſtenderunt?

5. Saracenus hîc: Prô quantum tua diſcedit à ſententia Lucianus! Ille etenim, vt optimè noſti, Timonem Athenienſem inducit, diuitem antea, mox nimia profuſione atque animi facilitate pauperrimum, qui Iouem incuſat, quòd ſuos in litando ſumptus tam iniquè compenſaret. Quare iuſſit Opulen- *in Timon.*

Digitized by Google

tiam Iuppiter theſauros ad Timonem, Mercurio duce, conuehere: Atque inde opportunitatem Auctor ſumit percenſendi, qualinam comitatu ſtiparetur Paupertas, quæ tunc apud Timonem habitabat: eiuſdemque Paupertatis ſocias enumerat, Fortitudinem, Sapientiam, Robur. Opulentiam Timon intuitus, eam initio reſpuit profeſſus experimento ſibi compertum, quas illa pernicies trahat, nimirum aſſentationem, corruptelam, inuidentiam, odium, boni fugam: Paupertatem verò, inquit, per laborem attuliſſe ſibi theſaurum, qui quantus quantus erat, ad ſe totus pertinebat, & qui fortunæ ludibrijs nunquam erat obnoxius. Tandem, Opulentiæ blanditijs captus, illam excipit amplexaturque: mox ſollicito eiuſdem amore cruciatur, ſe ſe in auaritiam, faſtum, intemperantiam, ac vitia demum proijcit vniuerſa.

Mihi propè ſtomachum cies, Andreas ait, qui auctoritatem hic adhibeas Luciani. Ecquod huiuſce dictis momentum ac pondus eſſe poſſit, qui apertiſſimus Philoſophiæ, Principalis Potentiæ ac diuinitatis eſt hoſtis, vt hoc artificio eorum ſibi plauſus conciliet, qui cùm ipſi contemnendi ſint, quidquid in hac rerum Vniuerſitate ſpectandum eſt, vel inuident, vel contemnunt? Auctor enimuero is eſt, qui non veritatem, ſed ingenij libidinem ſequens, nunquam bis de eadem re ſermonem inſtituit, quin ipſe ſecum pugnet: eoque fauore, quo Satyræ excipiuntur, abutens, quorundam hominum vitia, quæ aliquo inueniuntur in ordine mortalium refert, audetque proinde eiuſmodi ordinis conditionem vniuersè mordere. Quaſi verò hac ratione facultates omnes, nationes vniuerſæ, proſapiæ cunctæ, omniaque rerum genera, quæ apud nos ſunt, lacerari non poſſint. Laudandi vituperandique ſtatus cuiuſpiam lex integra & ſyncera illa eſt; eum cum oppoſito ſtatum conferre, ſeduloque perquirere in vtro maior ſit virtutibus ac fœlicitate præſtantium, ſeu vitijs & calamitate ſordentium hominum multitudo. 6.

Mille igitur diuites, ex. gr. totidemque pauperes ſtatuamus, quæramusque vtrius claſſis plures ſint, qui vitiorum cœno ſordeſcant. Quod ad fortitudinem ſpectat, quæramus ab exercituum ducibus, quam præhabeant militiam, eam ne quæ opulentis conflatur militibus, an verò quæ quiſquilijs pauperculorum conficitur homuncionum. Quod pertinet ad probitatem, quæratur à Iudicibus, an paupertas indicio ſit cuiuſlibet inhoneſti facinoris. 7.

Malè ſuada fames, & turpis egeſtas.

Pauperem ad labores propenſiorem non inficior, at lucri cauſa non virtutis. Cæterùm qui laborem, quà labor eſt, inter bona perecenſeat, eos arguat, qui Deos appellarunt *quietos*.

Quod

Quod ſi Timon per Paupertatem deuenerat ad Virtutem, cur ille ſacrilegis in Iouem diris inuehitur, quod ab ipſo in ea conditione ac pauperie detineretur?

Verùm, quæ diximus, & quæ mox afferèmus, Veritatem ipſam, quam in re propoſita veſtigamus, oſtendent. Secludamus Lucianum: nimium ſcilicet peccamus, ſi auctores, qui animi ergo legendi ſunt, vt Lucianum cenſeo, cum ijs, qui veritatem ingenuè quærunt, & confirmant, veluti cum Ariſtotele, cum Tullio, cum Xenophonte, cum Plutarcho, cumque alijs veterum paucis permiſcemus: non aliter ac Princeps aliquis, qui dicaces ac ſcurras non otij, ſed negotij cauſa adhibens inter Conſiliarios accerſeret.

CAPVT LI.

Nullis ſuppoſitis circũſtantijs fortuna maximè omnium optabilis eſt, mediocres inter diuitias naſci. ſed q̃ pro ſtat' cuiuſque gradu ampla ſint & abũdãtes.

1. VErùm, quia id nobis quæſitum eſt, an affluentiſſimas inter diuitias naſci conducat; & ſiquidem, cùm quis in vitam prodit, anceps adhuc in ipſo eſt futura virtutis poſſeſſio, optabile cuilibet abſolutè ducerem inter opes naſci mediocres; ita tamen, vt pro conditionis ſuæ gradu amplum ei contingat patrimonium, non anguſtum.

Nihil habet pars vltima controuerſiæ. Conditio quidem eſt acerbiſſima honoris thyrſo adigi ad id, quod vires exſuperat, ſplendidéque viuere, ſuprà quàm fortunæ ferant. Splendor ac luxus principio commoditatis gratiâ inuentus: mox verò, quia cæteris admirationi fuit, in decus honoremque traductus eſt: honor denique abijt in neceſſitatem: quare in aliquo ex ijs viris, qui ea dignitate aut genere ſunt, quibus ineſſe ſplendor ſolet, ipſa ſplendoris vacuitas non incommodo tantùm, ſed dedecore diſcruciat, qui ſanè cruciatus tantus eſt, vt ad eum à ſe depellendum nonnullos compulerit nobiles alioqui, ſed egenos vt indecoram illam paupertatem per facinora multò grauioris iuſtioriſque infamiæ à ſe ipſis depellere non dubitauerint. Quod ſi quiſpiam acerbum hunc pudendæ paupertatis angorem tempore, hoc eſt, malorum omnium lenimento, ſedauerit, illud certè patietur detrimenti, quod ad honoris ſtimulos obſtupeſcet, vnde fit, quod aiebat Tiberius, *contemptâ famâ, contemni virtutes.* *Tacit. 4. annal.*

2. Non adeo expeditum erit, primam enunciationis meæ partem confirmare: nimirum, optabilius eſſe, in mediocris, quàm in ingentis fortunæ ſinu educari. Sed tamen, ſi rem ſedulò animaduerterimus, nihil ad repugnandum cauſæ. Immodicæ diuitiæ geminum afferre malum conſuerunt, cuſtodiæ curam, prauiq; vſus periculum.

Exordium ducam à primo.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam.

Tot tenduntur auro inſidiæ, vt aurea poma draconum excubijs committere neceſſarium fuerit. Præterea nullum omnino prædium diligentem æquè cultum

tum poſtulat, ac patrimonium opulentum: Vt primùm illi deſit eiuſmodi cultus, defloreſcit illico, ac ſenſim ſine ſenſu deficiens, neglectumque langueſcit. Summa proinde opulentia non tam affert poſſeſſori delicias Domini, quàm curas Oeconomi. Homines vniuersè obliti, diuitias nequaquam in finibus, ſed in medijs bonorum eſſe, hoc eſt, non alio nomine bonas, niſi quia vtiles ad cætera bona comparanda, ſe alijs bonis omnibus abdicant; vt ſeruent ab omni iactura ac decremento diuitias. Huic autem affectioni miſerrimæ altera miſerior plerumque coniungitur: ea eſt: quòd cùm animus opes ceu finem amare iam aſſueuerit, earum augendarum auiditatem concipit inexpletam. E duabus hiſce affectionibus animi inhoneſtiſſimis conflatur auaritics, hoc eſt, vitium illud, quo aliud nullum inter homines aut ſollicitudine magis inquietum, aut voluptatibus deſtitutum, aut virtutibus omnibus magis infeſtum, aut mortalibus inuiſum magis, magis contemptum: vitium porrò adeo infœlix, vt in vulgi ſermone idem ſonet apud Italos *miſerum* eſſe, ac *auarum*. Hoc ergo alterum è malis eſt, quod afferre ingens opulentia conſueuit.

In vita Herod. Attici. Grauius tamen eſt illud alterum, hoc eſt, periculum abutendi: Philoſtratus præcipuam, maximéq; ſuſpiciendam Sapientis præſtantiſſimi laudem, in qua prolixis magnificisq; verbis profuſiſſimus eſt, hanc refert: neminem eo meliùs vſum fuiſſe diuitijs. Quis non videt omnes appellationes, ac nomina *licentiæ, effrenis, diſſoluti:* quæ ſua vi nihil indicant aliud, niſi prauam agendi facultatem, vſu iam prauè agendi conſuetudinem ſignificare; nimirum plerumque ſuauis peccati poteſtas ab ipſa peccati patratione vix diſtat. Sapienter Horatius; qui non aliter in Mecænate diuitias vt Cœli munus agnouit, niſi quia conceſſæ illi fuerunt, cùm optimi earum vſus virtute coniunctæ. 3.

li.1. ep.4. *Dij tibi diuitias dederant, artemq; fruendi.*

Verùm hac in arte perpauci proficiunt. Id exemplis oſtendere nil mihi videtur vtiliùs, ac hiſtoriarum fide conficere homines omnes mori, & vagire in cunis Infantes. Noſtrûm omnium oculi enunciationis meæ frequentiores certioresq; ſunt teſtes, quàm ſcriptorum calami. 4.

Prauus autem diuitiarum vſus, quis eſt, qui non videat, quantum ſit barathrum calamitatum? Minori ſanè pernicie gelida febricitanti, inſanoq; gladius præbetur, quàm opulentia ſceleroſo. Vno verbo, omnibus illa vitijs nubit: Vitia verò ex vnius opulentiæ connubio progeniem criminum immaniſſimam procreare conſueuerunt. Hinc verò exiſtunt corporis macies, hebetudo, ac demiſſio animi, commune odium, infamia, excidium. Referamne vno verbo in hanc rem plurimas exemplorum myriades? Roma quamdiu mediocris fortunæ Ciues habuit, eoſdem virtutis habuit ſupremæ. Vndenam eius contagio?

Pri-

Digitized by Google

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſacula luxu
Diuitiæ molles. — Iuuen. ſat. 10.

tanta verò pernicie, vt ipſarum vitio inde potuerit Satyricus exclamare:

ſæuior armis
Luxuria incubuit, victumq; vlciſcitur Orbem.

CAPVT LII.

Qua ratione fiat, vt ſi ſumma opulẽtia malũ eſt, eã tamẽ potiſſima pars hominũ optet, eam à Deo flagitet, hac eadem à Deo ſæpe tanquam beneficiũ concedatur: & q eã ſemel adept' eſt, non reijciat.

1. SAracenus verò contrà in hunc modum obiecit: Mihi videntur argumenta in rem aliam à te adhibita in hac ipſa quæſtione aduerſus te retorqueri. Rei cuiuſpiam bonitatem communi paſſim exiſtimatione, ſenſuq; metitus es. Siquidem *bonum eſt, quod omnibus placet.* Iam verò quis vnquam eſt, qui maximum quemcunque diuitiarum cumulum obtinere non optet? Verbis id negant complures, re fatentur omnes, eos modò ſi excipias, qui ſe Dei cauſa diuitijs abdicant: qui porrò non eas quidem ſuapte natura ſibi noxias arbitrantur, at ſe hoc ſpoliare bono præoptant maioris boni gratia, quod in Euangelio diuitias reijcientibus diuina liberalitas pollicetur: quemadmodum haud ille malam arbitratur pecuniam, qui eam, vt prædium emat, impendit. Cæterùm
2. vel Seneca Stoicus ille adeo ſeuerus innumeras aureorum myriades cumulauit. Optimè pronunciatum de diuitijs eſt a: *Faciliùs inuenies qui eas vituperet, quàm qui faſtidiat.* Eas vtique reijcere, ſingulare antiqui cuiuſpiam nouitate ipſa inſoleſcentis hominis facinus fuit, ea ratione ſapientiam venditantis, famam cauponantis. Atqui hæc eadem fama, quam idcirco eiuſmodi homines adepti ſunt, meum vtique pronunciatum, confirmat: celebritatem à raritate obtinent. Cæterùm veriſſimum illud eſt. b

Prima ferè vota, & cunctis notiſſima templis
Diuitiæ vt creſcant, vt opes, vt maxima toto
Noſtra ſit arca foro.

Nonnunquam etiam rei cuiuſpiam bonitatem confirmaſti, quòd eam Deus ipſe tanquam beneficium pollicetur, tanquam præmium elargitur. At in lege veteri, quæ quidem homines naturalis fœlicitatis præmio alliciebat, an non ipſe rerum omnium largitor Deus opes vberrimas ac planè regias aliquando promiſit, annon illas Iobo ac Salomoni conceſſit in præmium?

a Dial de cauſis corruptæ eloquentiæ.
b Iuuen. ſat 10.

3. Ita Saracenus; Mox conticeſcit, quaſi reſponſionem expectans, quam ab Andrea ſic accepit. Quod ad ea, quæ primo loco mihi obiecta ſunt, pertinet, nunquam ego in communis appetitionis forum, quaſi legitimum, conſenſi, vt de rerum vtilitate incommodoq; decernam: quippe qui non ignoro, ad prudentiam, quæ in pauciſſimis inuenitur, huius rei iudicium pertinere: conſenſi tamen in bonitate prauitateque, pro ratione finis exiſtimanda: earum quippe notatio ad experimentum pertinet, quod omnibus eſt commune. Hîc de diuitijs, quæ non fines ſunt, at media, diſceptatur. Ea propter non ſuffra-

ſuffragia in hoc iudicio numeranda, ſed expendenda, nec pluribus audiendum, ſed ſapientioribus: & verò licet alijs in quæſtionibus vniuerſæ multitudinis ſententiam ſequi par eſſet, id in hac tamen, præcipuo nomine, fieri non decet. Rem explico.

Cauſa, cur potiſſima hominum pars in hac opulentiæ ſummæ appetitione decipitur, illa eſt, quòd (vt aſſerui) quæcunque redundans opulentia optabilis natura ſua eſt, ſi cum prudentia coniungatur. Iam verò huius axiomatis veritas paſſim ab hominibus cognoſcitur. Tum per ſe ipſe quilibet peculiarem enunciationem hanc ſubijcit, philautia ſuadente: *Prudens ego ſum*: illudq; conficit: *Mihi igitur ampliſſima quæcunque opulentia eſt optabilis.* Horatius quippe in ſententijs minimè conſtans, ac varijs in locis varia Philoſophorum dogmata ſectatus, hanc aliquando multitudinis induit perſuaſionem ſua vota ſic in cœlum legans. 4.

li.1. ep.18 *Det vitam, det opes, æquum mi animum ipſe parabo.*

Quaſi verò plus opis impertiendum è Cęlo non ſit ad æquitatem animi è Cęlo demiſſi comparandam, quam ad protrahendam vitam, opeſque, terrenum ſcilicet ac mortale bonum, amplificandas.

Verum quidem eſt, ingentes diuitias, tanquam præmium à Deo aliquando promiſſas: at quibus? Nempe viris virtute ſingulari præſtantibus, cuiuſmodi planè fuerunt, quos ipſe meminiſti, Iobus & Salomon: atque in his ſententiam ego meam confirmo, ſummas diuitias optabiles à me duci. Quanquam ipſum Salomonis exemplum documento eſt, virtutem inter immodicas diuitias ſe habere, perinde atque metalla inter incendia. Metallorum quippe præſtantiſſimum aurum, puriùs in igne fit, atque ſplendidius: è contrario ignobiliora ac vulgaria colliqueſcunt ac cineſiunt. Proinde vel ipſos inter Ethnicos votum diuinis auribus indignum, pudendum humanis exiſtimatum fuit, diuitias è Cœlo immodicas flagitare: qua de re ſecundam Perſij Satyram ad Macrinum legimus, quem ipſe in hanc rationem alloquitur: 5.

Non tu prece poſcis emaci,
Quæ niſi ſeductis nequeas committere diuis,
At bona pars hominum tacitâ libabit acerrâ.
Haud cuiuis promptum eſt, murmurq; humileſq; ſuſurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona, fama, fides: hæc clarè, & vt audiat hoſpes:
Illa ſibi introrſum, & ſub linguâ immurmurat.

Quæ verò ea erant vota, quæ intra os ac linguam premebantur?

O ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule!

Vota hæc, Perſius ait, quæ tu Staij (nimirum Iudicis ea ætate vulgariſſimi) 6.

auri-

auribus credere non auderes, Iouis auribus præbere non dubitas? Ecce tibi, vel inter Ethnicos immodicarum cupiditas opum vitio habita. Demum experimento comprobatum eſt in diuitijs præcipuè communis eius pronunciati veritatem elucere, *optimum inter redundans deficienſq; conſiſtere.* Quare poſtulatum fuit ſapientiſſimum Salomonis, non minùs diuitias, quàm pauperiem à ſe deprecantis, ſapientiſſima Lyrici Poëtæ ſententia fuit, dum *auream* fortunæ *mediocritatem* appellauit, quæ nimirum diſtet æquè ab obſoleti ſordibus tecti, atque ab aulæ luxu.

7. Illæ ſenſuum oblectationes, quæ ſuapte natura doloris medicamenta non ſunt, gratiâ carent, vt diximus, niſi eas Nouitas, parens admirationis, commendet. Elegans verò eſt in hac re Chryſoſtomi ſententia, aſſerentis, Homil. 18 ea de cauſa extra Paradiſum primæuos fuiſſe Parentes, *vt re ipſa ſenſu beneficiorum fruerentur.* Id autem beneficiorum ſenſu frui ipſa fuit nouitatis voluptas, dum admiſſi fuerunt in Paradiſum. Quæ cùm ita ſint, id porrò contingit, vt immodica opulentia, cui prudentia ſingularis non moderetur, irruat quàm citiſſimè in omnes ſenſuum voluptates, quippe ſibi expoſitas ac parabiles. Inde verò faſtidioſus diues notarum iam voluptatum inappetens, nouas inſuetaſq; inhiat voluptates, quod de Xerxe legimus, præmium ijs pollicito, Cic. 5. Tuſc. qui noua voluptatum genera inueniſſent. Verum hæc ipſa opulentia, alijs alijſque inuentis denique deficientibus, vt inexpertum aliquod delectamentum aſſequatur, deſiderationem immittit aut in id, quod fieri obtinerique non poſſit, aut quod ſua ſit turpitudine execrandum: ſiquidem alijs in rebus optatam non aſpicit nouitatem. Primo in euentu deſiderationem cruciat deſperatio ſucceſſus; in altero conſcientiæ morſus, infamiæ vltioniſque ſupplicium. Quod ſi ſuum orbem fortuna conuertat, id incommodi ex amiſſa opulentia amittenti accidit, vt res iucundæ cæteris, huic vni ſint inſuaues. Ipſi vni huius nectaris, quod *voluptatem* appellamus, fontes Herculeas vltra columnas manant, qui fontes ad cæterorum mortalium oblectamentum vbique terrarum vberrimè fluunt.

8. Hinc reſpondere licet interrogationi, quæ prima fronte vehementer obſtat: nimirum: ſi opulentiſſimi qui fuerint tam modica fœlicitate potiuntur, quî fit, vt adeo pauci rarique ſint illius Horatiani Vulteij imitatores, qui in Philippum Iuriſconſultum donatas ſibi opes reiecit, vt quam earum veneficio perdiderat, redimeret animi ſerenitatem? Reſpondeo, tam raros eſſe, quoniam præteritis delicijs, eò ſunt redacti, vt communibus è rebus voluptatem elicere non poſſint, adeoque tales effecti ſunt, qui nequeant mediocris fortunæ iucunditatibus oblectari. Inde Epicurus, callidus voluptatis in Academia Præceptor, auctor erat, quod non ſemel diximus, vt rebus vilioribus, fortunæque petulantiæ, ac latrocinijs minùs obnoxijs, auditores ſui aſſueſcerent. Atque hoc fortaſſis arcanum Midæ manus, quaſi

Digitized by Google

opulentiæ indices, indigitarunt, quæ ſuccum ſaporemque cibis omnibus adimebant.

Hæc igitur mihi de diuitijs ſententia eſt. Nunc de potentia dicens, diſceptationem abſoluam.

CAPVT LIII. *De potentia quid nã illa ſit: & quanã dubitãdi ſit ratio; an illa ſit optanda.*

1. QVæcunque potentia, ex allato Ariſtotelis effato ſuapte natura optabilis eſt. Atque idcirco omnipotentia perfectio ſumma eſt, adeoq; fulget in Deo. Duplici tantùm in euentu, non per ſe, at caſu quodam fit, vt potentia ſit mala. Alter eſt, cùm talium eſt factorum potentia, quæ aliquando nocent, eamque potentiam nequaquam prudentia comitatur, quæ huiuſmodi facta non eligat, niſi cùm proſunt. De ijs, quæ potentia ex hoc capite nonnunquam affert, malis, tunc diſceptauimus, cùm de diuitijs ageremus.

Alter euentus eſt, cum aliqua potentia noxium magis cuiuſpiam poteſtatis defectum, quàm vtilis ipſa ſit, ſecum trahit. Vtar exemplo. Potentia, quam Magiſtratus exercent, cum defectu coniungitur poteſtatis ad plurima gerenda, quæ ipſis, aut conſuetudine, aut legibus interdicuntur, alijs conceduntur.

2. Hac vtraque de cauſa dubitari poteſt, optabilis ne ſit ea præcipua potentia, quæ vulgò communi *potentia* nomine nuncupatur; quæ demum hoc vno continetur, vt præſentiſſimos pro ſuo arbitrio tot hominum impetus habeat, per quos aliqua populi multitudo poſſit ad plura compelli, atque hac ratione, nonnullis fœlicitas, nonnullis calamitas afferri poſſit.

CAPVT LIV. *Difficultas coniũgendæ Potentia cũ Virtute.*

1. HIc verò Saracenus primum è duplici loco, quem aduerſus potentiam attuliſti; vtique Virginius Cæſarinus mirificè tractauit Satyrico in Tyrannos Italo carmine, quod Coſmo Magno Hetruriæ Duci inſcripſit, ibique opportunitatem ille ſumit eius Principis commendandi ab illa difficultate, quæ vincenda eſt, vt cum virtute Potentia copuletur; quam quidem optimus ille Princeps difficultatem euicerat, ſed quæ inter Reges Alexandrum, Romam inter Reſpublicas ſuperauerat. Atque hîc eruditè diſertus percenſet inaudita facinorum monſtra, in quæ hominum animi deuoluebantur, potentiæ vitio prælicentes; qua de re ſubit animo ampla quædam diſputatio, quam audiente me aliquando Ciampolus inſtituit oratione illa, qua viget maieſtatis ingenijque pleniſſimâ, neque minùs voluptatis, quàm admirationis afferente. Is porrò narrabat, ſe adoleſcentem à Cardinali Borromæo, ingenij, quod in ipſo animaduerterat, amantiſſimo, interrogatum fuiſſe, quemnam ex antiquis Heroibus potiſſimum adamaret. Cumq; Ciampolus penderet animi, remq; decernere non poſſet, tum ob eorum, qui conferendi erant, multitudinem, tum ob inexpectatam interrogationem, ſapientiſſimus ille Cardinalis adiunxit: Dicam ipſe planè, quod ſentio: Supra cæteros omnes amore cultuque 2.

Le-

Digitized by Google

Lepidum illum proſequor, quem Tacitus refert Auguſto de ſucceſſore ſibi eligendo cogitanti in mentem, inter alios obueniſſe, & quem exiſtimauit Auguſtus *capacem, ſed aſpernantem.* Ciuem inueniri priuatum, aiebat ille, qui ſimul virtute prudentiaq; capax ſit totius terrarum Orbis Imperij, ſimul ſit ipſo Imperio magnanimè contempto maior, id vtique eſt in vno tantùm homine duas inuenire præſtantias, quæ fines prætergrediuntur humanos, quæque ne à Poëtarum quidem audacia in ijs ipſorum vnquam Semideis fuere coniunctæ. Animaduerſionem adeo ſublimem, Ciampolus comprobauit, edixitq; mihi, ſe in hanc rem carmen aliquod meditari, in quo Potentiam induceret, quæ Lepido terrarum offerat imperium ijs omnibus voluptatum decorumque illicijs, quæ comminiſci animus poſſit; Lepidum verò qui Potentiam reijceret quaſi veneficam, quæ dum à ſe homines in Deos mutatum iri pollicetur, Circes inſtar eos conuertit in Belluas, virtutem in ijs omnem, omnemq; corrumpens humanitatem. Quod vt ipſe Ciampolus Lepidi perſonam gerens confirmet, in promptu ait habere ſe notationes pulcherrimas ſuper rebus geſtis celeberrimorum Virorum, qui ad id vſque temporis Romæ potentiam adminiſtraſſent. *1. Annal. paulò poſt princ.*

CAPVT LV.

Potentia, ſi animo virtutib. prædito capaciq; accidit, fœlicitas habenda eſt.

1. ADuerſus hanc diſceptationem neſcio quid Querengus ſecum animo peruoluere videbatur. Quare Andreas, cuius erat diſceptationem perſequi, ſic eum interpellauit. Quid tu, Querenge, cenſes, qui Principum in conſuetudine multò peritior, quàm ipſe ſim, cui eiuſmodi conſuetudinis honeſtatem & opportunitatem cœnobij receſſus ademit omnino, niſi quantum euecto ad Vaticanum Imperium Vrbano, illam libare contigit mihi. Ipſius quippe Pontificis meam in linguam ſtudium, meam in Gentem amor, multis ab hinc annis apud ipſum tunc purpurâ indutum eam mihi (quæ noſtri Principis eſt humanitas) familiaritatem conciliarunt, quam vel in Principatu manere nunc iubet.

At ille: Siquidem id ex me quæris, liberè meam ego ſententiam profitebor, à qua aperiendâ fortaſſis abſtinerem, ſi alio verſaremur in loco; ne illa cenſeretur aut imprudens, quæ à ſententia communi diſcedat, aut aſſentatrix, quæ Principibus blandiatur.

2. In confeſſo eſt, potentiam excipiendam eſſe Domi obuiâ ſuſpicione potiùs, quàm lætitiâ. Quare, cùm ex Martiali quæreretur, quoſnam induturus eſſet mores, ſi fieret potens, acutè reſpondit,

Quemquam poſſe putas mores praſcire futuros?
Dic mihi, ſi fias tu Leo, qualis eris? *Lib. 12. e. pig. 73. apud Rad.*

Eaq; ſimilitudo maximè quadrat; potentia ſiquidem plus inter cæteros homines impertit virium, quàm inter alias feras viribus præſtet Leo. Nihilo tamen minus haudquaquam exiſtimo noxiam infauſtamque ducendam eſſe

Digitized by Google

potentiam, cùm in animum incidit virtutibus præſtantem, Regniq; admini-ſtrandi capacem: Magiſtratus virum non tam mutat, quàm oſtendit: neque de Galba Tacitus aſſeruit, niſi imperaſſet, futurum fuiſſe, vt dignus Imperio eſſet, ſed vt crederetur. Perinde in moribus accidit, atque in coloribus. Colores cum Virgilio dicimus à nocte auferri, quoniam à nocte occultantur; item mores potentiæ lux afferre videtur, quia illos oſtendit. Non adeo permulti ſunt ij, qui probi fuerint priuati, flagitioſiq; Principes euaſerint, ſi attentè hiſtorias relegamus. Iam verò, licet id in nonnullis eueniat, haud principali potentiæ tribuendum eſt, quod vitium potiùs eſt humanæ inconſtantiæ. Quot verò fuerunt optimi, qui poſtea cùm priuati etiam viuerent, in peſſimos degenerarunt? 3. Superiore ætate Bernardinus Oechinus ſenili ætate iam grauis è Franciſcanæ auſteritatis Antiſtite integerrimo, ſordidiſſimum in Hæreticum corruptus eſt. Agite iam: Cæſares illi, qui tot ſceleribus infames fuerunt, numne antequam Imperium inuaderent, innocentiâ vitæ præſtabant? Iiſdem porrò ſordebant vitijs, non tamen ad ea exercenda materiam habebant eandem. Ignis ſcintilla eâdem ratione ſemper eſt ignis, non tamen idem ſemper parit incendium, non enim illi ſemper eadẽ circum materia præſens eſt. At enim Nero optimus ante Imperium erat. Optimus etiam vixit in Imperio, neque paucos tantummodo dies, at annos complures. Aliud igitur, quàm Imperium Neronem corrupit. Egregia ſcilicet colligendi ratio hæc eſt, antiquorum Cæſarum ſcelera conglobare; atque inde conficere homines potentiâ fieri ſceleroſos. Ipſa etiam Potentia vim argumenti retorquens aduerſus Fortunam priuatam obijcere poterit Romanorum Ciuium ea ætate viuentium ſcelera, indeq; conficere humanos animos priuatâ fortunâ corrumpi. At priuatorum hominum vitia minùs curioſè obſeruantur, minùs inuidè amplificantur, minùs vulgantur à fama, minùs aduertuntur à legentibus, minùs denique memoriâ retinentur. Veruntamen ea legantur, quę aut vniuerſi ea ætate de Romanorum Ciuium moribus, aut generatim Hiſtorici ſcribunt, aut capitulatim Satyrici canunt.

Verùm, quemadmodum Montes à Cœlo maximè diſtant, & tamen cùm eminus proſpiciuntur, verticibus hærere Cœlo videntur: ita etiam licet virtutes ac vitia ſibi aduerſentur, nihilominus cùm in ipſa ſæculorum longinquitate cernuntur, internoſci vix poſſunt. Quod parſimoniæ tribuit alter Hiſtoricus, illud ipſum Hiſtoricus alter, quaſi auaritiæ ſordes vituperat: penes alterum iuſtitiæ cuſtodia eſt, quod ſæuitia exiſtimatur ab altero. Cæſaris in caput Pompeij luctus, qui cæteris à Scriptoribus heroicæ clementiæ tribuitur, à Dione atque Lucano ad callidæ ſimulationis artem detorquetur, perinde quaſi magis Cæſari expediret, id temporis potiùs 4.

Generi lugere reuulſum,
Quàm debere caput.

Quin

Quin etiam veſter Petrarcha alio atque alio in carmine vtramque ſententiam amplexus eſt. Noſter Famianus aduertit morem illum Auguſti Magiſtratuum protrahendorum, qui tributus à Tacito fuit, vel deſidiæ, ne animum ad nouos Magiſtratus renunciandos conferret, vel inuidentiæ, ne dignitate illa plures fruerentur; aduertit, inquam, morem illum, à Ioſepho relatum ad regalem charitatem, ne populorum ſanguis, tanquam nouis famelicisque perpetuò muſcis exſugeretur ad ſenſum illius Apologi, quo diuitem, neſcio quem Sami, olim defendit Æſopus. Quantis Seneca vituperationibus inſequitur duos clariſſimos Viros laudatricis famæ pennis, quotquot illæ ſint, ad Cœlum euectos? Loquor ex Græcis Alexandrum, è Romanis Mecænatem. Quantùm inter ſe diſſident Hiſtorici de Scipionis pudicitia, de Fa- *Ariſt. 2. Rhet cap. de exemp.*

5. bij candore, de Pompeij prudentia? Quanquam igitur decipere fama non ſolet in ijs rebus geſtis percenſendis, quæ notiſſima ſunt, vt alibi diximus, tamen ad affectus hominum peculiares, moresque domeſticos agnoſcendos, non adeo certa eſt auctoritas Hiſtoricorum. Certior multò eſt experientiæ noſtræ fides. Quis antiquis in tabulis Equi Canisq; imaginem laboret cognoſcere, quando nunc eius generis animantes viuæ non deſiderantur? Verùm, vt experimentum hoc veritatem retegat, opus antea eſt, mentis oculum ab eo abſtergere liuore, quo infectus ſublimia contemplatur, ſimul ab eo præiudicio, quod nobis vulgi diræ atque conuicia aduerſus Principes inſtillarunt. Tum verò Principes, quicum ipſi varijs temporibus verſati ſumus, animo reuoluamus pendamusque, an ipſorum mores meliores peioresne ſint, quàm in dimidia priuatæ multitudinis parte. Hæc nimirum æqua ratio eſt ac menſura, vt quæ ſupra vel infra mediocritatem ſunt, dignoſcantur; atque ita illud in comperto ſit, quod pro conſueta rerum humanarum con-

6. ditione, bonum malumve in hac Vniuerſitate dicendum ſit. Quæramus, inquam, an potiore in hominum parte prudentiæ plus ſit, quàm in Principibus Viris, an maius æqui rectiq; ſtudium, an maior communis boni cupiditas, charitas maior, maior in ijs, quas vnicuique fortuna conceſſit, voluptatibus temperantia, maior linguæ modeſtia, cogitationum grauitas maior, maior in aduerſis fortitudo, maius denique Religionis obſequium. Equidem non paucorum mihi Principum familiaritas fuit, quorum plerique iam ab hac vita, omnes certè ab hoc loco, abſunt; quare vtilitas me nulla compellit in eorum laudes; præcipuè verò tam vniuersè prolatas, eorumq; nominibus indictis. Non illud affirmo, eos inuentos à me fuiſſe auro illo cœleſti compactos, quo Plato regnatrices animas conflatas dictitabat: illud tamen teſtari poſſum, eos viſos mihi illam generis humani partem, quæ minimis vrgeretur.

Digitized by Google

Caput LVI.

Rationes q̃ oſtẽdũt Potẽtiam in Virtutẽ potius q̃ in vitium propẽdere

Qvòd ſi ratione id etiam confirmare velimus, hæc pariter ſententiæ meæ ſuffragabitur. Potentia vulgò dicitur ad vitia propendere, quippe quæ & priuatæ repugnantiæ obices vincit, & metum adimit publicæ vltionis. Verùm, aut ſermo nobis eſt de potentia illa, quæ viget minoribus in Magiſtratibus, aut in Principe ſummo. 1.

De prima: Si illa ſui muneris adminiſtrationem prætergredi attentaret, & obſiſtere queunt priuati, & in ea publici ſupplicij metus varijs de cauſis grauior eſt, quàm in ijs, qui nullo Magiſtratu funguntur: hæ verò cauſæ ſunt, quod noxarum plures in ea potentia plectantur, quæ in cæteris negliguntur: item quod tantò plures metuit accuſatores, quàm priuati homines, quantò plures in ipſam vel acceptæ in Magiſtratus adminiſtratione iniuriæ, vel dignitas inuidentiæ fomes prouocarunt: demum quia eiuſmodi potentia quò celſiùs locata, eò, ſi cadat, grauior ruina.

At verò, ſi de ſumma illa potentia diſſeramus, quæ reperitur in Principe, isq; ſit ad virtutem propenſus, vt ſtatuimus, quantò magis ad voluntatem agere poterit, tantò magis ad virtutem aget. An verò rari ſunt priuati homines, qui vel aſſentatione, vel ambitione, vel metu peccant, de cętero non peccaturi? Martialis Neruæ laudem putauit egregiam, non quod probus poſt imperium fuerit, ſed quod probus malo fuerat ſub Imperatore. 2.

Lib. 12. epig. 6. apud Rad.

Nunc licet, & fas eſt: ſed tu ſub Principe duro,
Temporibusq; malis auſus es eſſe bonus.

Illud ipſe addo, ſi humanum animum, vt neutram in partem propendentem, neque occupatum adhuc virtute, vel vitio contemplemur, ad pręclara honeſtaq; facinora permoueri, fortaſſe magis poteſt à Regia fortuna, quàm à priuata. Caret Rex, fateor, quibus coërceatur à vitio fræn[illegible] legum formidandis. At eiuſmodi fræna etiam priuatos ab ijs tantùm flagitijs cohibere ſolent, quæ vel iuſtitiam, vel Religionem lædunt: quicquid cum duabus trium præcipuarum virtutum pugnat, hoc eſt, cum temperantia & fortitudine (prudentia ſiquidem vniuerſalis eſt, & in omnibus virtutibus continetur) nulli pœnæ ſubijcitur. Et ex ijs etiam virtutibus, quæ in Lycæis ad Iuſtitiam referuntur (cuiuſmodi eſt gratiarum referendarum voluntas, aut ſtudium veritatis in ſermone) deque vitijs ijs virtutibus aduerſantibus, leges nihil ſtatuere conſueuerunt. Quare libertas prauè agendi cuicunque priuato ampliſſima eſt. Quod verò pertinet ad iniuriam, aut graues loquimur iniurias, aut leues. Leuium patrandarum, nullum ferè illicium Regi eſt. Quippe leuiſſimum eius diuitijs momentum afferet, quidquid vel in ipſo ſubdito, fortunas obtinente anguſtiores, leue quid exiſtimatur. Graues autem; vt vis in pudicitiam, in integra Procerum patrimonia inuaſiones, onera pro libidine populis iniecta, hæc inquam omnium coniurationum, defectionum folles atque irritamenta ſunt potentiſſima. 3.

Ex

4. Ex altera verò parte qualiſcunque laxitas huiuſce fræni, quo Regnatores ab vno vitiorum genere continentur, ſeueritate compenſatur alterius cuiuſdam fræni à vitijs omnibus coërcente. Illud eſt meditatio quædam Regum animos perpetuò admonens, omnium in ſe oculos eſſe conuerſos, omniumq; linguas in ſui eſſe obtrectationem expeditiſſimas. Audire me aliquando memini in Academia Sereniſſimi Cardinalis à Sabaudia peracutam Matthæi Pellegrini diſputationem, Viri vtique eruditiſſimi, eorum quos ego impensè ſuſpicio, quique Scriptores tanquam Iudex, non tanquam diſcipulus euoluit: par nimirum moralibus diſciplinis ſuo marte tractandis, vel ſi aliorum volumina deperirent, atque ipſe quæcunque in eis legit obliuiſceretur. Ad paradoxa diſceptatio pertinebat, ſed quæ rationibus confirmabatur conficientiſſimis, non, vt ſolet, peruenuſtis ineptijs colorabatur. Laudabat ille obtrectationem, atque ita fermè colligebat: Cùm huic Vniuerſitati neceſſarium maximè ſit, Viros Principes à ſceleribus reuocare, cumq; Principes Viri legibus non teneantur, opus fuiſſe, vt mortalium omnium multitudo tribunal quoddam ſupremum eſſet, ac forum indeclinabile à natura conſtitutum, à quo de humana Republica malè meriti Principes vituperatione, hoc eſt, mulctâ grauiſſimâ damnarentur & plecterentur: atque huic ipſi tribunali, etſi nonnunquam iniquo, libertatem impertiri pleniſſimam oportuiſſe. Quare Arcadius & Honorius Imperatores ſapientiſſimi, Ruffinum Prætorij Præfectum prohibuerunt, ne obtrectationis in Principem iactæ, ſumeret pœnas, iubentes culpam illam negligi, ſi ex animi leuitate proceſſerit, ſi ex inſania, miſeratione dignam, ſi ab iniuria, ad ipſos Cæſares deferendam, eorumq; iudicio remittendum, vel eam contemnere culpam, vel de illa perquirere. *l. vnic. C. ſi qs Imp. maled.*

5. Neque verò id nobis in animum inducamus, quod vulgò circumfertur, Principibus Viris aures eſſe ferro obſtructas, & maledicta contemnentes. Quid enim aliud expetendum, priuatam ſupra fortunam obtinet Principatus, imò verò quid non habet præ illa moleſtum, ſi honorem excipias? Viro igitur Principi, vel deſipiet Principatus, vel dedecus accidet amariſſimum. Quodnam verò maius eſt dedecus, quàm praua ipſius exiſtimatio vulgò linguis hominum erumpens, & quæ parata iam eſt, vt æternum Principi dedecus in paginis imprimat exprimatque? Vel Tiberius ipſe vitiorum gurges in hac ſententia fuit: *Principibus præcipua rerum ad famam dirigenda*, vt Tacitus refert, qui etiam cum effræni appetitionum impetu ductus, ſeſe in impudicitiæ ſordes egit; Caprorum ſe conie cit in latebras, vt Suetonius & Aurelius Victor aduertunt. *Annal. 4*

6. Præterea nobilis & ingenua Viri Principis inſtitutio, illum vel à primis annis ad gloriam excitat adamandam; nobis verò in comperto illud eſt, inſtitutionem alteram eſſe naturam, nullaq; vi, eas ab animo euelli poſſe, anticipationes, quæ à cunis ac faſcijs animo inhæſerunt. Hinc, vt opinor, demonſtrari dilu-

Digitized by Google

dilucidè poteſt frænum à flagitijs coërcens vehementius eſſe Principi , quàm Priuato. Nonne paſſim videmus, nobiles Viros ab ijs ſe criminibus continere non poſſe, quæ honoris cauſa ſtudioq; patrantur, & grauiſſimis quibuſcunque legum pœnis ſe ſe obijcere, ne in communem vituperationem, iniquam licet, & ab inſcitia vulgi profectam incurrant? Vehementiùs igitur à vituperatione, quàm à ſupplicijs abhorrent. Atqui vituperationis flagellum ſeuerius eſt ac frequentius in vniuerſa Principum, quàm priuatorum errata, vt oſtendere conatus ſum. Principes igitur intra honeſtatis fines validiore continentur fræno, quàm priuati.

Mitto hîc, ipſiſmet principalibus curis, Principum animos ab inhoneſtis voluptatibus abduci. Mitto etiam, cuicunque artifici ingenitam eſſe cupiditatem, ſuum vt opus aptè exeat laudeturque: quamobrem, cùm Princeps magnus ille ſit Artifex, cuius opificium publica fœlicitas eſt, non poteſt de illius non laborare ſucceſſu, cui ſanè ſucceſſui quodcunque Principis vitium grauiter aduerſatur. Mitto demum, ipſum à vitio reuocari præcipuâ vtilitatis ſuæ causâ. Vitium quippe, vt diximus, illud eſt, quod Ciuium Vniuerſitati damni plus affert, quàm emolumenti. Iam verò, cùm Princeps ille dicatur, qui vnus in hominum Vniuerſitatem dominatur, de ipſo vno verè dicetur, quodlibet vitium eius rationibus atque emolumentis aduerſari. 7.

Caput LVII.

Quinnam præcipu' potētia defect' cum Potentia coniungatur. Principē naſci aut euadere optabile illi eſt, q prudentiam, virtutem libēsq; ſubditorū obſequiū ſortit' fuerit.

Qverengi verba cum plauſu ſuſcepit Andreas: Verùm ita ſubijt. Noui optimè adeo pertinax in contraria perſuaſione vulgus eſſe, vt argumenta iſthæc tua, licet robuſtiſſima, non ſatis virium habeant, vt ipſum è ſententia demoueant. Et verò tenuis animi eſt, vt attolli ſe putet, cum celſa capita, ſuo tanquam in foro condemnat. Ego quidem pro tua ſententia ſto, ac ſubſcribo. 1.

Verùm, vt alterum caput aggrediar, quod mihi ſupereſt expendendum de iniquis Potentiæ conditionibus, poſtremam hanc poſitionem edico.

Si quopiam in homine ponamus mentis capacitatem peramplam, præſtantemq; animi virtutem, ipſius cedet in fœlicitatem, aut Principem naſci, aut in legitimum Principem euadere, ſubditis libenter ac liberè conſentientibus.

Quod ſi vlla ex his conditionibus deſideretur, priuatum naſci præſtat.

Verùm, quandoquidem harum conditionum ſocietas rara accidit in Principibus, idcirco ſi abſolutè loquamur, optabilior eſt conditio priuatorum, dummodo neque ſit ex paupertate anguſta, neque natalibus abiecta, vel ſordens.

Quò partes omnes enunciationis huius meæ confirmem, oſtendere neceſſe habeo, quiſnam ille potentiæ defectus ſit, quem paulò antè dicebam, qui nominatim cum Potentia coniungitur Regnatorum. Ille verò eſt, quietem animi & corporis abſque noxa ac periculo obtinere non poſſe. Animi quietem Principibus interdictam quis neget, quando iuſtitiæ adminiſtrationi, an- 2.

nonæ

Digitized by Google

nonæ commodis, munerum diſtributioni, negotiorum præſidijs, redituum indemnitati, inuaſionum ſecuritati, conſulere debent. Corpore verò pariter inquieti viuunt, vt priuatis, vt Magiſtratibus, vt exteris Oratoribus aures commodent, vt epiſtolas legant, vt eò ſe conferant, quò neceſſitas communis expoſtulat, vt ſe nonnunquam incommodis periculiſque bellorum obijciant. Ac proinde Potentia poſſeſſores ſuos otio ac tranquillitate arcet, hoc eſt, ſupremo mortalium voto. Hæc regni incommoda, aduertens Plato, auctor eſt, vt precibus impetretur à ſapiente ſupremæ procurationis ſuſceptio, per quam otium illud ſuum pulcherrimum communi vtilitati deuoueat. Neque alia de cauſa, ſcribit ille, Magiſtratus gerentes, præmijs afficiuntur, cumq; detrectantes, pœnâ mulctantur; quanquam, inquit, ornato virtutibus animo pœnarum omnium, quæ ob huiuſmodi crimen infligi poſſunt, illa grauiſſima eſt, compelli ad obſequendum parendumq; ijs, quos ſe deteriores nouit. *1. & 6. de Repub.*

3. Verùm hæ ipſæ demum curæ, quarum nomine grauis accidit Principatus, quod ad corpus pertinet, haudquaquam grauiſſimæ ſunt, ipſiſque Principatus commodis redimuntur; quod verò ſpectat ad animum, compluribus etiam adminiculis alleuantur: quamobrem magnis animis par potiùs exercitatio, quàm labor impar immodicusq; contingunt.

Ex altera verò parte, ſi dotes illæ, quas in prima effati mei parte requiſiui, Principem exornant, illud ipſum quodcunq; ſit, dominationis incommodum, ſummis compenſatur bonis, gloriâ nimirum, amore, cultuq; communi; inprimis verò incommodorum aſperitatem abundè rependit hoc vnum ſuper humana omnia fœliciſſimum, quod Princeps propriæ ſobolem virtutis, populorum fœlicitatem intuetur.

4. Quis verò feliciſſimum pro mortalium conditione Numam Pompilium non exiſtimabit, à quo licet extero beneficium ſe accipere Romani profeſſi ſunt, quod Regnum ab ipſis delatum non repudiaret? Qui populo cunctis populis imperaturo leges tulit: ſanguine, ſpecie, virtutibusq; regius; ſapientiæ ornamentis, omnium erga ſe amore cultuque præſtantiſſimus; cui morienti omnium luctus & Magnatum cura parentauit? Quis hoc idem de Traiano non ſentiet, qui non alio iure vocatus in Imperium eſt, quàm virtutis, eo ſcilicet iure præſtantiſſimo, quo ex Ariſtotelis ſententia, Reges naturæ ſuffragio creantur: qui talis in ſingulos imperauerat (quod meritò gloriari ſolebat) quales ipſe priuatus in ſe Imperatores optaſſet: Qui amabatur vt Pater, colebatur vt Numen, Barbarorum victor, bonarum artium fautor; qui demum ita vixit, vt extinctus meruerit vel in cineribus triumphare? Triumpho vtique præclariſſimo, quippe tunc decreto, cùm is, cui decernebatur, nihil iam potentiæ ad remunerationem, nihil ſenſus ad grati animi vicem, ſed tantummodo plurimum gloriæ haberet ad meritum. Quod ſi Regnum, ne regalibus quidem dotibus iunctum optabile foret, cur Deus (vtar adhibito à me in res alias argumento) cur, in- *3. Polit. c. 9. in fin.*

 quam,

Digitized by Google

quam, Deus toties illud præſtantibus virtute Viris largitus eſſet in præmium, cur ingratis exprobraſſet, cur ſceleroſis hominibus ademiſſet?

CAPVT LVIII. *Si vlla è trib poſitis conditionib. deſideretur, nequaquam optabilis eſt Principatus.*

At verò, quoties in Principe poſitæ à me dotes deſunt, illico in calamitatem degenerat Principatus. Si prudentiæ capacitas deſideretur in Principe, curarum mole ſe opprimi ſentit, experiturq; aurum, quo Regia fabricantur inſignia, vt ſplendidiſſimum eſt, ita etiam eſſe inter vniuerſa metalla grauiſſimum. Denique tunc Rex Phaëtontem aſſimulat, qui regendi tam celſi currus ignarus, eum cum moleſtia tenuit, cum ruina ac nece reliquit. 1.

Si Principi virtus abſuerit, quid ex Potentia tandem percipiet, niſi audaciam ad vim ad grauiora flagitia, eorumq; vulgatiorem infamiam; quæ flagitia in priuatæ vitæ tenebris latuiſſent, vel in eo, qui nonniſi ſe ac ſua curat, minùs toleranda viderentur? Verùm de his ea ſint ſatis, quæ in rem aliam diſputauimus.

In tertiam retuli conditionem, legitimum naſci Principem, aut ſubditis libentibus eligi: etenim quæcunque alia Principatus adipiſcendi ratio, vel tyrannis eſt, vel ſceptrum planè vitreum elargitur. Hinc fuit, vt priſci illi Romani Cæſares violentiſſimè ab exercitu renunciati, non minùs violenter vitam ſimul & Imperium amittere conſueuerint. Ac proinde Regum pauciſſimos ſine cæde ac ſanguine deſcendiſſe ad *Generum Cereris*, Iuuenalis affirmat: Siquidem ſæculis Iuuenali proximis Reges inuitos inter ſubditos per vim plerumque regnauerant. Cùm verò Regnum vel legitima hæreditate tenetur, vel eligentium ex voluntate Populorum atque Senatuum, non adeo frequentia præbet cothurnorum argumenta. Id ſanè videre licet in Pharaonibus primùm, deinceps in Ptolomæis Ægyptiorum, tum in quatuor (vel ex veriore numero in ſex) ſupra triginta Regibus Aſſyriorum, antequam Regnum infamis Sardanapalus acciperet; in tot illis, aut Æthiopum Regibus, aut quos ingenti numero Sinenſes enumerant; denique in præſentibus hiſce Europæ Principatibus, è quibus pauciſſimi per ferri inſidias extincti, ſi eos excipias, qui ferro ſibi aditum ad Regiam aperuerunt. 2.

CAPVT LIX. *Si nulla ponatur conditio, ſors melior eſt, quam principalis priuata, dùmmodo nobilis ea ſit, & opulenta.*

Ad vltimam iam enunciationis meæ partem deueni, qua dixeram, ſi poteſtas cuipiam animo fieret, vt vel Regis cuiuſpiam, vel priuati Viri quidem, ſed opibus abundantis, honeſtique ſanguinis corpus inuaderet, alterum hunc ſtatum prudentiùs eligendum. Atque huiuſmodi planè ſtatum comminiſcitur Plato electum fuiſſe à prudentiſſimo Græcorum Vlyſſe, cum ipſius anima (vt fabulæ Pythagoricæ aſſerebant) mortale reuocanda fuiſſet in corpus, ſortemq; futuram optandi facultatem haberet Parcarum in foro. Verùm Platonis auctoritatem mitto, remq; ita confirmo. 1.

Regnandi mala certa ſunt & ingentia: nimirum perennis inquies, otij vacui-

vacuitas ad excolendum ingenium; quicquid agas, tanquam in theatro agere, & ſub cenſoria inuidentiæ virga; fortunæ ludis pilam eſſe maximè expoſitam. amicitiam, fidem, veritatem, maximè humanæ vitæ bona, nunquam certò poſ-
2. ſidere. Ex altera verò parte, bona illa, quæ regalis fortuna ſpondet, rara ſunt & incerta, nimirum amor & gloria. Odium frequentiùs, quàm amor comitatur Principes. Eis nempe ex ipſo amoris fonte, hoc eſt, ex beneficentia odium fluit. Quodlibet munus aut dignitas ſexcentis optatur & quæritur, vni confertur. Hic porrò vnus ſuis id promeritis tribuit, adeoque leuiſſimo ſe affectum eſſe beneficio arbitratur. Adeoq; & parum habet gratiæ, & parum beneuolentiæ rependit. Ij verò plurimi, qui voto fruſtrantur Principis, vel iniquitatem, vel certè cæcitatem accuſant, illumq; proinde vel odio habent, vel contemptui; cum certè beneuolentia non proſequuntur. Vultis, præclariſſimo exemplo palam faciam, qualem hæc beneficiorum tribuendorum poteſtas perniciem creet? Equidem eiuſmodi exemplum ducam ex fabulis, quæ plerumque inter blanda mendacia veritatis documenta complectuntur. Paridi arbitrium fuit aurei pomi, cui videretur ex illa Dearum Triade concedendi. Quid verò ex hoc iure tam celſo Paridi obuênit? Pomum illud vni conceſſit, negauit duabus. Quoniam verò ad vltionem ſumendam plus virium duabus erat, quàm vni eſſet ad gratias referendas, ex eo pomo in Paridem Patriæ incendia, Parentis Fratrumq; cædes, Sororum atque Affinium ſeruitus & infamia, Priamidum denique omnium & calamitas & excidium.

3. Hæc de amore; nec verò ingens eſt plerumque Regum gloria; Quàm pauci (teſtor vos) ij ſunt, quorum memoria ſit ſuperſtes? Quis eſt, qui nunc norit, qui-nam Reges ter mille ab hinc annis, non Iaponiæ dicam, ſed Regionibus hiſce noſtratibus Germaniæ, Galliæ, Hiſpanijs, Italiæ imperauerint? & præſentes etiam Reges quàm pauci inter homines norunt? Inter eos verò, quos nouimus, plures-ne cum gloria, an cum vituperatione regnant? Enimuero alteri. Atque huius rei illud in cauſa eſt, quod in ſuſtinendo terrarum Orbe, vel ipſi Atlantes, non modò vulgarium virium homines fatigantur & labant.

4. Non ego ad hanc confirmandam ſententiam ambitioni aduerſantem humanæ ex Chriſtianis Anachoretis, aut ex aſpera illa Stoicorum familia quempiam produxero, ſed hominem ex Epicuri gente notiſſimum, qui bona omnia, vna tantùm voluptate metiebatur. Lucretius, vbi Vniuerſitatis huius originem principalium poteſtatum exortus, hominumq; in eas inuadere volentium lites atque diſſidia deſcripſit, ita denique infert.

Vt ſatiùs multò iam ſit parêre quietum, Lib. 5.
Quàm regere Imperio res velle, & Regna tenere.
Proinde, ſine incaſſum defeſſi ſanguine ſudent,
Anguſtum per iter luctantes ambitionis.

 Al-

Digitized by Google

Altiſſimè mihi memoriâ ſemper hæſit Plinij Iunioris effatum in Panegyrico ad Traianum. Vbi ipſum alloquens de præcelſa illa,qua Nerua ipſum adſciuit in Cæſarem adoptione, ſic habet: *Videaris licet, quod eſt ampliſſimum, conſecutus inter homines, fælicius tamen erat illud, quod reliquiſti: Sub bono Principe, priuatus eſſe deſiiſti.* A bono Principe regi,tantò melior eſt conditio, quàm alios regere, quantò meliùs eſt ſub fido inemptoque Cuſtode ſecurum quieſcere,quàm ſollicita mente in aliorum excubias vigilare. Et verò quid tandem eſt optimus Princeps,niſi cuiuſcunque ſubditi ſeruus, qui præclaram quidem,ſed grauiſſimam ſeruit ſeruitutem?

CAPVT LX.

Si Regnũ ſuapte natura numerandũ eſt in malis,cur illud pleriſque Deus beneficij cauſa largitus ſit, & cur tã pauci Regum eo ſe abdicent, cũ poſſint.

1\. QVerengus hîc ſe ad Andream conuertit, aitque, Rationes hæ perſpicuæ omnino ſunt,iiſq; omnes,qui cum Viris Principibus neceſſitudinem intimam inibunt, id, quod vulgò non creditur, veriſſimum eſſe comperient, re tandem ipſa, vt faceto carmine Italico eruditus noſter Villanius expreſſit, eſſe tandem regale hoc decus quaſi aloës amaritiem in medicis globulis aureo tegmine conuelatam. Verùm ſi vniuersè melior habenda eſt priuata conditio, cur,quemadmodum ipſe meminiſti, tot viris beneficij cauſa Regnum largitus eſt Deus? Dauidi non dicam,at Sauli. Enimuero Regnum huic beneficij cauſa conceſſum à Deo fuiſſe,ea nobis Samuelis verba demonſtrant,quibus ipſe Dei nomine Regnum Sauli prænunciauit. *Cuius erunt optima quaque Iſraël? Nonne tibi?* Item, cur, ſi priuatæ vitæ conditio iucundior eſt, tam pauci ſunt ex Viris Principibus; qui,cùm Principatus acerbitatem experiantur,eum ſponte deponant?

2\. Statim atque abſoluit Querengus; in hunc modum Andreas. Regnum tanquam beneficium nonniſi illis largitus eſt Deus, quibus etiam duas è conditionibus tribuit, quas ego ponebam, vt illud fœlicitatis nomine compellarem. Parem muneri mentem eiuſque tenendi ius æquum atque legitimum. Quod ad tertiam pertinet conditionem, virtutem loquor, vtique gratiâ illos donauit, quæ foret ad virtutem adipiſcendam ſatis. Eâ gratiâ nonnulli probè vſi inter fœlices fuerunt, eâdem abuſi ſunt alij; interque miſeros ſua ipſorum culpa non diuinorum beneficiorum vitio referuntur.

De altero quod obijciebas: non opportunum æquè,nec pariter ęquè tutum eſt, priuatum viuere poſt Imperium, vti eſt priuatam vitam ducere vniuerſam.

Lucr. vbi 1.

Nam cupidè conculcatur nimis ante metutum.

Vt vetus Poëta commodè ait. Non ego eum hîc profero Artaxerxem, qui ſingulari paternæ charitatis exemplo Perſicum ſceptrum Dario filio conceſſit; hic verò eam retulit gratiam, vt in Parentis necem illico (ſucceſſu licet aduerſo) conſpirauerit. Verùm, vt hiſtorijs vtar ita certioribus, vt etiam propioribus geminum, huius rei præclarum affero exemplum ex Ethnicis in Diocle-

Iuſtin. lib. x.

Digitized by Google

cletiano; è Viris ſanctiſſimis in Cœleſtino, quibus non ſatis fuit ſeſe vel ad raſtra deijcere, vel in antra conijcere, vt ſe ſucceſſorum iniurijs, ſuſpicionibusq; ſubducerent. Præclarè Tullius aduertit, fieri nequaquam poſſe, vt Tyrannus prauitatem exuat, quippe præſtare id nequit, niſi depoſito, quod per iniuriam detinet, ſceptro: Quod ſi fecerit, confeſtim hoſtium præda ac ludibrium fiet. Atque de Dionyſio Syracuſano loquens, verbis hiſce concludit: *Eaq; commiſerat, vt ſaluus eſſe non poſſet, ſi ſanus eſſe cœpiſſet.* 5. Tuſc.

3. Fateor tamen, ſapientiorem mihi tuam, quàm aliorum interrogationem videri ſciſcitantium, quonam arcano conſilio Carolus V. Cæſar ſeipſum Imperio abdicarit. Hominem contemplare, qui ſi potentiam ſpectemus, ſeptem annos ſupra triginta Imperium eorum omnium, quæ vnquam aſſecuti fuerint mortales, maximum adminiſtrauerat; ſi gloriam, ſuas ipſe victorias in omnes terrarum Orbis partes protenderat; de potentiſſimis Exercitibus triumphauerat, tot tantosq; Viros Principes prælio cœperat: ſi opulentiam, argentea flumina prorſus immania, aureique montes immenſi tributa illi pependerant inexhauſta: Eiuſmodi, inquam, hominem contemplare, qui ex altera parte noua comminiſci vix poſſet, quibus aut ambitionem aleret, aut cupidinem oblectaret, ex altera verò, laboribus, curis, annis confectus iam erat, artuum doloribus cruciabatur, eosq; properantis mortis prænuncios perſentiebat; qui donatus etiam diuinitus fuerat filio, & qui ſapientiſſimus erat, & virtutibus omnibus ornatiſſimus, & omnium quotquot vnquam regnauerunt, regnis adminiſtrandis aptiſſimus: Tum verò mirari, quod ſenex Imperator Regna transferret in eiuſmodi filium, ſibique ſeceſſum eligeret, mitiſſimi ac feraciſſimi Cœli, reditibus ampliſſimis, magnoque famulantium numero vtens, ſibi denique commoda retinens vniuerſa, quæ Imperium præſtaret, Imperij curas ac moleſtiam in hac rerum conditione deponens. Et quod ibi in celeberrimo ſanctiſſimoq; Cœnobio vnicè coronam illam ac gloriam quæreret, quam vnam ſupra tanti Regni faſtigium ſupereſſe videbat; hoc eſt, Cœleſtem veréq; immortalem? Enimuero quiſquis tam perſpicuas, tam ſolidas eiuſce facinoris cauſas contemplatus, alias arcaniores, quaſi neceſſarias inquirit, is quidem quanti ſit pretij, vel terra, vel Cœlum nihil intelligit.

1. HÆc habui, quæ de naturali fœlicitate diſſererem: quæ ſi aliquo digna eſſent honore, eum vtrique ſatis ſuperque aſſecuta fuiſſent hoc vno, quod theatrum panegyrimq; ſortita ſunt tam ſublimium Auditorum. CAPVT VLTIM. Cõclusio.

Haud tamen illud præteriero, quod vos præ me longè intelligitis; nimirum naturalem hanc fœlicitatem vix vmbram illius eſſe fœlicitatis, qua vel in hoc terrarum Orbe ij, qui cœleſtem naturæq; fines excedentem amant fœlicitatem, vberrimè perfruuntur; nempe vnicè amare Numen illud, quod beatitate fruitur infinita atque immortali, nectar illud eſt, quo amator omnis

 mor-

Digitized by Google

mortalium ærumnarum dulceſcere, omniſque terrenarum voluptatum dulcor deſipere queat. Fœlicitas quippe mortalis vitæ maximè cæteroquin deficiens eſt, neque Paradiſus in præſentia terreſtris, ſed cœleſtis tantummodo inuenitur. Vt planè non defuerint, qui fęlicitatem vllam naturalem obtineri poſſe ab hominibus negarint, aſſerentes, vix decuiſſe Numinis ſapientiſſimi prouidentiam procreare hominem, niſi vt eum ad conſortium aſpectumque Summi Opificis participandum extolleret: quippe, inquiunt, fuiſſet alioquin homo, dum viueret, miſer; vbi viuere deſiiſſet, inutilis. His equidem non adſtipulor: illud tamen indubitatum eſt, quicquid fœlicitatis tribui à Natura poteſt in terris, illud omne haud poſſe cum ea voluptate conferri, qua cœleſtibus rebus addicti ex concepta beatitatis cœleſtis perennisq; ſpe, liquidiſſimè perfruuntur. Quare licet hi ſub mortem à virtute deficerent, & inferorum ſupplicijs addicerentur, (Quanquam hoc, quæ Dei clementia eſt, rariſſimè accidit) nihilo tamen minùs in hac ipſa vita multò plus iucunditatis hauſiſſent, quàm aut corporis voluptatibus Sardanapalus, aut gloriâ nominis Alexander, aut Imperio terrarum Auguſtus. Nempe dulcius multò ſuauiusq; eſt, Cœli nectar, quanquam ſpe tantummodo delibatum, quàm huiuſce telluris fæculenti latices, licet poſſeſſione ipſa poti ac toto pectore hauſti.

Sic eruditæ tantorum Virorum diſceptationes abſolutæ: Quorum recordatione pagellas meas inſigniſſe præclarum duco; illud ſanè intelligens, vel ab ipſis nubibus, hoc eſt, vmbrarum parentibus, lucem tamen afferri, cùm perſonam ipſam, ſpeciémq; Solis induunt ac repræſentant.

LIBRI QVARTI FINIS.

Con-

Digitized by Google

Concluſiones ex Libro Quarto deſumptæ.

1. Nomen fœlicitatis humanæ ſonat ſtatum inter homines inſigniter bonum. Sita eſt præcipuè in medijs, non in finibus bonorum. Spes ac timor inprimis fœlicem aut miſerum hominem faciunt.

2. Vitæ diuturnitas meritò deſideratur. Inualida ſunt argumenta, quibus vel Stoici vel Epicurei mortem è malorum numero exigunt. Mortem inferre ſibi ipſi nunquam licet, optare licet.

3. Salus corporis optabile bonum eſt, tanquam vitæ cuſtos, & contra dolores munimentum. Ægrotationes ne vt perficiant quidem virtutem, iure deſiderantur.

4. Corporis robur priuati hominis extra militiam fœlicitas non omnino requirit: ſecùs verò fœlicitas vniuerſæ cuiuſpiam gentis.

5. In omnem vitæ ætatem, pueritia, & vltimo ſenio exceptis, fœlicitas cadit, maximè verò in iuuenilem ac virilem.

6. Scientia ſummum eſt humanorum bonorum. Ideo ſcientia ſpectatiua, quà ſpectatiua melior, quàm actuoſa: Aliqua tamen ſcientia actuoſa melior ſpectatiuis. Eiuſmodi Ethicen eſſe, probabile eſt.

7. Scientiæ vacuitas non eſt ſummum inter mala. Ideo non pauci ſcientes ſimul & miſeri.

8. Non ideo ſapientia eminet inter bona, quod ad comparandas artes neceſſitati aut voluptati famulantes conducat, aut quod in cæteros homines dominetur; ſed hoc habet, tum per ſe, atque omni ſeparata vtilitate, tum quia virtutem & gloriam alit. Plus gloriæ aſſequitur, quàm Potentia. Vtramq; gloriam ſuperat virtus militaris, non tamē æquè optabilis, quoniàm magis in arduo ſita.

9. Ingenij vis, Patriæ dotes, mentis habitus partes fœlicitatis ſunt, quoniam conducunt ad ſapientiam comparandam.

10. Præcipua pars fœlicitatis gaudium eſt. Plerumque minus eſt gaudium illud, quod ab animi errore, quàm quod à vera notione oritur. Veruntamen vt in humanis, aliquod etiam gaudium prioris generis ad fœlicitatem deſideratur.

11. Fal-

11. Falsò quidem Epicurei fœlicitatem in voluptate corporis collocarunt: animi tamen voluptas ex aliquo mentis errore plerumque dulceſcit.

12. Senſiles voluptates, quà ſenſiles, non aliter ferè placent, niſi tanquam dolorum medicamenta. Ideo in illis non eſt poſita fœlicitas. Auditus & viſus delectatio ad animum inprimis pertinet. Corporis cruciamenta, cæteris paribus, acerbiora ſunt, quàm moleſtiæ animi. Idcirco vacuitas doloris, qui ad tactum pertinet, neceſſariò ad fœlicitatem deſideratur. A doloribus tactus nulla humanæ poteſtatis celſitudo immunis.

13. Amari, vel omni emolumento ſublato, eſt in magnis bonis. Nil ad amorem vniuersè conciliandum efficacius germana virtute.

14. Amorem creant ſpeciei præſtantia, affatus ſuauitas, ingenium, peritia denique artium omnium, quæ admirabilitatem cient. Nec minùs nobilitas, ea inprimis quam fecit Progenitorum bene de Rep. meritorum virtus.

15. Amari magis, quàm in odio haberi, pars eſt neceſſaria fœlicitatis.

16. Vtiliora ſunt amoris, quàm timoris incitamenta, vt Princeps id à ſubditis obtineat, quod ſua ipſius nominatim intereſt: ſecus vt ea obtineat, quæ ad commune bonum pertinent.

17. Infinita fęlicitas Dei ratio eſt, cur nec ille peccatis noſtris contriſtetur, nec ex honoratione aut contemptu plus minusve fœlix euadat.

18. Philautia Stoicos atque Epicurᶒos decepit, dum fœlicitatem noſtram nobis arbitrariam aſſeuerarunt: ſine virtute tamen, quæ nobis arbitraria eſt, fœlicitas eſſe non poteſt.

19. Optabilis eſt natalium ſplendor, modò nec patrimonij vires excedat, nec potentioris cuiuſpiam ſuſpicionem irritet.

20. Quadamtenus optabilior eſt conditio muliebris, quàm virilis, ſecùs tamen abſolutè.

21. Re generatim ſpectatâ, inter homines eiuſmodi conditionis, qui lege vel vſu incapaces ſint publicę adminiſtrationis, ſatiùs eſt naſci ſub libera Ciuitate, (modò non in illa) quàm ſub Rege: Inter capaces ſatiùs eſt naſci ſub Rege.

22. Nul-

Digitized by Google

22. Nulla eſt conditio magis fœlicitati, virtuti, decantatisq; aurei ſæculi dotibus oppoſita, quàm ruſticorum.

23. Ingens opulentia tum demum pars fœlicitatis eſt, cùm virtutem comitatur, ſed re vniuersè ſpectata ſatius eſt ſortiri mediocritatem fortunæ, modò ſuprà natalium conditionem.

24. Quælibet potentia deſiderabilis eſt, dum modò eam nec peculiaris aliquis potentiæ defectus, nec vitium comitetur. Ea verò, quæ per antonomaſiam vocatur *Potentia*, hoc vno continetur, vt multorum hominum vis&impulſiones potenti obſequantur: cui proinde liberum eſt multos oblectare, vel torquere, vel interimere.

25. Verum eſt hoc paradoxum. Potentes plerumque probitate cæteros præſtant.

26. Hæc quæ per antonomaſiam *Potentia* vocitatur, duplicis potentiæ priuationem peculiarem vtique ac grauem ſæpè iunctam habet. Nihilominus, ſi in Virum ſtudioſum, Regniq; capacem incidat, iure, ſubditisq; volentibus dominantem, ad fœlicitatem ſpectat, aliàs verò nequaquam.

27. Re vniuerſim conſiderata optabiliſſima natalium conditio eſt, claro atque opulento loco naſci priuatum.

28. Summa mortalium fœlicitas, vel ad amuſſim voluptatis eſt, viuere ad Dei legem ac voluntatem. Idq; ita ſe habet etiam in ijs, qui poſtea in vitia labuntur, ac detruduntur in Tartarum.

Digitized by Google

INDEX
Rerum principalium.

A.

Academia. Princeps Academiæ Plato. lib.2.c.14. num.4. In quo differunt Academia noua, & vetus, media, ibid. Dicta à quodam Semideo Academo, ib.

Accidentia & operationes quomodo ſint media ad ſubſtantias tanquam ad fines, lib.3.c.12.n.1. & ſeq.

Acquiſitio boni cur maiorem pariat lætitiam, quàm poſſeſſio, lib.4.c.23 n.1.

Adamus cur extra Paradiſum creatus, l.4. c.52. n.7

Adoleſcentia parum ad fœlicitatem idonea, l 4. c.12 nu.1. Nonnulli Adoleſcentes fœlices, ib.n.2.

Ægrotatio. Vide Infirmitas.

Ægroti cur magis excedant, quàm ſani, l.4.c.26.n.5.

Æquiuoca. Quanti ſit momenti ea in diſputationibus animaduertere, l.3.c.54. n.1.2.& ſeq. Hiſtoriola circa Æquiuoca, ib.n.2.

Ætas. Quanam ſit ad fœlicitatem aptior, l.4.c.12.n.1.& ſeq.& c.13.

Affectiones. Excitari eas oſtenditur, vel per apprehenſiones ſine iudicio, l.3.c 50.n.2 & 3. Modus eas excitandi, quem docet Quintilianus, ib.n.7. Diſcrimen, quo Orator & Poeta eas excitant, ib. c.51. n. 8. Vide Commotiones animi.

Affinitas cur optabilis, lib. 3. cap.37. num.5.

Albericus Cibo Princeps Maſſæ fruitur ſenectute beata, l.4.c.13.n.1.

Album. Exempla nonnullarum rerum, quæ, licet ſint alba, videntur nigra, aut contrà, l.2.c.17.n.3.

Alchimiſtæ. Vide Chimici.

Alexander Magnus humanus aduerſus Reginas Perſarum, l 1.c.27.n.2.

Alexander Farneſius intrepidus in Ponte Antuerpiæ, l.1.c.9.n.2.

Alexander Vrſinus. Vide Cardinalis.

Amicus obtegere debet Amico ea, quæ illum moleſtia afficerent, l.1. c. 12. num.8.
Amicis cur ita gratus conuictus, lib.1. c.41.n.4.
Duorum Amicorum ſors à Rege exoptata l.3.c.31.n.3.

Amicitia. Oſtenditur contra Epicuræos, eam eſſe bonum finale, ib.
Cum Brutis intercedere non poteſt, niſi imperfecta, l.3.c.15.n.2.
Quo pacto bona ac mala faciat Amicis communia, l 1.c.40.n.1.

Amicus debet amico diſplicere, vt illi proſit, l.1.c.18.n.5.
Quomodo Deus, cùm diligat Creaturas amore amicitiæ, ſit ſolus finis vltimus, l.3 c.35.n.1.

Admirabile minùs pretioſum aliquando, quàm non admirabile, lib.3. c.20. n 8.

Ad-

Digitized by Google

Admiratio tunc placet, cùm non cedit in contemptum admirantis, l.1.c.2.n.10

Amor proprius primus amor, lib 1.c.34. num. 2. Minuit, non auget opinionem propriæ fœlicitatis, l.3.c.22.num.1. Cur ij amentur, qui naturæ dotibus eminent lib.4.c.31.n.1. Amari etiam Deo placet, & eſt ei bonum, lib.3. cap.33. num.1. & ſeqq. Amari, cur bonum in ratione finis, l.3.c.31. num.3. Amor amicitiæ quid ſit, & quo pacto ſoleat includere gaudium & deſiderium, lib. 1. c. 39. num.2. Omnis amor delectationem includit l.3.c.39.n.1. Cur ita delectet amari, l. 4.c.29.n.1. Cur dolorem afferat amati abſentia, l.3.c. 27.num.4. Quo pacto amor contrarius dicatur, & ſocius reuerentiæ, l.4.c.33.n.1. Vtrum ſatius ſit Principi amari, an timeri. Vide Principem.

Amor numquam peccatum eſt, quatenus alicuius boni amor; ſed quatenus maioris boni deſpectus, lib.2.cap.vlt.num.1. Amor Beatorum erga Deum eſt puriſsimum gaudium, ac poſſeſsio Beatitudinis, l.1.c.39.& 40.n.1.& ſeq.

Andreas Eudæmonioannes Societ. Ieſu. Eius Elogium, l.2.c.2.n.1.

Annulus Gygis oculis imperuium gerentem reddebat, l.1.c.84.n 3

Angelus vtrum ſit Homine fœlicior. Cauſa dubitandi, lib.3.c.25.num.2. ib.c.29. num.1

Anima. In ipſa oſtenditur propriè conſiſtere noſtrum eſſe, l.3. c.37. num. 6.7 Vtilis anima eſt coniunctio corpori, lib.3. c.28. num.1.2. Segregata à corpore non acquirit naturaliter cognitiones nouas, eſt tamen in ſtatu minus fœlici, quàm tunc cum corpori vniebatur, l.3.c.28.n.3. Animarum Metempſycoſis, l.1.c.8.n.1

Animal cur debuit eſſe capax doloris, lib.2 cap.51. num.4. & ſeq. Pluries rectum videt, quàm erret & maiori ſi uitur voluptate, quàm crucietur dolore, ibid. num. 8. Quænam animalia ſint prædita vi ac potentia motiua, lib.1. cap.12. num.4.5

Anneus Memorantius fœliciter diem ſuum obijt in bello, l 1.c.9.n 3

Annibal cur libenter tolerauerit plurimos labores, l.1.c.18.n.4

Antiquis cur magis videatur fauiſſe Natura, l.1.c. 2.n.1. Cur veneremur antiquitatem, lib.1.c.16.n.3

Antonius de Leua podagricus circumlatus lecticâ pluribus decoratur victorijs, l.4 c.10.n.2

Antonius Querengus. Vide Querengus

Antuerpiâ captâ quemadmodum gauiſus ſit Philippus II. l. 4.c.22.n.4

Appetitus ſenſitiuus. Vide Senſum

Appetitus primus actus potentiæ appetentis, lib. 2. cap.8. num. 2. Eſſe poteſt circa non melius, ſed non circa non bonum, ibid. Eſt gaudio communior, l.2 c.12.n.1.2. Plerùmque eſt prior gaudijs peculiaribus, licet aliquod gaudium ſit prius omni appetitu, ib.num.2. Neceſſe eſt eſſe ſemper aliquid, quod primò moueat appetitum, lib.1.c.24.num.1. Notior eſt gaudio, quia ſapiùs ſub experientiam cadit, lib.2.c.12.num.4. Cur datus à Natura, ib.n.5. In Brutis regitur à Natura, l.1.c.20

Apprehenſio quemadmodum valeat ad excitandas affectiones, l.3. c.50.num.2.3 Omnis ſapientia ſita eſt tanquam in radice, in celeritate & fœlicitate appre-

hendendi, l.3.c.55.n.5. Res apprehendere eſt perfectio, l.3.c.49 n.6. Etiam in actibus falſis, l.3.c.52.n.1. Apprehenſio finis eſt Poëſeos, l.3 c.49.n.6. Quàm placeat apprehendere, ibid.

Arceſilas negabat vllam opinionem eſſe alterâ probabiliorem, l.2 c.14.n.4.

Archimedes modum excogitat deprehendendi pondus auri ſubducti per fraudem ex votiua corona, l.1.c.44.n.2. Arenas numerat. Vide Arenas.

Arenarum numerus, quæ totum hoc ſpatium vſque ad Lunam occuparent, comprehenditur ab Archimede paucis figuris arithmeticis: à Clauio verò duabus ſupra quinquaginta figuris numerus earum, quæ Orbis totius vſque ad firmamentum ſpatium occuparent, l.2.c.42. n 2

Argentum dictum à Democrito terra nobis inimica, l.1.c.11.n.4. In minutiſſima diuiſum ramenta videtur nigrum, l. 2. c.17 n.3

Argumenta Sophiſtica ad ea euincenda, quæ lumini naturæ aduerſantur, l.1.c.16.n.1 linguas vinciunt, non autem intellectus, ibid.

Argumentatio. Quemadmodum per ipſam noua eruantur veritates præter relatas à ſenſibus, l.2.c.30 n.1. Non fundatur omnino eo principio: Quodlibet eſt, vel non eſt. ib. Antiquorum opiniones de eius vi, l.2.c.14.n.3.& ſeq. Eſt prima radix omnium proprietatum, quibus homo differt à beſtijs, l.1 c.25.n.3. Argumentatio mentis neque conceditur à Scepticis vt probabilis, l.2.c.19.n.1. Quomodo negent vim, quâ ipſa in argumentatione pollet conſecutio, l.2.c.18.n.1. Argumentatio differt à iudicio, l.3.c.44.n 5

Ariſtides quomodo & cur amandatus à Patria, l.4.c.30.n.4.

Ariſtoteles in philoſophando cum Platone collatus, l.2.c.4 n.1. Non inueſtigauit mirabilia, ſed ſuas opiniones in communioribus hominum ſententijs ſtabiliuit, l.2.c.4.n.1. Qua in re præcipuè cæteris omnibus in Ethicis præcellat, & vbi-nam campum poſteris adſcribendum relinquat, l.2 c.5.n.11

Artes nihil producunt, ſed vel demunt & ſeparant importunè iuncta, vel ſegregata vniunt, l.2.c.45.n.7. Ars operatur applicando naturæ vires, l.2 c.4 num.5 Artium ad humanam vitam vtilitas, l.3 c 20 num.6.7.& ſeq. Minus quæ habent vtilitatis ac neceſſitatis, ea præſtantiores, l.4.c.14 num.4.5. A quo regantur principio artes coniecturales, l.2.c 33 n.1

Artes liberales non magni olim fiebant in Rep. Romana, l.4.c.44 n.1.& ſeq.

Athei non poſſunt eximere ſe à terrore diuinæ vltionis, l.4 c.38.n 3

Atomi Democriticæ æquè facilè hoc & alio pacto poſſent inuicem iungi, l.2.c.41 n.3 Quæcunque atomorum coniunctio infinities in æternitate fieret, ib.n.3.& ſeq. & c.42

Auaritia. Eius infœlicitas, l.4.c.51.num.2 Cur auarus acquiſitione pecuniæ gaudeat, l.4.c.22.n.6

Auctores quomodo laudandi, l.2.c.9

Auctoritas. Quanti facienda communis opinio, l.3.c.26.n.1. Quanti opinio Sapientum, & plurium, l.2.c.37.num.4 & c.39.num 2.& ſeq. Quando nam auctoritas poſthabenda rationi, l. 2. cap.39. num 3. Sapientum auctoritas impugnatur à Scepticis l.2.c 21.n 22

Eo-

Digitized by Google

Eorum obiectis ſatisfit, l.2. cap.37.38 & 39.
Auditus Vide Senſum auditus
Aurum. Opinio Chimicorum de ſemine auri & metallorum, l.2.c.3 n.2. Quando inceperit cudi Romæ, l. 4. c 15. num. 4. Prima ætate poſthabitum ferro, l.1.c.11 Eius pretium ſitum eſt non tam in ipſius eſſe, quàm in defectu alterius auri, l.2.c.3.n.2

B.

Barnabas Vicecomes de Sententia Vrbani V. ad omne matrimonium ineptus, l 4 c.43.n.3
Beati. Cur inæqualitate beatitudinis omnium abundè deſiderijs fiat ſatis, l.1.c 41 n.2 & ſeq. Quomodo contenti, cùm non habeant quicquid deſiderant, l.1.c.42 n.1. Beati nequaquam in errore verſantur, ſed habent ignorantiam, quæ dicitur negationis, l.3 c.48.n.3.4. Quo pacto eorum Beatitudo ſit Deus, l.1. c.36 n.4. & c.37.n.31. & ſeq. Eorum beatitudo nequaquam eſt pulchritudo Dei, l.1.c 45.n.3. & c.47.
Beatitudo bonorum omnium cumulus, l.1 c.34.n.1. Beatitudo naturalis de Ariſtotelis ſententia debet eſſe actus vitalis, l.1.c.45.num.4. Cur ea, quæ eſt ſecundùm naturam, conſiſtat in rerum cognitione, non autem in ipſis rebus: ea verò, quæ eſt ſupra naturam, ſita ſit in Deo, qui cognitioni obijcitur, & non in ipſa cognitione, l.1.c.38.num.2 Beatitudo, quæ eſt ſupra naturam, à S. Thoma ſita eſt in actu voluntatis, & cur à Scoto in amore, ab Aureolo in delectatione, l.1. cap.39. num.1 Trium harum ſententiarum conuenientia inter ſe, ibidem. Euincitur Beatitudinem hanc ſitam eſſe in Deo, eius verò poſſeſſionem eſſe viſionem, amorem & gaudium, l.1.c.48. num.1 & ſeq. Quilibet viſionis gradus eſt ad Beatitudinem ſatis, l.1. cap.41. num.3 Beatitudo inæqualis vnde, ibidem numero 4. Oſtenditur Beatudinem Sanctorum non eſſe Dei pulchritudinem, lib. 1. cap. 45. num. 3. & cap. 47. Eorum Beatitudo quo pacto ſit Deus, l.1. c.36.num.4. cap.37. num.32. & ſeq. Eorum Beatitudo debet eſſe bonum infinitum, l.1 cap.36 num.4. Quomodo ſit eius pars viſio Dei, ibidem. Beatitudo Dei, eſt eorum, qui eum diligunt, fœlicitas, ſupplicium verò eorum, qui eum oderunt, l. 1. cap. 43. num. 2. Haud eſſet perfectè beatus, qui Deum videret, & non eum amaret, l. 1. cap. 44. num.1.2 Oſtenditur Deum eſſe Beatitudinem, lib. 1. cap. 45. num. 2. Beatitudo Chriſti Domini non conſiſtit in vnione Hypoſtatica, ſed in viſione Dei, l.3.c.45 num.8
Beſtiæ. Vide Bruta
Bellum quomodo neceſſarium communi vtilitati, l.1.c.18.n.3
Beneficium Cur honeſtiùs alijs, quàm ſibi beneficia conferre, l.1. cap.34. num.3 & c 31.n 1
Bernardinus à Corte, qui arcem Ticinenſem Gallis prodidit, ab ipſis odio habitus, l.1.c.27.n.1
Bilioſi voluptates præ cæteris cupiunt, & cur, l.3.c.27.n 3
Bonum. Eius cognitio non minùs acquiſitu difficilis, quàm eius poſſeſſio, l.2 c.3. num.1. Eius cognitio neceſſaria, ibidem.

Digitized by Google

Bonum benè ab Ariſtotele explicatur eſſe quod omnia appetunt, lib. 2. c. 6. num. 1. Boni eſſentia in eo à Capreolo conſtituta, quod poſſit appetitum allicere, ibid. Sed impugnatur à Plotino, Seneca & Caietano, ibid. Benè conſtituitur à Plotino in hoc, quod ſit participatio primi boni, lib. 2. c. 6. num. 3. A S. Thoma in eo quod ſit Actus, ibid. A Cicerone definitur, id, quod natura conſtituta in ſuo perfecto ſtatu, conuenit, lib. 2. cap. 6. num. 3. A Platone in eo ponitur, quod ſibi ſufficit, ibid. A Durando in conuenientia vnius rei cum alia, & refutatur, ibid. Bonum definiri non poteſt, cùm eius notio ſit ſuapte naturâ manifeſta, lib. 2. c. 7. num. 1. & cap. 8. num. 1. Explicatur hac proprietate, nimirum quod omnia illud appetunt; & oſtenditur hanc proprietatem eſſe vniuerſaliorem, præſtantiorem, intellectu faciliorem & primum, lib. 2. c. 8. n. 1. & ſeq. Bonum increatum, ideo appetibile, quia finis rerum omnium, lib. 2. c. 8. n. 2. Bonum creatum eſt creabile, atque adeo appetibile à Deo, ib. Bonum non exercet ſuas vires niſi in potentijs appetentibus. Id quod eſt alicui bonum, eſt alteri malum. Vnde infertur, non poſſe diſtingui boni & mali principia, l. 2. c. 47. n. 1. & ſeq. Minùs amatur bonum, quàm odio habeatur malum, lib. 2. cap. 51. num. 4. Quomodo intelligi debeat, quod omne eſſe ſit bonum, l. 3. c. 16. num. 1. & c. 17. num. 1. & ſeq. Proponitur numerus bonorum, l. 4. c. 4. num. 1. Bonum honeſtum. Vide Honeſtum. Bonum finis. Vide Finem. Bonum vtile. Vide Vtile. Bonum delectabile. Vide Delectabile. Bonum medij. Vide Medium. Bonum tum ſenſuum, tum intellectus ſitum eſt in cognitionibus, & in delectatione, non autem in obiectis, l. 1. c. 45. n. 3. 4. 5. Bonum commune eſt ſuprema Naturæ lex, l. 1. c. 18. n. 2.

Bonum priuatum coniunctum à Natura, & Politica cum publico beat Mundum, l. 1. c. 23. n. 5

Bona neceſſaria, minora; ſuperflua verò, maiora, l. 4. c. 17. num. 3. Defectus bonorum neceſſariorum, licet minorum, maius malum, quàm defectus ſuperfluorum, licet maiorum, l. 4. cap. 7. num. 4. Bonum poſſideri poteſt magis, ac minùs perfectè, l. 3. cap. 44. num. 1. & ſeq.

Bruta. Cur in penſanda honeſtate non debeamus reſpicere bonum eorum, l. 1. c. 30. num. 1. Ea excruciare ſine vtilitate noſtra non caret culpâ, ibidem. Areopagus damnauit morti Puerum, qui voluptatem capiebat in eruendis oculis coturnicibus, ibid. num. 4. S. Blaſius beſtias curabat, ibid. num. 1. Bruta in iudicando vtuntur quibuſdam primis principijs, l. 3. cap. 31. num. 1. Rem aliquam eſſe cauſam alterius cognoſcunt, lib. 2. cap. 32. num. 3. Errant facilè in ſuis ratiocinationibus, ibid. num. 6. Habent voluptatem pro fine, l. 1. cap. 20. num. 1. Ijs voluptatibus parum fruuntur, quæ non ſunt medicina doloris, l 4. cap. 27. num. 1. Ex quibus-nam ſenſibus voluptatem hauriant, l. 3. cap. 31. num. 1. Proprij boni capacia, l. 3. cap. 15. num. 1. & ſeq. Capacia amicitiæ imperfectæ, perfectæ verò nequaquam, ibid. num. 1. 2. Amantur à Natura amore beneuolen-

Digitized by Google

uolentia, & Mundus etiam pro illis factus eſt, l.3. cap. 18. num. 1. & ſeq. Propter hominem producta, l.3.c.29. Quo pacto erudiantur ad opera mirabilia, l.2.cap.32. num.6. Stolida, ſi cum homine conferantur, l.3.cap.20. num.6. Rationes dubitandi, vtrum Bruta propter hominem, an ipſe ſit propter Bruta creatus, l.3.c.19.n.30.& ſeq.
Brauia magis proponuntur, vt bona ſpectantium, quàm victorum, l.3.c.29. num.2.

C.

Calamitas. Vide Miſeria.
Caluinus ipſum Deum peccatorum Auctorem facit, l.2.c. 48.num. 1. Confutatur, ibid.
Camilla Vrſina, Princeps Sulmonæ. Eius Elogium, l.1.c.4.n.2.
Cardinalis Alexander Vrſinus. Eius elogium, l.1.c.4.& 5.& de eo vbique.
Charitas qua vtatur regula, l. 1. cap.31. num.1.2.3.
Carolus V. Eius virtus, l.1.c.9.num.2. Cur ſe abdicarit Imperio, l.4.c.6 n.3.
Caſus vtrum poſſit rectas affectiones producere, l.2.c.40.n.4.5.& c.41.n.1. & ſeq. Effectus qui ſunt à Caſu, ab iis differunt, qui vel ab arte oriuntur, vel à Natura, l.2.c.44.n.2.& ſeq. Plures effectus ſunt Arti fortuiti, non Naturæ, ibi. num.5. 6. Nullus effectus à Caſu vnicè pendet, ibid.num.7. Cur, cùm multa Artis opera poſſint eſſe fortuita, non tamen fortunæ & caſui tribuantur, l.2. cap.43. num 5.6.7. & ſeq. Plures effectus fortuiti ſolùm ſunt, ſi noſtras cognitiones attendamus, plures autem ab ipſis cauſis dicuntur fortuiti, l. 2. c.44.n.1.& ſeq.
Caſtigatio. Vide Pœna.
Cauſa non ſolùm, vt dicunt, eminenter, ſed formaliter continere debet in ſe ſui effectus perfectiones, l.2.c.49.n.3. Cauſæ ſingulares non ſatis habent virium ad producendos effectus, qui ſub oculos cadunt ſine adminiculo alicuius cauſæ vniuerſalis, l.2.c.45.n.4. Nulla cauſa poteſt aliquid impertiri, quod ipſa ſaltem eminenter non habeat l.2.cap.40. n.5.6. Vnde arguatur aliquid eſſe cauſam alterius l.2.c 32.n.3.
Certitudinem & probabilitatem oſtendimus dari ſtantibus etiam Scepticorum fundamentis, l.2.c.23.n.2.
Chiſius. Fabij Chiſij Doctrina, Prudentia, probitas & conſtantia, l.3.c.1.n.2.
Chimici. Eorum ſententia de ſemine auri & metallorum, l 2.c.3.n.2.
Ciampolus. Eius elogium, lib.2.cap.22. num. 2.
Cibus magni ſaporis, cur citò faſtidium creet, l.4.c.27.n.3. Suauitatem ſaporum amare non dedecet virum probum, lib.1.cap.20.num.3. Eſt ſecundum naturam, ib.
Cicero. Quanti fieret eius eloquentia, l.4. c.44. n.3.
Cicuta coturnicibus cibus, venenum hominibus, l.2.c.47.n.1.
Clima quantum profit ingenio, l.4.c.20. n.3.
Cœlum. Ex fide credere debemus eſſe inanime, l.b.3.cap.25. num.1. Oſtenditur cœleſtia corpora non eſſe ſub hominis poteſtate, lib. 3. cap. 24. num.1.2.
Cognitio ſenſuum amari à nobis poteſt vt finis, licet, quantum ad nos attinet, eſſet medium ad nos conſeruandos; l.1. c.19.

Digitized by Google

cap.19.n.3. Cognitiones intellectus, nequaquam ſunt fines, ſed media, l.1.c.12 n.7. Cognitiones practicæ ac contemplatrices, quo diſcrimine diſtinguantur l.1.c.12.n.7. Cognitio futurorum cur Deo denegetur à Tullio, l.2.cap 26.n 1 Cognitio cognoſcentem delectat, vel quia certum illum facit de re, quam deſiderat, vel ſi non eam deſiderat, quia veritatem aliquam nouiſſe delectat, l.1 c.38.n.1

Color, ex. gr. albus, non ille eſt, qui ſemel huiuſmodi videtur, ſed qui ferè huiuſmodi apparet, l.2.c.28.n.1

Comedere. Vide Edere.

Commotio animi. Quemadmodum recto iudicio obſtet, l.2.c.38.n.4. Homo huiuſmodi commotionibus occupatus, non ad Philoſophiam de moribus idoneus, l.2 c.38.n.4

Conceptus mentis. Vide Meditationes.

Coniunctio: Pauca etiam poſſunt diuerſimodè coniungi, l.2.c.41 n.2

Connexio inter omnia inuenitur, l.3.c.55 num.3

Concurſus diuinus. Vide Deum

Conſcientia. Cur ita bona conſcientia delectet, l.4.c.32.n.2

Conſeruatio non eſt vnicus rerum finis, l.3 c.7.n.2. & c.9

Contradictoria. Vide Pugnantia.

Conſtantia Martyrum cum conſtantia Philoſophorum comparatur, l. ,c.2.n.4

Contemplationes mentis reiectæ ab Epicuro tamquam inutiles, l.1. c.17. n.1. Contemplationes quantam delectationem afferant, ib.n.4. Velle nimis vlterius penetrare contemplando inuentâ aliquâ veritate, non fit ſine detrimento, l.2 c.9. num.2. Pulcherrima contemplatio poteſt fortuitò oriri vel ab ingenio mediocri, l.3.c.49.n.5

Contemptus diſplicet naturaliter omnibus naturis intellectu præditis, l.1.c.31.n.4 Quomodo poſſit dici malum Dei, l.4 c.3.n.3. Cur obſtet fœlicitati humanæ, non autem diuinæ, l.4.c.37.n.1.& ſeq.

Corruptio quo pacto permittatur naturæ, l.3.c.8.n.3

Creaturam cognitione vtentem expedit poſſe decipi & dolere l.2.c.51.n.1 & ſeq. Non poteſt frui fœlicitate ex natura, ſed tantùm ex gratia, l.2.c.51.num.2 Nullum poteſt poſſidere bonum niſi acceptum, l.3.c 44.n.3. Vtrum fieri potuerit creata ſolùm fuiſſe ſenſu carentia, l.3.c.34.n.1.2. Omnes creaturæ ſunt Deo ſimiles in aliquo, ac in illo proinde ſunt bonæ, l.2.c.51.n.3. Quia ſunt partim Deo diſſimiles, ideo malæ, & aliis noxiæ, l.2.c.50.n.3.4.5. Poſſunt deſtrui, l.1.c.31.n.5. Non poſſunt cruciari à Deo, niſi ex cruciatu aliquod aliud bonum eruatur, l.1.c.31.n.5

Curioſitas: quid ſit, & vnde huiuſmodi nomen, l.2.c.32.n.1

D.

DÆmones quo pacto ſe excrucient, l.1 c.43.n.3. Si Deum viderent, & adhuc odio haberent, fierent infœliciores, ib.n.4. Quæ ſit illorum pœna, damni & ſenſus, l.2.c.52.n.4. Cognitio beatitudinis eſt illis maximum tormentum, l.1.c.43.n.2. Incapaces etiam delectationum, quæ ex intellectu hauriuntur, l.1.c.12.n.7. Cur non delectatione aliqua fruantur ex hominum ſceleribus, l.1.c.43.n.1.& ſeq.

Damnati, quæ ipſorum pœna, damni & ſenſus, l.2.c.52.n.3.& ſeq. Habuiſſe aliquod

Digitized by Google

quod ius ad gloriam æternam in cauſa eſt, cur eádem carere ſit illis pœna, l.3 c.45.n.6

Decrepiti minimè ad fœlicitatem idonei, l.4.c.12.n.3. & ſeq.

Definitio quid ſit, l.2.c.7.n.2. Erui debet ex proprietate ſolùm vera & prima, l.1 c.25.n.4. Multa ſunt, quæ definiri non poſſunt, & cur id accidat, l.2 c.7. nu.2 In definitione alicuius vocabuli non ſatis noti, non licet vti illo eodem vocabulo, l.1 c.21.n.5

Delectatio. Quid ſignificet hoc nomen, l.1 c.11. num.3. In principe animæ parte gaudium dicitur, in ſubiecta verò voluptas, ibidem. Delectatio alteri delectationi contraria, l.1.c.13.num.1. Quia hoc nomine ferè exprimimus eam, quæ à ſenſu hauritur, ideo hoc nomen videtur abominabile, l.1. cap.15.num.2 Delectationis, quæ à ſenſu percipitur, damna, ibidem. Quo pacto huiuſmodi delectatio bearit hominem de Epicuri ſententia, lib.1.cap.16. num.5 & cap.17.num.2. Impugnatur, ibid. num.3. Delectatio omnibus ratione vtentibus communis eſt ſuprema Naturæ lex, l.1. c.18.num.2. Oſtenditur delectationem tributam à Natura, etiam vt finem, non tantùm vt medium ad conſeruationem, lib.3.cap.9 num.3. Delectatio ex cibo cauſa edendi, lib.1.cap.20. num.3. Delectatio in cibis medium efficax naturæ ad alimentum, ibid. num.4 Maior in hac vita eſt delectatio, quàm dolor, lib.2 cap 51. num.8. Homo maiori fruitur delectatione, quàm beſtia, tum ex animi, tum ex ſenſuum cognitione, l.3 cap.20. num.7.8. cap.2.21. & ſeq. Delectatio ſenſuum oritur ex cognitione veritatis, & appropinquatione rerum ad conſeruationem conducentium, l.3.c.27.n.1.2. Delectatio, quæ ex errore oritur, quæritur, vtrùm ſit pars fœlicitatis, l.4.c.21. num.2. & ſeq. Epicuri ſententia, bonum in ſenſuum delectatione conſtituentis, malum verò in dolore proponitur probabiliori modo, & refellitur, lib.4. cap.22. & ſeq. Delectatio in cogitandis rebus vetitis, quando ſit, vel non ſit criminoſa, lib.1 c.38.num.1. Cur honeſtè poſſimus abſtinere iuſtis delectationibus, & cur, cùm iis fruimur, non honeſtè plerumque operemur, l.1.c.35.num.6. Delectatio gloriæ & laudis. Vide Laudem, & Gloriam. Delectatio honeſtati contraria ea eſt, quæ maiori delectatione ſpoliat, lib. 1 cap.18.num.5. Quælibet vel parua delectatio poteſt honeſtè amari, dum non ſit vetita, & deceat nobilitatem noſtræ naturæ, lib.1. cap.34. num.3. & 4. Delectationem oſtenditur includi in amore & ſpe, lib.3. cap.39. num.1.2 Delectatio fœlicitatis coronis, l.3.c.40 num.1.2. Delectatio ſenſuum, licet eâ, tamquam medio, vtatur Natura, poteſt amari, vt noſtrarum appetitionum finis, l.1.cap.19.num.3. Propria delectatio eſt aliena menſura, l.1.c.37 num.2. Delectatio oritur ab honeſta operatione, licet cum difficultate, l 1 cap.9.num.3. Delectatio, quæ ab honeſto opere hauritur, longè maior eſt delectatione ſenſuum, ibidem. Delectatio non datur nobis ad conſeruationem noſtram dumtaxat, l 3. cap.9 n.5. Delectationes ſenſuum non videntur ab opinione pendere, l.4.c.22.nu.4

Digitized by Google

Delectatio ſapientia & honoris ſuperat ſenſuum delectationem, l.4.cap.27 n.5.6. Cur ita amari delectet, l.4.c.29 n.1. Delectationes tactus, medicinæ, l.3 c.27.num.3. Delectationes ſenſus, quæ non ſunt medicinæ, cur valde tenues, & in brutis quidem tenuiores, quàm in hominibus, l.4 c.27 n.1. Delectatio, Scientia ac Eſſe, bona, quæ ſola ſunt finalia interna, l.3.c.37.n.8. Delectationes impuræ ad quamdam ſpeciem morbi comitialis ab Hippocrate reducuntur, l.4 c.25.n.1. Delectationes ſenſuum aliæ medicinæ, aliæ verò non, l.4 c.25 n.1

Deliramentum. Quo pacto verè ſciamus nos non delirare, l.2.c.25.n.2

Democritus cur rideret. [illegible].c.11.n.4. Eius opinio de atomis, l.2.c.40.n.5. Quomodo propugnari poſſet, l.2.cap.41.n.1 & ſeq.

Demoſthenes attentos ſibi auditores fabellâ conciliat, l.3.c.24.n.3.4

Denarius. Vide Pecuniam

Deſcriptio. Quo pacto deſcribendo rem deſcriptam imitemur, l.2.c.2.n 4

Deus quas res externas non poßit velle, & cur non poßit mentiri, l.1.c.31.num.5 Non poteſt ea mala creaturarum velle, ex quibus non eliciat aliquid boni, l.1 c 3.n.5. Cur poßit res deſtruere, l.1 c.31 n.5. Dei nomen ſignificat primam cauſam à Mundo ſegregatam, & quomodo id negarint Athei, l.1.c.27.n.1. Non ſemper id permittit Deus, quod melius eſt; ſed id, quod ſatius eſt ſe permittere, l.2.c.54.n.1. Cur poßit velle peccatum voluntate permittente & indifferenti, l.2.c.51.n.4. Quomodo ſit ipſe Sanctorum Beatitudo, l.1.c.38.n.4. Quomodo illi placeat amari ac honorari, l.3 c.33 n.1. & ſeq. Non poteſt id velle, quod ſolùm ſit creatura, & non ſibi bonum, ibid.n.3. Vtrùm potuerit ſolùm ſenſu carentia creare, l.3 c.34.n.1.2. Cur non poßit ſibi placere efficaciter de ſceleribus aliorum, l.1.c.31.n 4.5. Cur neceſſe illi non ſit impedire omnino crimina, ibid. Oſtenditur dari vnum Deum ac vnum principium, l.1. c 45. num.4 c.47.n.3. & ſeq. A Caluino ſit criminum auctor, l.2.c.48.n.1. & ſeq. Refellitur, ibid. Deum eſſe, nulli rei poteſt eſſe malum, l.2.c.50.n.4. Non poteſt Deus errare, nec dolere, l.2.c.51 n.2. Quo pacto ſit vltimus finis, cùm amet creaturas amore amicitiæ, l.3.c 35 num.1. & ſeq. Quæritur vtrùm ipſe ſit Mundi vnicus finis, cui; Mundus verò finis, qui, l.3 c.3.n.1. & c.35.n.1. & ſeq Quæ ſit diuina libertas, l.2.c.53 num.1 & ſeq. Sine aliqua cognitione, qua cognoſcamus Deum, non poſſumus honeſtè operari, l.1.c.33.n.1. Quo pacto offendatur ab Atheis, l.2.c.58.num.18 & ſeq. Suo ipſe placito rem facit licitam vel illicitam, l.2.c.33.n.1. & ſeq. Nullam habet regulam honeſtè operandi niſi proprium placitum, l.1.c.34.n.3 Quomodo non poßit mentiri de Platonis ſententia, l.3.c.6.num.3. Cur ſemper cum ſumma honeſtate operetur, l.2.c.53 n.3. Diuina Natura explicatur eſſe à ſe, l.3.c.44.nu.3. Deum cum cauſis quas dicunt ſecundas, concurrere, oſtenditur aduerſus Durandum, l.2.c.49.num.1. & ſeq.

Dialectica cum putamine oui confertur, l.2.c.14.n.1. Eius problematibus nituntur Ethices problemata, l.2.c.14.n.1

Dif-

Digitized by Google

Difficultas non communicat primò, ſed auget honeſtatem rebus alioquin honeſtis, l.1.c.35.n.1. Quid ipſa ſit, & quo pacto demat interdum omnem rebus honeſtatem, ibid. Semper minuit bonitatem, & tamen honeſtatem interdum auget, l.1.c.34.n.1.& ſeq.

Diodorus Sophiſta negat omnem motum, contrarium tamen à Medico conuincitur, lib.2.c.23.n.2

Diſcurſus. Vide Argumentationem

Diſplicentia. Vide Dolorem

Diuitiæ. Incommoda rei familiaris maioris vel minoris conditione poſſidentis, l.4 c.51.n.1.& ſeq. Diuitiæ, ſi prudentiæ famulentur, beant, l.4.c.48.n.1.& ſeq. Diuites fruuntur fœlicitate ætatis aureæ, l.4.c.49.n.4. Diuitiæ abundantes ſunt meliores hominibus virtute præditis, quàm mediocres, l.4.c.4.n.1. Earum emolumenta, l.4.cap.40.num.1 Oſtenditur eſſe neceſſarias ad ſcientias & gloriam bellicam, l.4.c.50.num.1 & ſeq. Diuitiæ mediocres, ſed quæ conditionem aliquanto excedant, meliores ſunt ſuperfluis, niſi aliquid ſupponatur, l.4.c.5.n.1.& ſeq. Cur ſummæ diuitiæ, cùm ſint malæ, à pleriſque optentur, & dentur à Deo tanquam beneficium, l.4 c.52.n.1

Diuiſio generis in ſuas ſpecies vtilis ad manifeſtandas noſtras meditationes, l.2 c.7.n.5

Dogmatici quid de Argumentatione ſentirent, l.2.c.14.n.3

Dolor vnicum malum, quod ex ſe odio habeatur, l.1.c.15.n.4. Magnus dolor exiguæ proſperitatis gaudium abſorbet, l.1 c.43.n.1. Dolores corporis atrociores, quàm dolores animi, l.4.cap.8.num.2 Dolor cur neceſſarius in creaturis libertate fruentibus, l.2.c.52.num.1 & ſeq. Dolere peius malum, quàm non eſſe, ibi. Eſt malum quo, ac ſine illo nihil eſt merè malum, l.2.c.52.n.3.4. & l.4 c.6 n.3. Eſt explorator rerum, l.4.c.5.n.1 Dolores ſenſuum pars maxima ærumnarum, nec ab ipſis eximunt diuitiæ, l.4.c.28.n.1. Dolor non eſt malum poſitiuum, & cur omnis Creatura, quæ poteſt appetere, poſſit dolere, l.2.cap.51 n.1.2. A quibus rebus oriatur, & cur à Natura inſtitutus, ibid. n.4.& ſeq. Cur interdum maior proueniat dolor è rebus minus noxijs, quàm è magis noxijs, l.3.c.51.n.5. Doloris emolumenta, l.2.c.51.n.5

Dominatio cur, cùm ſit infœlicitas, tribuatur à Deo vt præmium, l.4.cap.60 num.1.& ſeq. Dominationes & Regna ſceleribus parta; Proferuntur de his exempla, l.1.c.23.n.7

Dominium ſuper fœtus ingenij maius cæteris omnibus, l.1.c.1.n.2. Captiuis, Reis, Religioſiſq; Viris numquam adimitur, ibid. Dominium liberum ac tutum propriarum rerum vtile ad commune bonum, l.1.c.18.n.2. Dominium in corpora, in quo conſtituatur, l.3.c.23.nu.2 Ius ad aliquod bonum efficit, vt idem maiori perfectione poſſideatur, lib.3 c.44.n.2.& ſeq. Ius ad aliquod in cauſa eſt, cur ille ſit infœlicior, qui illo bono careat, l.3.c.45.num 6.7. Cur omnes habeant dominium in rebus à ſe productis l.3.c.43.n.7

Dominari. Cur dominandi deſiderium nobis à Natura datum, l.2.c.12.n.5

Docti. Vide Sapientes

Doctrina. Vide Scientia

Dubium melius ignoratione, & tamen Beatis negatur, l.3.c.48.n.4

Durandus bene firmat ſuas opiniones, l.2 c.6.n.4

E

EDere operatio ex ſe moleſta, ſed quia neceſſaria, delectatione conditur, l.1.c.19.n.3 Carnes hominis edere permittitur à nonnullis etiam ex Stoicorum diſciplina, l.2 c.21.n.1

Eloquentia quo pacto debeat vti, qui argumenta profert philoſophica, l.2.c.23.n.1 Cur magis floreat in Rebuſpublicis, quàm in Regnis, l.4.c.43.n.6

Entimema videtur perfectè poſſe concludere, licet non contrahatur ad ſyllogiſmum l.2.c.36 n 2

Epicurus cui-nam vita voluerit homines aſſuefieri, vt eſſent fœlices, l.4.cap.23 num 3. Eius errores circa virtutem, l.1.c.17.num.1 & ſeq. Laudatur à Seneca & reliquis Stoicis, vituperatur verò à Tullio & Plutarcho, ibid.num.1 Negat diuinam prouidentiam & animæ immortalitatem, & cur, ibid. num.2. Explicatur, quoad fieri poteſt, melius eius opinio de bono & malo, ac deinde refellitur, l.4 cap.22.num.1 & ſeq. Aſpernatus eſt noſtræ mentis meditationes vt inutiles, l.1.cap.17 num.4

Epicuræi. Eorum ſententia de bono honeſto. Vide Bonum honeſtum

Epicuræi. Cur eòrum ſecta dicatur ſecta belluarum, l.1.c.20 n.2

Epitaphium Epicuri tumulo inſcriptum, ibid.

Equus Darij cur prior quàm alij hinnierit, l.1.c.32.n.6

Error, malum eſt poſitiuum: Et cur omnis, qui poteſt cognoſcere, poteſt errare, l.2.cap.5.num.1.2. Error continet rei apprehenſionem, quæ bona eſt, & appetenda vt finis, l.3.c.51.num.2. Quo pacto pudeat hominem erraſſe, l.3.cap.52 num. 2. Poteſt error optari vt medium, l.3.c 48. num.1. Optabilius videtur ſemper errare, quàm ſpoliari ſimul omni ſcientia. & omni errore, lib. 3 cap.48.num 3. Oſtenditur errorem eſſe bonum, l.3.c.46 num.1. & ſeq. & c.48 Qui errat, putat ſe non errare, lib 3 c 46 num.1. Error parit gaudium, ibidem. Sæpe vtilis, ibidem. Homines abhorrent ab illo, ſed longè poſito, at proponitur caſus, in quo vel cognitus vt præſens odio habetur, lib.2 cap.47.num.1. & ſeq. Cur Chriſtus Dominus & Beati careant errore, l.3 cap. 48. num. 3. & ſeq. Errores cur aliquando laudem mereant perſpicacitatis, l.3.c.55.num.1. & ſeq & c.56.n.1 & ſeq.

Eſſe, quo pacto ſit bonum finis, & quo pacto ſit medium, lib.3. cap 42. num.1 Eſſe ſubſtantiarum non eſt vnicus Naturæ finis, l.3. cap.7.num.9. Eſt vnum ex bonis finis, l.3. cap. 36. & cap. 37 & ſequent. & cap. 40. Quo pacto intelligendum ſit: Omne eſſe bonum eſſe, l.3.c.16.n.1 & ſeq & c 17.n.1. & ſeq. Non eſt purè bonum medij ad operationes, l.3.c.16.n.4

Ethnici cur raro honeſtè egerint, l.1 c.38 n.3

Euidentia quibus rationibus negetur à Scepticis, lib. 2. cap.26. num.2. Quanam ſit quærenda in rebus à materia abſtractis, l.2. cap 43. num.2. Qui requirunt euidentiam metaphyſicam in

Digitized by Google

in rebus Diuinis, cui ſimiles, lib. 2 cap. 43. num. 2. Euidentia eſt lumen, quod non ſinit mentem de ſua veritate dubitare, lib. 2. cap. 24 num. 1. Reperitur in pluribus propoſitionibus, ibid. num. 1. & ſequent. Propoſitiones ex ſe euidentes non debent probari, ſed tantùm ab obiectis defendi, ibid. num. 2. Euidentia phyſica & metaphyſic in quo ſita, l. 2 c. 25 num. 1.

F.

Fabulæ cur placeant, lib. 3. cap. 53 num. 3

Facetiæ. Quales conueniant, l. 1. cap. 7 num. 3

Facultates eatenus bonæ, quatenus poſſeſſiones actuum, l. 3 cap. 45. num. 6. 7 Sunt Bona finis, ibid. num. 3. Solæ nihil habent boni, cum actibus plurimum habent boni, ibid. num. 8 Oſtenditur facultates non eſſe Bona finis, ſed medij, l. 3 cap. 38. num. 1 & ſeq. Facultates, quarum vſus pendet à noſtra libertate, cur expetantur, ibid. n. 4. & ſeq.

Falſitas veritate iunior, & ignorantiæ filia, l. 1. c. 2. n. 2

Fatum, eiusq; neceſsitas impugnantur, l. 2 c. 32 n. 2

Felicitas dicitur ab Ariſtotele præmium virtutis, l. 2 cap. 53. num. 3. 6. Non eſt ſub vniuſcuiuſque poteſtate, vt ſenſerunt Epicuræi & Stoici, l. 4. cap. 38 num. 2. Vias, per quas ad eam acquirendam ducebant Epicuræi, l. 4 cap. 38. num. 2. Fœlicitas Naturæ longè minor fœlicitate, qua ſerui Dei adhuc in hoc Mundo conſtituti fruuntur, l. 4 c. vlt. num. 2. Debet eſſe ſtabilis, & quo pacto ſita ſit in operationibus, facultatibus & habitibus, l. 4 cap. 3 num. 4. Vtra aptior ad fœlicitatem conditio Principis ne; an Priuati, l. 4 cap. 13. & cap. 14. Ipſa ſola non poteſt amari vt medium, ſed ſolùm vt finis, & quare, l. 3. cap. 9. num. 4. Fœlicitas hominis à contemptu minuitur ac tollitur, at non diuina, l. 4. cap. 37 num. 1. & ſeq. Fœlicitas Stoicorum ab omni prorſus ærumna exempta refellitur, l. 4. c. 17. num. 4. Fœlicitatem alicuius ſpeciei rerum viuentium oſtenditur non ſemper ſitam eſſe in operatione propria eiuſdem ſpeciei, l 4 cap. 24. Epicuri opinio de fœlicitate explicatur, vt meliùs fieri poteſt, & refellitur, l. 4. ca. 22. & 23. Quid de fœlicitate Poëtæ? Verè non inuenitur in vita Ruſtica, l. 4. cap. 49. num. 1 & ſeq. Quo pacto diuitiæ ſint pars fœlicitatis l. 4. cap. 48. & 49. Sita eſt potiſsimùm in ſpe, l. 4. cap. 4. num. 5 Multiplicitas opinionum de fœlicitate Naturæ. lib. 4. cap. 2. num. 2. Non poteſt deberi ſecundùm Naturam alij à Deo, l. 2 cap. 51 num. 2. Non poteſt eſſe cum vitijs, immò nec cum virtute, quæ animi perturbationes non compeſcat, l. 4 cap. 38. num. 4. Fœlicitas integrum bonum quod, eſſe, & voluptas conſtant, lib 3. cap. 16. num. 5. Fœlicitas humana ſemper aliquo errore inficitur, l. 4. cap. 21. num. 4. Debet quæri nauiter, non à fortuna expectari, l 4 cap. 2. num. 2. Fœlicitas, qualis inter homines, l. 4. cap 3. num. 1 & ſeq. Conſiſtit etiam in medijs, l. 4 ca. 4. num. 3. Eius coronis eſt delectatio, l. 3. c. 40. n. 1. 2. Quod hominum genus eâ ma-

magis in terra fruatur, l.4.c.39.num.1 & cap.40. Ad fœlicitatem magis conducit diligi, quàm odio haberi, l.4.c.32 num. 1. In quo conſtitueretur fœlicitas ab Epicuro, l.1.c.17.n.2. Refellitur num. 3

Ferdinandus Gonzaga Dux Mantuæ, & eius laudes, l.4.c.12.n.2

Feſta. Dies feſti inſtituti propter beneficia, non debiti ex lege Naturæ, l. 3. cap.4 num.5

Finis. Bonum finis, & eius definitio, l.1 c.24.n.1. l.1.c.13.num.2. Inſulſum eſt quærere, cur bona finis appetitionem alliciant, lib.1. cap.24. num.2. Quo pacto res, quæ ob oculos cadunt, dicantur eſſe vel non eſſe alicui bona finis, l.3. c.31.num.1. & ſeq. Amor & honor bona finis, l.3.cap.31 num.3. cap. 32 num. 1. & ſeq. Bonum aliquod finis poteſt eſſe medium ad alium finem, l.3 c.9.num.4. Finis cui, finis qui, & finis quo, quomodo differant inter ſe, l.1.c.36 n.30. Finis qui, difficilis diſtinctu ab eo, qui non eſt finis qui, atque ad hoc diſcernendum regula, l.1. c.45.num.12 Circa fines minimè errat multitudo, ſed circa media, l.4.cap.26.num.3 Non ſemper nobilior finis ſuo medio, l.3. c.13. num.1. & ſeq. Non eſt propriè cauſa, l.1. c.16. num.3. Quo pacto deſignentur fines arti & naturæ, l.3 c.12.num.1.2. Diſtinguitur finis, qui ſatis mouet, ab eo, qui non ſatis. Eſſe purè finem, cui, & nullo modo medium, perfectio eſt. Eſſe verò purè finem, qui, & non medium, eſt imperfectio, l.4 c.15 num.3.& ſeq. Vna res poteſt allicere multiplici fine, l.1. c.20. num.3 Fines ad quæ rerum genera reducantur, l.3.c.36.37.38. & ſeq. Finis operantis poteſt eſſe medium remunerantis, & contrà, l.1.c.19.num.2. Omnes conueniunt circa fines, diſcrepant verò circa media, lib.2.cap.37.num.1. Finis naturæ diuerſus à fine noſtri appetitus, l.1 c.19. n 2

Fœnus, quo pacto liceat illud ſoluere, aut permittere, aut offerre, hac lege, vt fœnerator nolit commodare pecuniam ſine fœnore, l.2.c.35.n.3.4

Fortitudo. In quo ſita eius honeſtas, l 1.c.18 num.3

Fortuna. Quid ſit bona & mala fortuna, l.2.c 4 n.4

Franciſcus I. fidem Carolo V. ſeruauit, l.1 c.27.n.2

Franciſcus Maria à Robore Vrbini Dux. Eius laudes & ſenectus, l 4.c 13.n.2

Furtum permiſſum à Spartanis, l.2.c.22 num. 2

Futurum amatur, præhabeturq́; præterito, l.1.c.15.n.4. Cur id accidat, l.1.c.16.n.1 Cura futuri neceſſaria ad Mundi conſeruationem, ib.n.3.

G.

GAlli dixerunt Romanis: Omnia eſſe Virorum fortium, l 4 c.50.n.1

Gaudium. Quid ſit, l.1.c.39.n.2. Prius experimur gaudium, quàm appetitionem, l.2.c.10.num.4. Rarius gaudemus de re falſa, quàm eam appetamus. l.2.cap.12 num. 3. Gaudium cur minùs notum, quàm ſit appetitio, ibid.num.4. Gaudium magnum non abſorbet dolorem mali æqualis, aut paulò minoris, l.1 c.47.num.2. Abſorbet quidem dolorem minimarum ærumnarum, l.1.c.42.n.3 Gaudium videtur proprietas boni communior, præſtantior, notior, priorq́;

tum

tum ordine, vt aiunt, intentionis, tum executionis, quàm ſit ipſa appetitio: & rationes ad hoc euincendum, l.2 c.10. num. 2.3. *Gaudium Beatorum poſſeſſio beatitudinis vnà cum amore & viſione, l.1. c.40. num.1. & ſeq.* *Gaudium non ſupponit in Beatis poſſeſſionem beatitudinis, l.1. c.40. num. 4* *Gaudium ex viſione Dei non eſt poſſeſſio beatitudinis, ſed gaudium ex fœlicitate Dei, l 1.c.40.n.1*

Gerardus Saracenus, eiusq́; elogium, l.1.c.6 vbique

Gloria quomodo oriatur à virtute, l.1.c.18 n.4. *Cur inſtituta, ibidem.* *Epicuraorum opinio de gloria, l.1.c 24.num.1* *Gloria cur deſiderabilis, ibid. num.3* *Videtur eſſe medium, non finis, l.1.c.11 nu.6.* *Vituperantes gloriam reprehenduntur, l 1.c.24.n.1. & l.1.c. 15.num.2* *Vide Laudem*

Gratia diuina cur non debeatur Naturæ, l.3 c.44.n.6. *Gratia, quæ dicitur habitualis, quatenus reſpicit nos, eſt gratia, quatenus verò reſpicit viſionem beatam, eſt Natura, l.2 c.45.n.4*

Gratiæ. Explicatur fabella, qua Gratiæ vultum Veneris comunt, l.3.c.42

Græci recentiores ſuos laudant, l.1.c.2.n.3 *Quem ſibi propoſuerint finem, cùm palmas Victoribus proponebant in ludis, l.1 c.19.n.2.*

Gregorij XIII. charitas erga exteras nationes, l.2.c.2.n.1

Guſtatus. Vide Delectationem, & Senſum

Gutturis inflatione carere, habetur defectus apud quoſdam Populos Alpinos, inter quos eſt communis, lib.2. cap.16 num.2.

H.

HErcules in biuio, & eius allegoria, l.1.c.15.n.1.2

Hiſtoria non delectabilior Poëſi, licet pluris habeatur, l.2. c.4 n.2. *Cur non debeat ita deſcendere ad res peculiares, vt Poëſis, lib. 3. cap. 51. num.1. & ſeq.* *Quem habeat finem, & cur ornamenta pauciora requirat quàm Poëſis, l.3.c.51.n 3*

Homo cæteris animantibus potentior, l.3 c.20.n.1 & ſeq. *Eius potentia in animantes, ibidem.* *Eſſe animal omnium egentiſſimum, non minuit illi, ſed auget potentiam, ibidem.* *Quantumuis rudis cæteras ſuperat animantes cognitione interna, ibid. num.4.* *Quomodo verum ſit Mundum ſoli homini eſſe conditum, cùm etiam brutis ſit conditus, l.3.c.18.num.1. & ſeq.* *Cur non dominetur in corporibus cœleſtibus, l.3. c.24. num. 1.2.* *Non ipſe factus eſt propter Angelos, ſed propter ſuam fœlicitatem, l.3.c.29. num.2.3.* *An ſit imperfectior Angelis. Rationes dubitandi, l.3. c.25. num.2. & ſeq.* *A ſenſibus & mortalitate arguitur eſſe Angelis imperfectiorem, l.3. c.27.28.* *Praua hominis definitio, l.1. c.25.num.3.* *Quo pacto dicatur à Protagora menſura veri, l.2.cap.26. num.1.* *An ſit Mundi dominus, lib.3.cap.10.num 1.2.* *Mundus homini eſt conditus, l.3.c.23.num.1. & ſeq.*

Honeſtum. Definitio operationum honeſtarum. l.1.c.23.num.3. *Examinatur honeſti definitio, ibid.num.4.* *Nonnullæ operationes cum honeſtate pugnantes maiorem afferunt delectationem, quàm moleſtiam, l.1.c.21.num.2*

Vl-

360

Vltima honeſti forma non eſt noſtra opinio. ſed placitum Dei, l.2 c.57 n.5.6 Honeſtum in quo conſtituerent Epicurai, l.1.c.28.n.2. Eius excellentia conſiſtit in hoc, quod conueniat cum placitis Naturæ, & hoc eſt radix omnium proprietatum eius, l.1 cap.29.num.1 Quæ ratio ſit habenda brutorum voluptati in decernenda rerum honeſtate, l.1. cap.30. num.1. Voluntas pugnans cum honeſtate, cur non poſſit licitè exoptari, l 1.c 3.1.num.1. Regula honeſti apud Deum eſt eius voluptas, ibid.num.3 Non poſſumus boneſtè operari ſine vlla cognitione Dei, l.1.c.32.num.1. Ad honeſtum cognoſcendum reſpiciendus eſt ſtimulus honeſtatis, ibidem. Cur Ethnici plerunque non operati ſint honeſtè, ibidem Honeſtas habetur à placitis Dei, l.1.c.53.num.2. & ſeq. Honeſtum cur difficultate augeatur, l.1. c.35. num.1 & ſeq. Cur prætermiſſio rerum honeſtarum non ſemper ſit crimen, l.1.c.33 num.1. Nullum bonum honeſtum, quantumuis prauum, indignum eſt natura rationis compote, l.1.c.34.num.1.2.3 Honeſtas ſine vtilitate non eſt multitudini idoneus ſtimulus ad rectè operandum. l.1.c.16.n.2. Honeſtas addita vtilitati commune bonum mirificè promouet, ibid.

Honor. Honorari & amari placet etiam Deo eiuſq; bonum eſt, l.3.cap.33.num 1 & ſeq. Honorari eſt bonum finis & cur Natura honorem inſtituerit, l.3.c.32 n.1. & ſeq. Quo pacto honor ſit hoſtis & ſocius amoris, l.4.c.33.num.1.& ſeq. Delectatio, quæ ab honore hauritur, vehementior delectatione ſenſuum, l.4 c.27.n.6

Horti amœni deſcriptio, l.3.cap.5.num 1 & ſeq.

Hungaria. In eius agris qui ſerit ſiliginem, metit frumentum, l.1.c.46.n.3

I.

IGnorantia peior eſt in eo qui illam non agnoſcit, l.1.c.9.n 1. Ignoratio negationis conceditur Chriſto & Beatis, l.3 c.48.n.3.4

Imago quo pacto imitetur, l.2.c.29.n.3

Imaginatio mali eſt interdum peior ipſo malo, l.2.cap.15 num.1. Vide Apprehenſio.

Imitari per imaginem quid ſit, l. 2. c.29 nu.3. Imitatio mali ſuperat rem quam imitatur, imitatio verò boni ſuperatur, l.1.c.28:n:2

Inductio non admittitur à Scepticis, neque vt probabilis, l 2.c.19 num.1. Non videtur neceſſe eam poſſe reduci ad ſyllogiſmum, vt manifeſtè concludat, l 2 cap.36 num.2. Quomodo per illam aliquid legitimè euincatur, l.2.c.35.nu.2, & cap.36. num.2. & ſeq. Diluuntur obiecta, in quibus videtur non concludere, l.2.c.35.num.3.4. & c.36.num.1 & ſeq.

Ingenium magis oſtenditur in ſuadendo, quàm in delectando, l.3. cap 49.num.1 Quid ſit ingenium, l.3.cap.55.num. 2 & ſeq. Ingenium bonum iungitur ferè cum bono tactu, l.3.c.3 n.1. In iis inuenitur qui temperatiores habent qualitates ibid.

Iniuria appellatur à Platone malorum omnium maximum, l.4 c.17.n.2

Infœlicitas quid ſit, lib.2. cap. 52. num.8 & ſeq.

Infirmitates Vide Morbos.

Infinitum. Oſtenditur poſſe aliquid addi in-

Digitized by Google

infinito etiam in eo genere, in quo eſt infinitum, ſed non propterea erit maius, l.4.c.37.n.25

Intellectus quomodo eruat nouas veritates à ſenſuum relationibus, atque in hoc non procedat ſolùm cum principio propoſitionum inter ſe pugnantium, l.2 cap.30. num.1. Quomodo erret numquam errante ſenſu, l.2.cap.27.num.1 & cap.28.num.1. & ſeq. Intellectus plerumque non errat in ſuis opinionibus, l 2.cap.4 num.2 & c.39.num.2 Intellectus humanus quo pacto argumentetur.l.2.c.14.n.1

Inuentio. Cur lætetur magis aliquis ſuo aliquo inuento, quàm ſi id didicerit ab alio l.3.c.43.n.3

Inuidia quemadmodum excruciet, l.1.c.43 num 3

Ioannes Auſtriacus agnoſcitur à Philippo II. frater, l 1.c.42 n.3

S. Ioannes Chryſoſtomus iniuriâ damnatur l.1.c.21.n.3

Iudicium diſtinguitur à ratione, l.3.c.49 n.4

Iuuentus & virilitas magis aptæ ad fœlicitatem, quàm ſenectus, l.4.cap.13 num.1. & ſeq.

L.

Laudator tepidus deterior maledicente, l.2.c.9.n.1

Laus teſtimonium meriti & virtutis, l.1 cap.23.num.3. Cur etiam ij laudentur, à quibus nihil ſperatur, lib 1 cap.3.num.2. Ad quid Natura inſeruerit in homine deſiderium laudis, & ad alios laudandos procliuitatem, l.1 cap.18.num.4. Sapor laudis ſimilis ſapori ciborum, l.1.c.23.num.5. Laus ſapor earum operationum, quas expedit fieri, l.1.c.24.num.2. Recentiorum laus. Vide Recentiores. Laus præmium à Natura inſtitutum, & quare, l.1.c.23 num.8. & l.4.cap.1.num.1.2. Hoc præmium ab omnibus hominibus, non ſolùm à Principibus, ſed vel à viliſſimis tribuitur, ibidem. Cur natura voluerit laudem eſſe delectabilem, ibidem. Eſt bonum magnifaciendum, l.1.c.24 num.1. Petere, cui-nam rei inſeruiat laus, eſt inſania. ibidem. Laudari cupimus ab ijs, à quibus nihil ſperamus, vt à poſteris, ibidem. Appetentia laudis debet à prudentia regi, l.1.c.25.num.2 Explicatur hoc verbum, Laus, ſine vocibus moralibus, lib.1.cap.23. num.3 Auctorum laus. Vide Auctores. Quærere cur ita delectet laus, ſtultitia eſt, l.1 cap.24.num.2. Qua-nam ſit pura lex laudandi & vituperandi, l.4.cap.50 num.6. Deo & Sanctis placet, ibid. Niſi eſſet bonum magni ponderis, non eam pro Chriſto contemnenti præmium pararetur, l.1.c.24.num 3. Debet ijs operationibus tribui, ad quas expedit hominem eſſe propenſum, l.1.cap.25 num.1

Leges neceſſariæ, & plerumque iuſtæ, l.2.c.37.num.3. Inter leges contrarias, quæ potior ſit habenda, l.2.c.39.num.1 & ſeq.

Legiſlatores quàm ſint inter ſeſe contrarij in legibus ſanciendis, l.2.cap 22.num.2 Nullus eſt Legiſlator, quantumuis mirabilis, qui in legibus maioris momenti non conſentiat cum reliquis, l 2.cap 39 num.2

Libertas voluntatis quomodo indicetur à Natura, l.2.cap.2.num.2. Quibus rationibus negata fuerit à Zenone, l.2

cap.26.n.1 Res libertate prædita debent eſſe doloris capaces, l.2.c.52.n.1. Quæ ſit libertas Dei, Chriſti, Sanctorum ac reliquarum rerum, li.2.cap.53.num.1 & ſeq.
Locus. Diuerſitas locorum non eſt in cauſa cur producantur effectus diuerſi, dum cætera cauſæ ſint eadem, l.1.cap.32 num.4
Lucianus. Vituperatur & damnatur eius maledicentia. l 4.c.50.n.6
Lucta. Victor in lucta quanti fieret à Græcis, l.4.c.1.n.4
Lucullus. Eius diuitiæ, l.1.c.45.n.3
Ludi. Eorum origo in funeribus, l.1.c.19 num.2. Inæqualitas & iniquitas ludorum vnde habeatur, lib.2. cap.34 num.2

M.

MÆcenas reprehenditur à Seneca, quod elegiſſet viuere potiùs inter dolores & ærumnas, quàm mori, l.4 c.7.n.2
Maledicta vtilia ad deterrendos Principes à vitijs, l.4.cap.56.num.4.5. Luciani maledicta damnantur, l.4. cap.50 num.6
Maluetius. Marchionis Virgilij Maluetij laudes, l.2.c.1.n.1.& ſeq.
Malum. Errores Manichæorum, Caluini, Durandi, aliorumq; de principijs mali & boni, l.2 cap.46 num 1.& ſequent. Refelluntur, cap.47.48.& ſequent. Oſtenditur non poſſe eſſe duo principia, alterum boni, alterum mali, l.2.c.47 num. 12. & ſeq. Quo pacto malum, cùm ſit poſitiuum, originem ducat non à Deo ſed à noſtro nihilo, l.2.c.21.n.1 & ſequent. Maiori homines malum odio proſequuntur, quàm bonum amore, l.2.c.51.num.4. Mala poſitiua ſunt error & dolor, quorum noſtrum nihilum eſt cauſa, l.2.c.21.num.1.& ſequent. Scepticorum dictum verum probatur, nimirum mali apprehenſionem & expectationem nos magis angere, quàm ipſam præſentiam, l.2. cap.16.num.1
Manichæus quomodo errauerit in duobus principijs boni & mali, l.2.cap 46.n.1 & ſeq. Et quomodo circa Mundi creationem, ibid.num.3. Cur dictus Manichæus, cùm antea diceretur Manes, ibid.
Marchio Piſcariæ antiquis Heroibus præfertur, l.1.c.2.n.4
Mare cur ex aliquorum ſententia ſalſum ſit, l.3.c.56.n.1
Martyres cur lætarentur in cruciatibus, l.4.c.17.num 5. Licet mortem optarent, tamen afficiebantur iniuria, l.2 c.57.n.1
Materia quibus rationibus dicta ſit à Protagora diuerſis prædita formis, l.2.c.26 num.1
Meditationes quæ definiri non poſſunt, ſunt quæ cadunt ſub primam intellectus experientiam, l.2.cap 7.num 3. Poſſunt explicari, ſi manifeſtentur effecta, cauſæ, earumq; proprietates, ibidem. Diuerſæ rationes explicandarum earumdem meditationum, ibid n.4. Meditationes mirabiles faciliores veris, l.1 c.16.n.2
Medium in hoc conſiſtit, quod ſit cauſa finis, l 1.cap.20.num.3. Interdum eſt ipſo ſuo fine nobilius, l.3.cap.13.num.1 & ſeq.
Memoria. Eius emolumenta ad ſcientias, l.1.cap.4.num.1. Confertur cùm Viuario, vnde non permittitur feris exire, l.3

Digitized by Google

l.3.cap.46.num.1. Quo pacto firmetur, l.2.ca.2.num.3. Memoria præteriti. Vide præteritum. Iuxta Scepticos, nemo certus eſt ſe non verſari in obliuione, l.2.cap.20.n.1. Refellitur, l.2 c.36 num.4

Mendacium. Cur homines mentiantur, & Deus non poſſit mentiri, l 3.cap.6 num.3. l 1. cap.3. num.5. Nemo eſt adeo mendax, vt non plerumque verum dicat, l.2.cap 39 num.2. Cur numquam ſit honeſtum mentiri, l.1. cap.21 num.3

Mercimonium cur in Monarchia non deceat nobilitatem, deceat autem in Rep. l.4.c.43.n.5

Metallorum ſententia apud Chimicos, l.2 c.3.n.2

Midæ fabulæ Allegoria, l.1.c.52.n.8

Militia. Eius gloria confertur cum ſapientiæ gloria, l.4 cap.9.num.4. Vita militaris ad fœlicitatem inepta, l.4.c.42 num.1

Minos Rex Cretæ æquiſſimus cur malè audierit apud Athenienſes, l.4.cap.19 num.4

Miracula. Cur Deus celet miracula, quæ eſt patraturus, l.3.c.6.n.3

Miſeria conſiſtit in tranſitu ad conditionem deteriorem, l 4 c.6.n.6.7

Mixta. In generatione Mixtorum docent nonnulli corrumpi elementa, l.3. cap.2 num.1. Perfectiora ea ſunt, quæ qualitates habent temperatiores, l.3.cap.3 num.1

Monarchia. In Monarhia magna proponuntur præmia, lib.4. cap.46. num 3 Monarchia Bellis, Paci verò Reſp. ſtudet, l.4.c.43.num.4. In Monarchia nemo prorſus à Magiſtratibus obtinendis excluditur; vt aliqui in Republ. l.4.c.45 num.2. Quid optabilius; naſci in Monarchia, an in Republ. l.4 c.42.num.1 & ſeq.

Moneta. Vide Pecunia

Moralis diſciplina ſimilis albumini oui, l.2 c.14.n.1

Morbi. Qui morbos tolerat, cur fortitudinem præſeferat, l.4. cap.8. num.4 Morbi nonnullis noxij; nonnullis vtiles ad crimina vitanda, l.4.cap.9 num.1 & ſeq. Eorum exempla, qui ſeipſos interemerunt; vt ſe à ſummis morbis eriperent, ibid.num.2. Debent ſumma cum æquitate à Deo accipi; non ideo tamen vituperandi ſunt, qui libentiùs ſanitatem, quàm morbos accipiunt, ibi. num.3

Mors. Cur ab ea naturaliter abhorreant homines, l.3.c.28 num.3. Optabilis miſeris, l.2.c.51 num 8.9. Cur liceat ſibi eam optare, ſed non conſciſcere, ibid. num. 10. Quomodo, & quando liceat eam deſiderare, l.4.c.7. num 2. & ſeq. Cur de Stoicorum ſententia contemnenda ſit l.1.c.12.num.7. Tolerata pro Patria cur delectet, l.1. cap.18.num.4 Cur aliquid mali ſit moriendo amittere eſſe, & idem non eſſe, nihil mali afferat ijs, qui numquam fuerunt, nec erunt, l.3.c.6. num.8. Viles ſunt, qui ne infortunia tolerent, ſe ipſos interficiunt, l.4.cap.7 num.3. Oſtenditur mortem eſſe malam, & dignam horrore, quo erga eam afficimur contra Stoicos & Epicuræos, l.4.c.6.num.1.& ſeq. & c.7

Motiuum ad aliquam rem acquirendam non poteſt amari vt medium, l.1.cap.20 num.4

Motus, qui dicitur progreſſiuus, non poteſt conuenire, niſi animanti, lib.2.cap.35 num 5. Quomodo ſit verum dictum illud: Quod mouet ſe, ab alio mouetur, l.2.c.49 num.4. Dominium cuiuſcumque rei conſiſtit in hoc, quod dominus poſſit eam mouere, quò vult, l.3 c.23.n 2

Mulieres. Earum Calamitates & Priuilegia, l.4.c.41.n.1 & ſeq.

Multitudo. Eius errores, l.2.cap.38.num.1 Quo pacto debeamus illi conſentire, & quomodo ipſa plerumque non erret, l.2 c.37. n.2.3

Mundus. Quaritur, num fuerit Angelis conditus, l.3. cap 25. num.1. & ſeq. Decernitur, quòd non, l 3.c.29.num 1 & ſeq Quaritur, vtrùm fuerit homini conditus, l.3.cap 10.n.1.2. Concluditur homini eſſe conditum, l 3.cap.23.num.1 & ſequent. Quo pacto euincatur ſoli homini eſſe Mundum conditum, & quomodo ratio communis ad hoc probandum, refellatur, l.3.c 19.num.1.& ſeq. Non eſt conditus rebus ſenſu carentibus l.3. cap.11. num.1. & ſequens. Brutis quoque eſt conditus, & quomodo cohæreat cum hoc, quod ſit ſoli homini conditus. l.3.cap.18.num.1.& ſequent. Non eſt medium, quod pro fine habeat Deum, vel eius gaudium, l.3.cap.30 num.1.2. Quaritur, an ſit finis qui, cùm Deus ſit vnicus finis eui, l.3.cap.31 num.1. & cap.35. num.1. & ſequent. Non poteſt fuiſſe conditus, vt gubernaretur fortuitò, l.2. cap.40.41.42.43 & ſeq.

Muſica cur delectet, l.3.c.2.n.5

Mutabilitas hominis in ſententijs, l.2.c.22 num.1

Mutius Vitelleſcus Generalis Soc. Ieſu. Eius virtutes & merita aduerſus Societatem, lib.1. cap.1.num.2. vſque ad finem.

N.

Natura. Ariſtotelis doctrina de Natura, l.2.c.4.n.3. Eſſe Naturam, eamq́ prudenter operari, eſt manifeſtum ibid. Quomodo leges ſuas inſtituerit. & quomodo aliqui effectus ſint illi fortuiti, l.2.cap.44. num.5.& 6. Oſtenditur naturam intelligere, l.2 cap 45 num.1.& ſeq. Numquam errat in medijs, & rarò non aſſequitur finem, l.2 cap. 45. num. 3. Quomodo oſtendatur eam habere aliquem ſibi propoſitum finem, ibid.num 4. Quomodo differat à caſu, ibidem. Effectus Naturæ longè meliùs diſpoſiti, quàm effectus artis, l. 2. cap 40. num. 4. Vnde infertur non fieri fortuitò, ibidem. Sed hæc ratio impugnatur, ibidem. Naturæ finis eſt animalis delectatio. l.3. cap 6 num. 3. Vtrùm eius fines differant à finibus voluntatis humanæ, lib. 3 cap 9. num. 7. & 8. Natura non celat fines ſuos, vt Principes, & quare, l.3. cap. 6. num.2. Non eſt temeritas eius arcana inquirere, ibid & num.3 Appetitiones naturales iniuriâ damnantur, l.1.cap.25 num.2. Hoc nomen, Natura, eſt manifeſtum, lib.1 cap.27.num.1. Omnibus ſectis fuit notiſſima & in confeſſo, licet nonnulli in aliquibus eius attributis errauerint, ibidem. Natura eſt prima cauſa effectuum, quos vniformes dicunt, ibidem. Athei negantes Naturæ prouidentiam pugnantia loquebantur, ibid. Quod-nam ſecundùm Atheos fuerit diſcrimen

crimen inter Naturam & Deum, ibid. Appetitiones naturales ad bonum procliues, l.1.cap.25.num.2. Debent regi & vinci propter rationes, quæ ſunt ſupra Naturam, & etiam ab ipſa prudentia, ibidem. Natura vult omnes ſuos fœtus eſſe fœlices, l.1.cap.30.num.1 Bonorum omnium Domina, l.1. cap 31 num. 1. Plerumque fine ſuo potitur, lib.2. cap.10. num.2. Dotes Naturæ cur amorem conciliant, lib. 4. cap.31 num. 1. & ſeq. Cur Natura non mutet ſuas operationes, mutatis attributis, quæ vocant accidentalia, lib. 3 cap.6.num.4. Eſſe rerum non eſt vnicus finis Naturæ, l.3.cap.7.num.9. Natura communis differt à peculiari, l.3 cap.8 num.1. & ſeq. & cap.13.num 1 Quo pacto cùm velit rerum bonum, permittat eas deſtrui, l.3. cap.8. num.3 Attributa, quæ ab Antiquis habuit Natura, conueniunt Deo, l.2 cap 58 num.2. & 3. Non amat amore beneuolentiæ res ſenſu carentes, l.3 c.11.n.2 & ſeq.

Nauſeam non pariunt nobis res noſtræ, ſed alienæ. l 1.c.11.n.7

Nigredo. In Comorino nigredo auget venuſtatem, vt candor apud nos, ibidem.

Nobilitas quota pars fœlicitatis, l.4.c.40 num.1. & ſeq. Quando-nam pariat infœlicitatem, ibid. Nobilitas cum virtute coniuncta, l.4.c.2.num.1 Nobilitas quibus nam conciliet amorem, & quare l.4 c.31.n.2

Nominales quo pacto ſoluerent quæſtiones, l.3.c.54.n 4

Notitia boni. Vide Bonum

Nouitas effectuum eſt primus ſtimulus ad philoſophandum, & quo pacto id fiat. l 2.c.32.num.1. Cur res, quæ videntur & audiuntur, nouitate indigeant, vt placeant l 4.c.27.num.2

Nouitas non in opinionibus, ſed in modo loquendi vituperabilis, l.2.c.9. num.3 A nouitate opinionum debemus potiùs abhorrere, quàm eam optemus, l.1.c.10 num.1

O.

Obiecta. Res quæ nobis à longè obijciuntur, maiores intellectui, minores oculis apparent, l.1.c.3.n.1

Oculos cur præ alijs ſenſibus diligamus, l.4 c.14.num.2

Odorari Vide Senſum Odoratus

Odium. Odio haberi ex ipſa natura diſplicet omnibus intellectu præditis, l.1.c.31 num.4. Cur hoc contingat, l.4.cap 29 num. 2. Odium mali non eſt crimen, quatenus odium mali, ſed quatenus vt fugiatur malum minus, non vitatur maius, l.2.c.vlt.n 1.2

Operationes animæ, quam dicunt vegetatiuam & ſenſitiuam, non ſunt bona finis, l.1.c.12.num.1 & ſeq. Operationes quo pacto ſint fines noſtri eſſe, & quo pacto media, l.3.cap.17 num.5. & ſeq. & cap.13. num.1 & ſeq. Operationes inſtitutæ potiùs ad deſtructionem, quàm ad conſeruationem rerum, l.3, c 7. n.4 Operationes appetitionis non ſunt bonæ vnâ exceptâ voluptate, l.1. c 13.num.8 Operatio intellectus quotuplex, l.3.c.49 n.3. & ſeq.

Opiniones Vulgi. Interdum decet cum ipſis ſentire, l.1 cap.54 num.2. Opiniones quæ intellectui faciunt ſatis, non ſunt relinquendæ propter rationes difficiles cum ijs pugnantes, lib. 1 c.14

c.14.n.3. Nobiliores & veroſimiliores examinari tantùm debent, l.2.c.6.n.2 Obſcuriores ſe ipſis impugnantur, ibid. num.6

P.

PApa. Vide Pontif.

Parcæ. Cui-nam ex tribus tribuatur cura temporis præteriti, l.1. cap.16 num.1

Paridis fabulæ pomum Veneris tribuentis Allegoria l 4.c.59.n.2

Parrhaſius decipit & ſuperat Xeuxim, l.2 c.4.n.1

Paſsio. Vide Perturbatio

Patria. Quo pacto eius amor neceſſarius ad bonum publicum, l.1.c.18.num.3 Quo pacto ſit laude dignum, bonum priuatum bono Patriæ poſthabere, ibidem. Quantum conferat ad fœlicitatem, oriri in bona Patria, l.4.c.42.n.1

S. Paulinus vendidit ſeipſum non ſine ſpeciali Dei impulſu l.1.c.35.n.2

Peccatum. Cur fuerit neceſſe poſſe patrari, l.1.c.53.n.1.& ſeq. Emolumenta ab ipſo prouenientia, l 2 c.54.num.2. & ſeq. Cur Deus poſſit illud permittere, non autem efficaciter velle, l.2.c.55 num.1 & ſeq. c.56.num.1.& ſeq. Cur Creatura non poſſit viribus ſuis diluere peccata, l.2.c.56.num.2.5.6. Peccata cur non æqualia, l.1.cap.33.num.1 Cur non poſsint placere Deo, l.1. cap.31 num.4.5. Cur non impediantur neceſſariò à Deo, ibid.num 4. Cur nulla Creatura ex natura ſit exempta à peccato, l.2.c.53.num.4. & ſeq. Peccatum quomodo ſit priuatio, l.2.c.vlt. num.1. & ſeq. Quo pacto poſſit aliquis lætari de peccato, vnde maius bonum hauſerit, l.2.c.56.num.3. Caluinus facit Deum peccati auctorem. Refellitur, l.2.cap.27.num.1.& ſeq. Non eſſet peccatum, ſi, dum illud patramus, cohareremus Diuinæ voluntati, l.2.c.8 num.1.2. Cur poſsit à Deo permitti, l.2.c.48.num.2.& ſeq. Non eſt peccatum, vel malum odio habere, vel bonum amare, ſed propter bonum minus negligere maius, & ad vitandum malum minus non vitare maius, l.2 c.vlt. num. 12. Peccatum licet poſitiuum quo pacto à noſtro nihilo trahat originem, l.2.cap.50 num.1.& ſeq. Non conſiſtit in ſequendo peiorem naturam, ſed in meliori relinquenda, l.2. cap.50 num. 2. Deo placere non poteſt peccatum, dum peccatum eſt, nec criminoſa voluntas, cùm non poſſit facere, quin ipſa ſit huiuſmodi, dum eſt, l.2.c.56.n.7 & ſeq.

Pecunia cur ſit virtualiter omnia, l 3.c.7 n 2. Eius vtilitas circa commoda & delicias, l.4.c.18.n 2

Perfectio. Non ſolemus res perfectas vocare, quæ nobis non ſint vtiles, l.3.c.17 n.2.3

Peripatetici. Eorum ſententia de bono honeſto. Vide Honeſtum

Perſuadere. Quantum requiratur ingenij ad perſuadendum, l.3.c.49.n.1

Perturbatio quo pacto rectum iudicium impediat, l.2.c.38. num.4. Homo perturbationibus agitatus non aptus Philoſophiæ de moribus, ibid.

Philippus II. Quantam hauſerit lætitiam Antuerpiâ captâ, l.4.c.22.n 2

Philoſophia calumnijs ab aliquibus impetita, l.2.c.38.n.2. Philoſophiæ laudes ibid. & n.ſeq. Philoſophia eſt explicare diſtinctè, quæ cæteri confusè ſciunt, l.2

c.4

Digitized by Google

c.4. num.2. Quanti momenti in ipſa ſit ordo, ibid. num.7. Quanta eius vtilitas, & quanta Philoſophorum auctoritas, l.2.c.38.n.2.& ſeq. Philoſophi cur dicti à Scepticis ægri grauiores, l.2.c.16 num.1

Pictor quo pacto decipiat imitando errores ſenſuum l.2.c.29.n.5

Pictura defenditur contra Platonem, ibid. nu.1. Picturæ nonnullæ deceperunt animalia, l.3.c.40.n.2. Excitant affectiones rectas & prauas, ib.n.3

Piſces prorſus muti, l.1.c.8.n.1

Plato confertur cum Ariſtotele circa modum philoſophandi, l.2. cap.4. num.1 In ſua philoſophia veſtigat mirabilia, l.2 cap.44. num.1. Vtrum aliquid abſolutè affirmauerit, l.2.cap.14. num.4 Cur miſcuerit meditationes cum leporibus, l.1.cap.9. num.1. Docuit infinitas Mundi mutationes, ſed non fortuitas, l.2.c.40.n.5

Pœnæ cur maiores præmijs, l.1.cap.23.n.6 Pœna & præmium duo dij à Democrito appellata ſunt, & quomodo ſint Dei vicaria, l.1.cap.23.num 3. Pœna Diuina & humana ad quid inſtituta, l.1.cap.18 num.2.

Poëſis & Pictura contra Platonem defenſio, l.2 c.2.num.1. Poëſis iucundior Hiſtoriâ, ſed non pretioſior, l.2.cap.4 num.2. Cur in Dramatis liceat introducere colloquentes linguâ ipſis ignotâ, l.3 cap 51.num.5. Quod impoſſibile liceat Poëtæ fingere Ariſtotelis ſententiâ, l.3.cap.41. num.6. Poëſis non placet niſi mirabilis, l 1 c.7. num.2 Quod veriſimile Poëſis quærat, & cur res peculiares cum laude repræſentet, quas hiſtoria non cum laude refert, l.3 c.51. num.1. & ſeq. Cur veriſimile quærat, cùm finem habeat apprehenſionem, non iudicium, l.3.cap 50.num.1 & ſeq. Quo pacto affectiones excitet, cùm non credantur, quæ narrat, l.3.c.49.num.6 & ſeq.

Pontifex. Quo pacto ſub nullo alio Principe æquè benè viuatur ac ſub Pontifice, l.4.c.47.n.1

Poſſeſsio boni. Genera poßidendi bona, & quod-nam inter illa ſit perfectißimum, l.3.c.44.n.1.& ſeq.

Poßibilitas rerum non exiſtentium ex eo arguitur, quod natura docet nos habere ſuper ijs conſilium, lib. 2. cap. 32 num 2

Potentia conciliat nobis reuerentiam à contemporaneis, non autem à poſteris. Confertur cum Sapientia, l.4.cap.19 num. 3. Non ſemper eſt eligenda propter humanam imbecillitatem, l. 4 cap. 48. num. 2. Rationes dubitandi, vtrum ſit expetenda, l.4.c.53.num.1.2 Difficultates vniendi cum virtute potentiam, l.4 cap.54.num.1.2. Fœlicitas eſt reputanda, ſi inueniatur in animo virtute prædito, l.4.cap.55.num.1 Accipienda eſt maiori cum timore, quàm cum lætitia, l.4.cap.52.num.2 Rationes cuincentes potentiam ad virtutem magis, quàm ad vitium eſſe propenſam l.4.cap.56.num.1.& ſequent. Expetenda eſt ab eo, qui ſapit, qui eſt virtute præditus, & voluntariam habet ſubditorum obedientiam, lib.4 cap.57.num.1.& ſeq. Abſolutè non eſt expetenda, l.4.cap.59 num.1.& ſeq. Cur placeat nobis poſſe id, quod nolumus, exequi, l.3.cap.3.num.4. & ſeq. Cur Deo fuerit neceſſaria potentia, l.3 c.38

Digitized by Google

cap.38.n.4.& ſeq. Potentia Principum nihil aliud eſt niſi potentia populorum, *l.4.c.35.n.5*

Præſides. Exempla Præſidum qualibet lege validiora, *l.1.c.1.nu.6.* Amor Præſidum quomodo neceſſarius ad commune bonum, *ibid.*

Præteritum tempus ſubſequenti cur nobilius, l.1.cap 16.num.3. Bonum præteritum à Seneca præfertur futuro & præſenti: ſed refellitur, *ibidem num.2*

Præteritum vates & conſultor futuri, l.4 cap.33.num.1. Cur memoria præteriti nos faciat aut lætos aut triſtes, *l.1.c 16 n.5.6*

Princeps. Principum ineptorum infœlicitas, & eorum qui vel non ſunt virtutibus præditi, vel non legitimè electi, *l.4 cap.58. num. 12.* Quæ Principes ad virtutem impellant, & à vitijs abſtrahant, *l.4.cap.56.num 14 & ſequent.* Principes metuunt ſubditorum maledicta, *ibid. num.4. 5.* Educatio & munia officiaq́; abducunt à vitijs Principes, *l.4. cap 57. num.1. & ſequent.* Impotentia cum Potentia Principum coniuncta, *ibidem.* Naſci aut fieri Princeps, cui expetendum, *ibidem.* Abſolutè potior eſt conditio Priuati, cui nihil deſit, quàm Principis, *ibid. & cap.59. num. 1. & ſequent.* Principes non ita ſunt vitijs inquinati, vt finguntur, ſed reliquis hominibus ſunt meliores, *l.4.c.55.num.2.& ſeq.* Temeritas aliquorum in indagandis arcanis Principum, *l.3 cap. 6. num. 1 & ſeq.* Cur Principes fines ſuos celent, Natura verò pandat omnibus, *ibid.n 2* Principi quid potiùs eligendum, amari an timeri, *l.4. cap.34. num.1. & c.35 & 36.* Amor non magis eſt in Principis poteſtate, quàm timor, *l.4.cap.35 num.2.* Principum potentia nihil eſt niſi potentia populorum, *ibid. num.5* Principes debent ſubditis tributum comitatis, *l.1.c.37.n.2*

Principia rationum non omnia reducuntur ad pugnantia, l. 2. cap.30. num.1 Conferuntur cum pecunia, quæ datur fœnori, *l.2 cap.31.num.1.* Quæ primis principijs requirantur attributa, *ibid.* Sex prima principia proponuntur, *l.2 c.32.n.1.& ſeq.*

Prius & poſterius in ſolo tempore verè inueniuntur, & quid ſint, l.1. cap.16 num.3.

Probabile eſt, quod plerumque contingit, l 2.cap.34.nu.1. Probabilitas inductionis impugnatur à Scepticis, *l.2.cap.19 num. 1. & ſeq.* Probabilitas & certitudo oſtenditur dari, vel ex Scepticorum principijs, *l.2.c.23.n 2.3*

Proditores inuiſi, l.1.c.27.n.2

Præmium ſignificat bonum, quod datur merenti, l.1.cap.23.num.3. Præmia humana & diuina, ad quid inſtituta, *l.1.cap.18. num 2.* Præmium & pœna duo Dij appellantur à Democrito, & quo pacto gerant vices Dei, *l.1.c.25.n.3* Præmium ijs operationibus debet concedi, ad quas expedit homines eſſe propenſos, *l.1.c.25.n.1.* Virtus ſine præmio languet, *l.4.c.1.n.1.* Præmia, quæ conſiſtunt in redditibus vel imperijs, cur non ſint ſtimuli idonei ad rectè operandum, *l.1.c.23.n.6.* Non poſſunt diſtribui ſine detrimento dantis & eorum quibus tribuerentur, *ibid.* Cur pauciora tribuantur præmia, quàm pœnæ, *ibidem.*

Mul-

Digitized by Google

Multoties fortuitò obtinentur ib. Principes huiuſmodi præmiorum non capaces, ibid. Explicatur hæc vox, Præmium, ſine terminis vt vocant, moralibus, l.1 c.33.n.3

Profiteri. Qui artes peculiares profitentur, cur exiſtiment omnes delectari in ijs artibus. l.c.37.n.2

Propoſitiones euidentes, quæ demonſtrari non poſſunt, quænam ſint, l.4.c.7.nu.3 Diuerſæ Philoſophorum Scholæ conuenerunt in aliquibus propoſitioniqus, ex ijs, quas dicunt, conditionatas, falſis; vnde elicuerunt conſecutiones contrarias, item falſas: & hoc exemplis oſtenditur, l.2.c.26.n.1

Proprietates non omnes ad rerum conſeruationem conferunt, l 3.c.9.n.1

Prudentia. In quo conſiſtat eius electio, l.1 c.15.n.4. l.2.c.34.n.2 Cùm bonum miſceatur cum malo, prudentia animaduertit, quid eorum ſuperet, l.1 c.10.n.4. Prudentia vel in Bellis præfertur robori, l.4.c.2.n.2. A quo principio regatur, l.2.c.33.n.1. & c.34.n.1 & ſeq. Prudentiâ debemus vti in electione finis, & non tantùm mediorum, l.3. c.1. nu.2.3. Neceſſe eſt explicare quid peculiariter dictet prudentia, quod Ariſtoteles vix attigit, l.2. c.5 num.2. In conſilijs prudentia non eſt requirenda certitudo, l. 2. cap. 37 num.2

Pſiches fabula, eiuſq; Allegoria, l.1.cap 13 num.2. l.2.cap.12.num.6. l.4.c.15 num.9

Pſittacus. Hiſtoriola de Pſittaco, l.2.c.24 num.1

Pudicitia Recentiorum confertur cum pudicitia Veterum, l.1.c.2.n.4

Pueri non fruuntur plerumque aliâ delectatione, quàm Guſtatus & Tactus, l.3 c.21.n.3. Cur rarò honeſtè operentur, l.1 c.32.n.1

Pugnantia. Non omnia principia argumentandi reducuntur ad pugnantia, l.2 cap.30.num.1. Immò ex his ſolùm non poſſunt elici conſecutiones, l. 2. cap. 30 num.1

Pulcrum quo pacto diſtinguatur à Bono, l.2.c.11.n 2. Pulcrum illud eſt, quod producit in oculo aut in intellectu cognitionem delectabilem ſui ipſius, ibid.

Pyrrho Elienſis Scepticorum Princeps quiſnam fuerit, & quæ eius ſententia, l.2 c.14.n.5

Pyrrhus captiuos Romanos gratis dimittit, l.1.c.27.n.2

Pythagoras centum victimas Dijs ſacrificat pro vnica veritate reperta, l.3.c.43 num.2

Q.

Qualitates in ſuas ſpecies diſtinguuntur, ac de ipſis diſputatur, l 3.c.38 n 1.& ſeq. Qualitates paſſiuæ cur vtiles, ib.n.7.8

Querengi elogium, l.1.c.7.& vbique.

R.

Ratio. In quo conſiſtat pugna rationi cum appetitu ſenſuum, l.1.c.15 num.3. Quando-nam ratio præualeat auctoritati plurium aut ſapientiorum, l.2.c 39.n.3. Oſtenditur contra Scepticos rationem debere attendi, l.2.cap.39 n.3.4

Rebelliones quo pacto oriantur, l.4.cap.35 n.5.6

Recentiores cur celebrentur maiori cum emolumento, quàm Antiqui, l.1.cap.3 num.1

Digitized by Google

n.1. & ſeq. Recentiores celebrati à Gracis & Romanis, l.1.c.2 num.3. Nulla ætate magis inuiſi, quàm noſtra, ibid.

Regnum Tyri decretum illi, qui prior Solem intueretur, l.1.c.26.n.1

Reſpublica. Quid præſtantius ſub Republica ne, an ſub Monarchia naſci? l.4.c.42 nu.1. Reſpublica Paci, Monarchia Bellis fauet, l.4.c.44.n.4. Libertas in Rebuspublicis nomen interdum ſpecioſum magis, quàm verum, l.4.c.46.nu.1. In Rebuſpublicis viuitur ſemper cum timore amittendæ libertatis ibi. Benemerentes in Republ. non ſatis tuti, & parcè donati præmijs. ibid. n.2

Reſignare ſe Diuinæ voluntati, non eſt abſoluta voluptas, quæ placet nobis Deum talem habere voluntatem, l.1.c.41.n.2

Robur. Falſum eſſe oſtenditur id, quod dicitur, nimirum robur corporis iungi ſolitum cum ingenij ſtupore. l.4.c.11.n.1 & ſeq. Robur in quo ſit, quid ſit, ad quid vtile, & neceſſarium eſſe ad fælicitatem vnius nationis, non autem vnius hominis l.4.c.10.nu 1. & ſeq. Quod requiratur robur ad populi fælicitatem ibid.

Romani Recentiores ſuos celebrabant, l.1 c.2.n.3

Roſpilioſus. Iulij Roſpillioſi laudes, l.4 cap.1 n.3

Ruſtici Quo pacto falſa ſint laudes vitæ Ruſticæ, & quàm ſit ipſa diſsimilis ætati aureæ: & ruſticos eſſe cæteris vitioſiores, l.4.c.49.n.1. & ſeq.

S.

Salſugo. Quæ cauſa marinæ ſalſuginis ab aliquibus afferatur. l.3.c.56.n.1

Sanitas. Bonum medij, non finis l.1.c.11.n.8 Bonum expetibile, & pars fælicitatis l.4.c.8.n.1. & ſeq.

Saracenus. Vide Gerardum.

Sapientia humana cum ouo collata, l.2. c.14.n.1. Sapientia potiùs filia ingenij, quàm temporis. ibid. Multa ſcire, & bene ſcire, non multis datum, l.2.c.2.n.1 Sapientiæ gloria comparatur cum gloria militari, l.4.c.19.nu.4. Sapientiæ voluptas maior voluptate, quæ à ſenſibus hauritur, l.4.c.27.n.5. Sapientiæ culmen, quod homini conceditur, eſt, vt ſciat, ſe neſcire, l.1.c.21.n.4. Quæ media ad ſapientiam conducant, l.4 c.20.n.1.2. Sapientia, quæ dicitur habitualis, conſiſtit in celeritate & claritate rectè cognoſcendi, non iudicandi, l.3.c.55.nu 5. Sapientia animi perturbationes componit, l.4.c.19.num.2. Ad virtutem confert plurimùm. ibid. Cur plures ſapientes vitijs contaminati, ibi. Conciliat reuerentiam coætaneorum, & admirationem poſterorum. Confertur cum potentia. ibid. n.5. Vide Scientiam

Sapientes. De Scepticorum ſententia non poſſunt ſapientes internoſci ab inſipientibus, l.2.c.21.n.1. Sapiens videtur non tam vti imperio, quàm conſilio, l.4.c.18 n.3. Neceſſe eſt cohærere cum Sapientum ſententijs, l.2.c.37.n.4. Imperant vel ipſis Regibus, quatenus ad eorum inſtitutum ſpectat, ibid. Quinam Sapientes in qualibet arte? ibid. & n.5. Quo pacto plerumque non errent, ibid. & c.38.n.1 & ſeq.

Scelus. Fælicis ſceleris exempla, l.1.cap.23 n.8.7

Sceptici cur hoc nomine appellentur, l.2 c.14.n.4. Aiebant ſe fortuitò veram ſecuritatem inueniſſe, l.2.c.15.n.1. Pugnantia loquuntur, & concedere coguntur

Digitized by Google

tur probabilitatem & certitudinem, l.2 c.23.n.2. Eorum obiecta contra ſcientiæ principia diluuntur, l.2.c.35 n.1. & ſeq. Item contra Ethicam & prudentiam, l.2 c.37 n.1. & ſeq. Item contra Philoſophiam, l.2.c.38.n.3. & ſeq.

Scientiæ quibus principijs innitantur, l.2 c.32.n.1. & ſeq. Scientia, eſſe, & delectatio, ſolùm bona finis, quo vero diſcrimine inter ſe differant, l.3.c.36.37. vſque ad 40. Scientiæ contemplatrices eloquentiæ vnitæ, l.1.c.2.n.2. Vtrùm ſcientiæ ſpeculatiuæ admittant in ſuis diſputationibus venuſtatem dicendi, l.3.c.2 n.2. c.3.n.1.2. & c.4.n.1. & ſeq. Magis in Rebuſpublicis florent, quàm in Monarchijs, l.4.c.43.n.6. Omnis ſcientia, quæ non ſit voluptatis corporis adminiſtra, reijcitur ab Epicuræis, l.4.c.13.n.4 Scientia contemplatrix ab Ariſtotele præfertur actuoſæ, atque in illa fœlicitas ab eo collocatur, l.4.c.14.num.2 & ſeq. Soluuntur Ariſtotelis argumenta, l.4.c.15.n.1. & ſeq. Quantum ex ipſa inſtitutione Naturæ homines delectet ſcire, l.4.c.14.n.2. Scientia ſemper delectationem affert, licet eius obiectum triſtitiam interdum pariat, l.3.cap.40 n.4. cap.41.n.1. Etiam ſcientia euentuum miſerorum, eſt Bonum finis, ſed malum medij, l.3.c.41.n.1. & ſeq. Statuitur quonam modo ſcientia contemplatrix ſit potior actuoſâ, l.4.c.16.n.1 & ſeq. Summa delectatio ſcientiæ, quæcumque illa ſit, l.4.c.16.n.2. Homines ſcientijs exculti cur ferè infœlices, l.4 c.17.n.1. & ſeq. Vtrùm præſtet agere de ſcientijs ea cum multiplicitate contemplationum, qua Recentiores ſolent, l.3 c.3.n.1. & ſeq. Scientiæ contemplatrices non ſemper verſantur circa res præclaras, l.4.c.15.n.6. & ſeq. Quo pacto Ethicæ res præclaras requirat, de quibus diſputet, ibid.n.5. & ſeq. Rerum nobilium habetur ſcientia ſubobſcurior, viliorum verò clarior, ibid.n.9. Scientiæ contemplatrices conferuntur ab Ariſtotele cum homine libero & domino; actuoſæ verò cum ſeruo & œconomo, l.4.c.14.nu.7 Oſtenditur defectus earum ſimilitudinum, l.4.c.15.n.14. Scientiæ ad quæ bona minus vtilis, l.4.c.18.n.1. & ſeq. Parum vtilis ad commoda & delicias, ibid.n.1

Scipio. Eius continentia, l.1.c.27.n.2

Scythæ parentes ſexagenarijs maiores interficiebant, l.2.c.22.n.2

Seneca ſententijs vtitur, quæ plus habent admirabilitatis, quàm veritatis, l.1.c.16 n.2

Senectus cur venerabilis, l.1.c.13.nu.3. Minùs eſt ad fœlicitatem idonea quàm iuuentus & virilitas, & ſenectutis incommoda, l.4.c.13.nu.1. & ſeq. Attributa, quæ ſenectutem fœlicem faciunt, ibi.n.1 Exempla ſenum fortunatorum, ibid.n.1 & ſeq.

Senſus. Pugna appetitionis ſenſuum cum ratione quæ ſit, l.1.c.15.n.3. Quibus rationibus negarit Epicurus ſenſus decipi, l.2 c.26.n.1. Obiecta Scepticorum diluuntur aduerſus cognitionem ſenſus, cui innititur ſcientia, l.2.c.35.n.1. Quo pacto euincatur res eandem ſenſibus omnium hominum repræſentationem exhibere, ibid. Res ſenſus expertes non amat Natura amore beneuolentiæ, l.3 c.11.nu.2. & ſeq. Senſus odoratus exiguam parit delectationem l.4.c.27.n.2 Homo guſtatum & tactum cæteris animanti-

mantibus habet perfectiores, & à reliquis ſenſibus quamuis minùs perfectis maiorem haurit delectationem, quàm ipſæ animantes, l.3.c.2 n.1.& ſeq. Senſus delectant & veri cognitione, & appropinquatione rei vtilis ad conſeruationem, l.3 c.27.nu 1.2. Viſus, auditus, tactus, ijs tantùm animalibus conceduntur, quibus ſunt opportuni, l 1.c.22.n.5 Quicquid vtile eſt ad tactum, reliquos etiam ſenſus delectat, l 3.c.27.n.2. Senſus guſtatus & tactus omnibus animalibus conceſſi. l.1.c.12.n 2. Cur omnibus neceſſarij, ibi. Senſus tactus vitæ fundamentum, ib.n.3. Res, quæ vehementiùs tactum afficiunt, totum animal perdunt, ibid. Senſus interni, earumq; operationes ſunt media, non fines, ibid.n.6 Munus ſenſuum internorum, ibid. Cur ſenſus in ſomno captiui ibi.n.5. Minoris ſit odoratus, quàm reliqui ſenſus, l.3 c.2 n.4. In quo præcipuè ſita ſit delectatio viſus & auditus, l 3.c.21.n 5. Oſtenditur vel ex auctoritate Auguſtini, ſenſum numquam decipi, l.3.c.27.n.1. Nihil aliud refert ſenſus, quàm talem rem eſſe, quæ talem exhibet repræſentationem, l.2. c.27.n.1. Oſtenditur, fabellâ ſenſus numquam decipi, l.2.c.28 n.3. Senſuum relationes ſcientiarum fundamenta, l.2 c.17. n.1. Senſuum certitudo impugnatur à Scepticis, l.2. c.27.n.1. Cur viſus & auditus delectationem non hauriant niſi à rebus nouis, cùm tactus etiam ab antiquis voluptatem capiat, l.4.cap.27 n 3

Sextus Scepticus cur vocatus Empyricus, & cur non vtatur argumentis eiuſdem ſemper efficacitatis, l.2.c.16 n.1

Similitudines delectant, ſed non euincunt, l.4.c.15.n.3

Simulatio præ alijs vitijs inuiſa, & citò detegitur, l.4.c.30.n.6

Sitis conſultò ſtimulata à nonnullis, & hac ſuper re hiſtoriola, l.4.c.26.n.2

Socrates cur appellatus Græcorum ſapientiſſimus, l.4.c.15.n.10. Ita diſcipulum interrogat, vt cogat aptè reſpondere propoſitionibus veris, l.3.c.55.n.2

Sol, dum eius magnitudo creditur vnius palmi, quomodo intellectus, non ſenſus decipiatur, l.2 c.28.n.1

Solon negat illum fœlicem eſſe, cui immineant infortunia, l.4.c.3.n.2

Solutiones argumentorum contrariorum quanti momenti ſint ad ſtabiliendas ſcientias, l 1 c.14.n 2

Somnium. Quo pacto verè ſciamus nos non ſomniari, l.2.c.25.n.1

Somnus cur in doloribus expetatur, l.2 c.51.n.11

Species. Singulæ rerum ſpecies aliquam habent peculiarem perfectionem, quæ nulli alteri rei conuenit, ſed ſoli Deo, l.2 c.49.n.6.& ſeq.

Speculatrices ſcientiæ collatæ cum vitello oui. l.2.c 14.n.1

Spes neceſſaria in Mundo, l.1.c.16.num 34 Semper delectationem includit, l.3.c.39 n.1.2. Eſt potior tranquillitatis pars, l.4 c.4 n.5. Res pleraſque deſiderant homines falſa ſpe illecti, l 4.c.23.n.1.& ſeq.

Stylus, quâ ſtyli amœnitate tractandæ ſint ſcientiæ, l.3 c.23.n.4. Styli amœnitas ſine ſententiarum grauitate facilè reprehenditur, l.3.c 4.n.1.2.3

Stimulus conſcientiæ, l.1.c.17.n.2

Stoici. Omni ſublato fuco verè improbi. l.2 c.54.n.1. Fuere apud Ethnicos quales apud nos Lutherani & Caluiniſtæ, ibid. & n.ſeq.

Stu-

Digitized by Google

Strutiocamelus cur ferrum concoquat, l.2 c.35 n.5

Studia tunc florent, cùm ea Moderatores promouent. l.1.c.1.n.8

Sudor virtutis viam aperit, l.1 c.15 n 2

Syllogiſmus quo diſcrimine differat apud Ariſtotelem à ſigno, l.2 c.36.n.2. Non videtur neceſſarius ad argumentandum euidenter. ibid.

Syrenes quibus illicijs Vlyſſem inuitauerint, l.4 c.14.n.3

T.

TActus. Vide Senſum tactus

Tamberlanes Briazetem fratricidam punit. l.1.c.27.n.2

Thales Mileſius qualem dederit mercedem illi, qui ſe aliquam docuiſſet nouam contemplationem, l.3.c.34.n.3

Tellus interemptus pro Patria dictus fœlix à Solone, l.1.c.9.n.3

Tempus præteritum & futurum. Vide Præteritum & futurum. Tempus rerum omnium ſapientiſſimum; idemq́; ſtolidiſſimum, l.2.c.11.n.1. Solum habet propriè Prius & poſterius, & quid huiuſmodi nomina ſignificent, l.1 c.16.n.3. Sola temporis & loci diuerſitas non facit vt producantur diuerſi effectus, ſi alia cauſa eadem remaneant, l.2.c.32.n.4

Temperies qualitatum Bonum finis, non medij, l.3.c.45.n.1

Theſaurus. Euentus admirabilis in theſauro indagando, l.1.c.34.n.2

Tiberius Cæſar reo cuidam petenti negauit mortem, vt plus cruciaretur, l.2.c.5.n.9

Tillius antiquis Heroibus præfertur, l.1.c.2. n.4

Timonis fabula apud Lucianum, l.4.c.60 n.5

Timor mundo neceſſarius, l.1.c.10.num. 4

Timor ignis æterni eſt iuxta diuinam voluntatem, quia nos abducit à ſceleribus, l.1.c.20.n.5. Timor potiſſima miſeriæ pars, l.4.c.4.num.5. Vtrum præſtet Principes amari, an timeri Vide Principes. Vnde procedat timor, quem experimur in locis obſcuris. & prope cadauera l.3.c.50.n.5. Neceſſarius ad coërcenda ſcelera in Principe, ad quæ coërcenda eſt amore validior, l.4.c 36.n.1

Tragœdiæ cur, dum eliciunt lachrymas, delectent, l.3.c 41.n.5

Traiani laudes, l 4.c 18.n.4

Tyrannus fieri non poteſt, vt probus euadat, l.4.c.60 n 2

V.

VEnatio æquum bellum, l.3.c.10.n.2

Venena. Quæ ipſorum emolumenta, cæterarumq́; rerum noxiarum, & cur producta, l.3.c.14.n.1.& ſeq.

Venus non ſolùm venuſtatem, ſed etiam bonitatem ſignificat, l.2 c 12.n.6

Veracitas. Nemo eſt adeo mendax, vt non plerumque verum dicat, l 2.c 39.n.2

Verba proferre, cur aliquibus Brutis ſit datum, l.2.c.35 n.4

Veritas Deo coæua, l.1.c.26.n.2. Nemo eſt adeo imperitus, vt non plerunque verum iudicet, l.2.c.39.n.2. Veritas mentium magnes; atque ideo verum habendum eſt, quod naturaliter credimus, l.1.c.26 n.2. Aſſertiones veræ, quæ rectè non perpenduntur, ſunt interdum erroris cauſa, l.1 c.35.n.1. Veritas confirmata à nonnullis probationibus falſis l.1.c.25.n 2

Veroſimile hoſtis veri, l.1.c.14.n.3. Quod veroſimile quærat Poëſis, l.3.c.51.n 3

Villeroi. Prælatus Neſtori in prudentia, l.1 c.2.n.4

Virgilius videtur iniuria prætuliſſe Græcos

Digitized by Google

Oratores Romanis, cùm inter iſtos numeretur Cicero, *l.4.c.4.nnm.1.& ſeq.* Excuſatur*.n.5*

Virginij Cæſarini laudes,l.4.c.12.n.2

Virginius Vrſinus dum theſaurum quærit, quid illi acciderit,l.1.c.34.n.2

Virilitas præfertur iuuentuti, l.4.cap.13 n.9

Virtus. Eius vis,l.1.c.25.n.4. Efficaciſsima ad amorem conciliandum. Temperatur iſta aſſertio,l.4.c.30,n.1.& ſeq.Cur aliquando inuiſa,ibid. Quæ virtutes ferè inuiſæ,& quare,ibid.n.3. Delectabilis licet ardua,l.1.c.9.n.3.Dum exercetur, delectat, ibid. Eſt bonum finis, & non merum medium,l.4.c.38.n.6. Virtus in magna fortuna admirabilior, l.1.c.4 n.3. Virtus Communitati *hominum vtilis, l.4.c.1.n.3. Quo pacto ſit gloria fundamentum,l.1.c.18.n.4.Virtus Recentiorum reprehenſio, & calcar noſtrum, l.1.c.2.n.1. Non reijcit delectationem ſed efficit vt præſens, minor,quæ à ſenſibus hauritur, deferatur ad futuram intellectus acquirendam, l.1.c.12 n.2. In quo conſiſtat virtus,quæ non eſſet,niſi bona eſſent inter ſe contraria,l.3 c.9.n.6. Oſtenditur contra* Stoicos *virtutem non eſſe totam fœlicitatem, l.4 c.38.n.2.& ſeq. Cum virtute, quæ perturbationem non moderetur, non poteſt cohærere fœlicitas,ib.n.4.* Cur virtus *in antiquis efferatur, deprimatur verò in* Recentioribus*, l.1.c.2.n.1. Non eſt bonum diſtinctum à delectatione,l.1.c.14 n.1.Hoc nomen,Virtus,Græci deducunt à voluptate,ibid.Difficili negotio iungitur cum potentia,l 4.c.34.n.1.2. Rationes euincentes potentiam facere procliuiores ad virtutem,quàm ad vitium, l.4.c.56.n.1.& ſeq. Virtus.Vide Honeſtum.*

Viſio Dei *cur non poßit eſſe ex natura, l.3 c.35.n.3.Quo pacto ſit Beatitudinis portio, l.1.c.36.n.4. Hæc cum amore & gaudio eſt cæleſtis Beatitudinis poſſeßio, l.1.c.44.n.1.& ſeq.Viſio ſine amore non efficeret abſolutè beatos,l.1.c.44.n.1.2*

Viſus. Vide Senſum Viſus.

Vita diuturna medium non finis, l.1.c.11 n.8. Eſt bonum,& expetibilis, l.4.c.6 n.1 & ſeq. Vita carior homini virtute prædito,quàm cæteris,l.3.c.1.n 5

Vitium oritur à bonorum contrarietate,l.3 c 9.n.5. Fieri non poteſt,vt cum illo cohæreat fœlicitas,l.4.c.38.n.3. Quænam vitia diligantur tamquam virtutes,l.4 c.30,n.3

Vituperium Quænam ſit recta regula vituperandi,l.4 c.50.n.6

Vlyſſes,quibus illecebris inuitatus à Syrenibus,l.4.c.14.n.3

Vnio Hypoſtatica *ſecreta à bonis, quorum radix eſt, non eſſet bonum, l.3.c.45.n.9*

Voces brutorum quo diſcrimine differant à proprijs hominum vocibus, l.1.c.8.n.1

Voluntas ſigni. Explicatur obiectum huius voluntatis,l.2.c.57.n.2.& ſeq.

Voluptas appellatur ea ſuauitas, qua fruitur portio illa animæ, quæ dicitur inferior,l.1.c.21.n.4

Vtile mixtum dulci conducit ad bonum commune,l.1.c.18.n.2

Vulgus eos ſapientes credit,qui magis à ſuis opinionibus diſcrepant,l.2.c.4.n.1

Z.

ZEuxis *ſuperatus à* Parrhaſio, *l.2.c.7 num.1.*

F I N I S.

Digitized by Google

NOTVLÆ ERRATORVM.

Pag.	lin.	Errata	Emenda
9	14	,nulli	.Nulli
10	14	ſuauioris	ſuauiores
ibid.	36	vel ſolertiſſimâ	ne ſolertiſſimâ quidem
ibid.	*pen.*	Cabrera	Chiabrera
17	34	ſenis	ſerui
21	20	prodienti	progredienti
ibid.	*in marg.*	lib.1.	*adde* Metaph.
22	9	linimenta	lenimenta
25	7	apponeret	opponeret
34	*in marg.*	veneratione	venatione
36	25	intendit	intenderit
38	10	illuminabant	illuminabant,
ibid.	11	parelio	parelia
ibid.	35	phyſicis	ex phyſicis
42	2	nomine	nomini
43	31	præſenti	præſentium
49	9	ipſam	ipſum
ibid.	16	primùm	primum
50	*antep.*	factus	tactus
51	3	caſulam	cartulam
52	9	falsè	falſi
74	*vlt.*	eſſet:	eſſet
85	1	perna	poma
91	8	accitâ	auctâ
94	12	poſſibilitas	poſſibilibus
95	19	adorantes	odorantes
96	15	bono	beno
101	*vlt.*	de	de re
105	*antep.*	cæteras	cæteros
106	30	ſe ferre	ſe ferri
108	*pen.*	meram,	meram
110	8	de vita	de beata vita
112.	*vlt.*	eas	eras
118	18	,alias	aliàs
129	30	perpectum	perſpectum
130	18	à natura	ac naturæ
135	36	id quod	,id, quod
131	15	includi	concludi
132	28	permouetur	permoueor
133	14	en	ea
138	18	Simonetto	Simoncello
ibid.	20	elegantiâ	elegantia
ibidem		ſolertiâ	ſolertia
ibidem		ſuauitate	ſuauitas
139	29	Regis	Regij
141	4	vtque	vſque
147	10	eum	eam
148	28	vis	ars
158	35	1.2.diſp.95.	*deleatur*

Digitized by Google

NOTVLÆ ERRATORVM

Pag.	lin.	Errata	Emenda
195	11	quippe	quippiam
163	6	filium	filiam
167	*in marg.*	2. 2.	1. 2.
168	11	bonum,	bonum
181	12	nos	vos
187	2	patricios,	patritios
190	*in marg.*	q.2.	q.92.
196	7	effectus	effectrix
198	34	ſenſu	cenſu
204	35	ſe	ſex
205	1	recenſes	recenſeo
219	26	explicandum	explicandam
224	24	pridiano	ante-pridiano
230	25	matricem	materiem
238	30	contaminat.	contaminat?
243	22	Poëſis	Poëtis
247	11	timeat	timet
248	35	reprehendam	reprehendendam
251	1	dialecticorum	dialectorum
264	34	ſtatum	ſtatum,
ibid.	35	bonorum,	bonorum
ibid.	*pen.*	ſeruaris, beneficium	ſeruaris beneficium
273	3	non dimicat	dimicat
277	33	nos	vos
279	22	cumque	cum, quæ
283	36	quem non	quemnam
285	1	,neque	.Neque
289	12	ſima	ſima,
284	14	eam	ob eam
305	*antep.*	Megera	Megara
307	6	vniuerſi quippe qui	quippe quâ
309	*penul.*	plura	pura
310	3	recta facere	rectà lædere
313	24	proſpicitis	perſpicitis
316	1	ne ſuſpicionem quidem	& ſuſpicionem
318	9	inuictiſſimi	inuitiſſimi
ibid.	29	ſuſpicionum	ſuſpicionem
ibidem		conditionis,	conditionis
319	32	vires	viros
322	21	Bernabas	Barnabos
323	15	fruebantur	fruebatur
340	11	Oechinus	Occhinus
ibid.	27	aut vniuerſi	*deleatur*
ibid.	*antep.*	magis	*deleatur*
325	18	ꝓhibitis p legē ſit exc.	prohibitio per legem ſit
346	10	ad vim	ac vim
347	3	maximè	maxima
ibid.	10	Principis,	, Principis
349	22	mirari	miratus

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

PESCARA 1969
Digitized by Google